1. Hieroglyphics

I

# FUNDAMENTA HERMENEUTICA
# HIEROGRAPHIAE
## CRYPTICAE
## VETERUM GENTIUM,
SIVE
# HERMENEUTICES
## HIEROGRAPHICAE
LIBRI TRES:

AUCTORE

CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO, ET ACADEMICO HERCULANENSI.



NEAPOLI

TYPIS REGIIS.

MDCCCXXX.

Παντες ουν, ὡς επος ειπειν, οἱ Θεολογησαντες, Βαρβαροι τε, και Ἑλληνες τας μεν αρχας των πραγματων απεκρυψαντο, την δε αληθειαν αινιγμασι, και συμβολοις, αλληγοριαις τε αυ, και μεταφοραις, και τοιουτοισι τισι τροποις παραδεδωκασιν. Nempe: *Omnes ergo, ut semel dicam, qui de Rebus divinis tractarunt tam Barbari, quam Graeci Rerum omnino Principia occultaverunt, et Veritatem Aenigmatibus, Symbolis, Allegoriis, Metaphoris, et quibusdam talibus Tropis tradiderunt.*

S. Clemens Alex. Stromat. V. Pag. 556.

# LECTORI SUO

## C. JANNELLIUS.

I. EXSEQUUTURUS partem *Physiosophiae* praecipuarum humanarum Institutionum, quam visus sum vel indicare vel polliceri in *Specimine*, quod decimo tertio ab hinc anno de *Natura et necessitäte Historiosophiae* (1) Patriâ Linguâ edidi, constitui haud multo post quaerere de *Natura*, et *Characteribus*, de *Formatione*, et *Lingua*, sive de *Interpretatione* 1. *Scripturae Symbolicae*, *Emblematicae*, *Theographicae*, et *Hiero-Dramaticae* Graecorum, Etruscorum, Latinorum, Syrorum, Indorum, etc. 2. *Scripturae Hieroglyphicae*, *Hieraticae*, et *Oligotypicae* Aegyptiorum: 3. *Scripturae Cuneoformis* Chaldaeorum, Medorum, et Persarum: 4. *Scripturae* tam *Polygraphicae*, quam *Oligographicae* Sinensium: Nempe agere proposui de *Hermeneutica Hierographiae Crypticae* veterum Gentium. Nam omnes has *Scripturas* fuisse *Sacras* et Religiosas vel plane evidens est, vel facili et levi negotio colligitur, et demonstratur: Adeo ut etiamsi *Scriptura Sinensis* communis ad profanos usus adhibeatur, quum *Scriptura* sit Librorum Classicorum, qui religiosa veneratione coluntur, quum praecepta Imperatoris, qui filius Coeli putatur, eâ scribantur,

---

(1) *Sulla natura e necessità della Scienza delle Cose e delle Storie umane Saggio di Cataldo Jannelli Scrittore della Real Biblioteca.* Napoli 1817.

et prono vultu adorentur, nemo poterit dubitare, quin *Scriptura Sinensis* communis in *Hierographiâ* Veterum sit numeranda. Has porro ipsas *Scripturas* esse valde difficiles, arduas, abstrusas, adeoque *Crypticas*, et haud plurimis notas et compertas in quacumque possibili hypothesi est magis notum et certum, quam ipsi vellemus. Et quamvis *Scriptura Sinica* communis intelligatur passim, et explicetur, nemo tamen adhuc intimam compositionem *Sematum*, et eorum *nexum* et relationem cum *potestate Polysematis* aperire et manifestare valuit.

II. Ut autem in proposita *Hermeneutica Hierographica* rite procederem, omnium primum quaesivi quae et quot essent *Scripturae Intelligibiles* et *Ideales*, *Scripturae Typicae* et *Exemplares*, ad quas *Scripturae* illae *Reales* modo propositae possent et deberent referri et comparari. Quumque hanc quaestionem diu mecum agitassem, comperi *Scripturas Typicas*, quae fieri possent *Polygraphicae* in hac nostra Oeconomia esse tres, neque omnino plures, neque pauciores: Nempe *Ideographicam*, *Lexeographicam*, et *Alphabeticam*. Si enim *Ideas* nostras, conceptus quoscumque animi nostri rectâ et immediate *Schematibus*, vel *Sematibus* externis permanentibus et durabilibus adiungimus, *Scriptura* orietur *Ideographica*; si potius his *Signis* adiungimus integra *Verba*, solida *Vocabula* certae Linguae, *Scriptura* habebitur *Lexeographica*; si tandem *Literas* potius, sive Elementa pronuntiationis humanae *Signis* repraesentamus, *Scriptura* erit *Alphabetica*. Verum quidem est esse etiam, vel esse posse *Linguam Gestuum*, Nutuum, Linguam, qua per varios motus oculorum, capitis, digitorum etc. plurimos

vel etiam omnes animi nostri sensus et cogitationes exprimamus: Cuiusmodi haberi potest *Lingua* illa *Gestuum*, quae Monachis Cisterciensibus tribuitur, et quae Latine descripta legitur in *Volum.* IV. Part. 2. Pag. 207. 208. etc. *Operum Leibnitii*: At si hi Nutus, hi Gestus, hi Motus corporis expinguntur, si exculpuntur, ut fiant *Scriptura*, haudquaquam ad aliud et novum Genus *Scripturae Typicae* possunt referri, sed sunt omnino species, modi *Scripturae Ideographicae*, sive *Ideoschematicae*, sive *Ideosematicae*.

III. Hinc in quaerendis et colligendis *Characteribus* et *Criteriis Scripturae Ideographicae* et *Typicae* laborandum mihi fuit diu multumque, quia ne unum quidem Canonem, ne unum quidem Praeceptum ad propositum et rem meam opportunum, ex operibus l. B. *Vici*, *Warburthoni*, *Condillaci*, *De Brosses*, *Winckelmanni*, *Sulzeri*, *Gebelini*, *Cesarotti*, *Heyne*, aliorumque similium, ex imbecillitate fortasse ingenii mei, corradere, et desumere valui: Neque porro alium Scriptorem nancisci potui, qui de *Scripturae Ideographicae Physiosophia* distincto et rationali modo egerit, etsi plurimi extiterint, ut modo indicabo, qui *Scripturas*, illas propositas fere omnes per congruentias *Ideographicas* explicare et interpretari adgressi fuerint. Et profecto

1. *Emblemata*, *Theogrammata*, et *Hiero-Dramata* veterum Gentium omnes fere, qui attigerunt, tum Veteres, tum Recentiores vel per *Mythos* et *Fabularem Historiam*, vel per *Allegorias Astronomicas*, *Agronomicas*, *Physicas*, *Politicas* explicare plerumque contenderunt.

2. *Scripturam Polygraphicam Sinensium*;

quotquot de ea egerunt *Kircherus* , *Mailla* , *Freretus*, *Fourmontius* , *Lecomte* , *Amiotus* , *Cibotus* , *Brosses*, *Gebelinus*, *Remusatus*, aliique innumeri , ipso *Deguignesio* non excepto , omnes *Ideographicam* praedicarunt.

3. *Scripturam Aegyptiorum Hieroglyphicam* ex Scriptoribus veteribus collectam per convenientias Ideographicas iam tum a renatis Studiis Archaeologiae Aegyptiae interpretari conati sunt *Pierius Valerianus* , *Antonius Ricciardus* , *Iulius Caesar Capaccius* , *Nicolaus Caussinus* , *Iacobus Masenius*, etc. Quin ipsa *Monumenta Hieroglyphica* exsculpta methodo pariter *Ideographica* apparatu ingenti explicare adnisus est *Athanasius Kircherus*. Quâ *methodo* etsi per alias rationes sua Tentamina perfecerunt *Pignorius* , *Pluche*, *Jablonski*: Deinceps etsi *Warburtonus*, *Condillacus*, *de Brosses* nullum *Monumentum Hieroglyphicum* explicare adsumsissent, de *Scriptura* tamen *Symbolica* et *Hieroglyphica* agentes mirum quantum interpretationibus *Ideographicis* faverunt idque plurimis haud magno literarum bono suaserunt et probarunt. Hinc ineunte hoc saeculo ( a.1804 ) Eques *Pahlinus Tabulam Rosettanam* Hieroglyphicam methodo *Ideographica* intra paucos dies explicavit: Et paulo post (a.1812) ingentem numerum *Monumentorum Hieroglyphicorum* eadem methodo attigit in suis *Fragmens sur l'Etude des Hieroglyphes*. Nono fere post anno *Franciscus Ricardus* Oneliensis simili modo, et maiore fortasse celeritate, interpretatus est Latine et Gallice *Obeliscum Barberinum*, *CPolitanum*, et *Florentinum*: Tum anno 1824. *Inscriptiones Hieroglyphicas Colossi maximi Taurinensis* Italice explicavit, et 1826. *Zodiacum Circularem Tentyrensem* , ipsi

*Sothiacum*, Gallice reddidit. At iam ab anno 1822 *Champollionus* iunior methodo etiam *Ideographica* in *Epistola* ad *Dacier* multa in *Monumentis Hieroglyphicis* tentaverat, plura in *Epistolis* ad Ducem de *Blacas* praestantissimum bonarum Literarum fautorem, et plura usque ad hunc annum in aliis plurimis *Epistolis*: Adeo ut, quae ipsemet in *Precis* Pag. 370. scribebat: *Kircher fit ecole: Les imitateurs ont surpassé le maitre:* de se ipso vere et proprie dixerit. Simili stilo, similibus formulis, ac *Champollionus*, *Ellipses* potissimum *Hieroglyphicas* Monumentorum Aegyptiorum explicare conati sunt *Sanquintinus*, *Gazzera*, *Rosellinius*, aliique plures per hos ipsos annos, etc. Ut igitur de Interpretationibus tot tantorumque Virorum possemus aequo, et rationali modo iudicare, *Physiosophiam Scripturae Ideographicae Typicae* et *Exemplaris* constituere pro virili adnisi sumus. Libr. I. Sect. II. et III. Pag. 19. ad 54.

IV. Aequum porro fuit attingere etiam *Characteres* et *Leges Scripturae Alphabeticae*. Nam 1. *Scripturam Cuneiformem* singillatim *Persepolitanam* ex parte saltem *Alphabeticam* Viri doctissimi et solertissimi *Chardin*, *De Sacy*, *Niebuhr*, *Munter*, *Tychsen*, *Murr*, *Hager*, *Hammer*, *de Book*, *Rasck*, *Dorow*, *Schultz*, et editis etiam Speciminibus *Interpretationum Lichtenstein*, *Grotefend*, *Saintmartin* habuerunt, et demonstrare contenderunt.

2. Ipsam porro *Scripturam Hieroglyphicam Mieroschematicam* Aegyptiorum sive ex aliqua parte, sive ex magna, sive etiam totam arbitrati sunt *Alphabeticam* plures aeque clarissimi et doctissimi Viri. *Pierius Valerianus* Lib. XLVII. Hie-

roglyph. Cap. 27. pag. 507. aliquot *Schemata Hieroglyphica* habuit *Literas Alphabeticas*, et minime dubitare visus est de *Alphabeto* aliquo *Hieroglyphico*. *Athanasius Kircherus* etsi *Ideophilus* saeculo post Pierium de condendo *Alphabeto Hieroglyphico* semper fuit graviter anxius, et tandem laceratis et discerptis aliquot Animalium simulacris, ex membris et frustis eorum condidit illud, et sibi laetus habuit in *Obel. Pamphil.* Pag. 130. 131. et in *Oedip. Tom.* III. Pag. 47. ad 50. *Samuel Shuckfordius* circa annum 1730. putabat inter *Schemata Hieroglyphica* plura esse, quibus esset potestas *Literarum Alphabeticarum*: et adeo *Symbolis Ideographicis* admixta *Schemata Alphabetica* autumabat in *Histoir. du Monde.* Tom. II. Pag. 282. 283. *Deguignesius* Pater circa ann. 1766. omnia *Hieroglyphica Aegyptia* habuit etiam *Literas Alphabeticas*, et propterea ingentem numerum *Homiophonorum* invexit, in *Mem. Acad. Inscript.* Tom. XXXIV. Pag. 1. 2. 3. etc. Per hos ipsos annos *Gibertus Deguignesii* Collega contendebat in *Act. Acad. Inscript.* Tom. XXXV. pag. 663. πρωτα ςοιχεια *Scripturae Hieroglyphicae* secundum *Clementem Alexandrinum* esse *Literas Alphabeticas*, atque adeo veras *Literas Alphabeticas* inveniendas esse saepius in *Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis*. Saeculo hoc ineunte Eques *Pahlinus* etsi *Ideophilus* plura *Schemata Hieroglyphica Tabulae Rosettanae* habuit ut *Syllabas*, vel *Literas Alphabeticas*, et non paucas etiam Homiophonas indicavit in suo *Tentamine* Pag. 14. 17. 37. 47. 51. 62. 63. etc. etc. Paucis post annis *Grognetus Hieroglyphica Aegyptia* habuit quasi *Literas Alphabeti Hebraici* Maiusculas, figura-

tas in *Bibliot. Analit. Napolit.* ann. 1810. Tom. IV. Pag. 346. 347. Decimo fere post anno Burdigalensis *Lacour* plura *Schemata Hieroglyphica* habuit *Alphabetica*, et aliquot *Syngrammata* Monumentorum conatus est *Alphabetice* legere et explicare in suis ***Fragmens***, sive ***Essai sur les Hieroglyphes.*** Pag. 45. 47. 50. 57. 59. 61. 62. 69. 86. 90. etc. Biennio vero ante ( an. 1819. ) *Thomas Joung* Anglus in *Supp. ad Encyclopaed. Britann.* Tom.IV. pag.63.66. conatus fuerat legere *Alphabetice* Nomen ***Ptolemaei*** in ***Ellipsibus Hieroglyphicis Tabulae Rosettanae :*** et nomen ***Berenices*** in alia ***Ellipsi*** exculpta in Templo ***Karnaci.*** Quin fama est per hos ipsos annos alium Anglum ***Will. Bankes*** etiam *Alphabetice* voluisse legere in ***Ellipsibus Hieroglyphicis Obelisci Philensis***, quem ipsemet ex Aegypto in Angliam advexerat, nomina ***Ptolemaei*** et ***Cleopatrae.*** Certe ipsemet ***Bankes*** apertissime id testatus est in notula apposita ad pag. 13. 14. 15. ***Essai sur le Systeme des Hierogl. Phonetiques d' Henry Salt.*** Et ipse ***Joung*** adsentiri potius quam contradicere visus est isti affirmationi in suis ***Discoveries*** Pag. 29. 30. 45. 49. Triennio vero post ( 1822 ) ***Champollionus*** iunior *Alphabetum* istud 12. fere ***Schematum*** ad centum *Schemata* elevavit, et biennio post ad 140. circiter produxit, conditisque legibus, et propositis dogmatibus, et Systemate pleno composito nonnulla valuit in ***Monumentis Hieroglyphicis*** tentare. Paullo post scilicet ann. 1825. et 1826. ***Augustus Seiffarthus*** Lipsiensis Deguignesii, Grognеti, et aliorum vestigia premens omnia *Schemata Hieroglyphica* habere voluit ***Literas Alphabeticas***, ex ***Alphabeto Phoenicio*** ortas, factasque *Schematicas* ad pul-

critudinem et ornatum, conditoque propterea *Alphabeto millenario* aliqua etiam interpretari *Alphabetice* conatus est in *Monumentis Hieroglyphicis*.

Ut igitur de his *Systematibus Alphabeticis* non ex praeiudicio, non prorsus temere, sed ex ipsius *Scripturae Alphabeticae* legitima *Physiosophia* videremur iudicare, aliquot *Canones* de ea praescribere nobis necesse fuit Libr. I. Sect. VI. Pag. 89. ad 100. Idque eo magis, quod *Alphabetum* tentatum a *Joung*, et absolutum a *Champolliono* tanto cum favore, tanto cum plausu ab universa fere literata Europa exceptum fuit, ut Galli et Angli visi sint de gloria inventionis quasi solliciti. Literati viri, qui *Systema Alphabeticum* huiusmodi sive laudarunt, sive probarunt, sive novis Tentaminibus firmare adlaborarunt sunt ex Gallis *De Sacy*, *Letronne*, *Saint-martin*, *Abel-Remusat*, *Dacier*, *Champollionus Figeacus* frater, *Guigniaut*, *Devere*, *Dubois*, *Vaucelle*, *Greppo*, *Huyot*, *Cuvier*, aliique plures Anonymi: ex Anglis praeter *Joung* et *Bankes*, fuerunt *Salt*, *Drummond*, *Browne*, *Jorche*, *Leache*, *Burton*, *Wilkinson*, *Prudhoe*, *Felix*, strenuissimus fautor et propagator *Gell*; et acer ac vehemens tutator et vindex *Anonymus* auctor in *Edimbourg Review*, etc. Ex Italis fuerunt *Sanquintino*, *Gazzera*, *Peyron*, *Balbi*, *Brunati*, *Zannoni*, *Rosellini*, *Migliarini*, *Orioli*, *Lanci*, *Mai*, etc. ex Germanis, vicinisque Gentibus *Klaproth*, *Hammer*, *Humbold* Philologus, *Matter*, *Niebuhr*, *Bachman*, *Bunsen*, *Panofka*, *Grotefend*, *Lennep*, *Lilienstern* etc. Quum autem saepe de hoc *Systemate Alphabetico* agendum mihi esset, et aequum propterea esset aliquo

nomine distinguere, quum iniustum videretur appellare simpliciter *Alphabetum Thomae Jung*, quia paucissima is et ex se omnino inutilia proposuit, ut pluribus et recte in eum animadvertit *Champollionus* in Precis Pag. 35. 36.: Quum vetarer saepe appellare simpliciter *Alphabetum Champollioni* Junioris, quia fundamenta et elementa praecipua iecerant *Ioung*, et *Bankes*, et statim *Salt* plura suffecerat: quum contra animadverterem Gallos et Anglos de hoc Alphabeto quasi de Gentis gloriâ mutuo decertare, appellare saepe malui *Alphabetum Anglo-Gallicum*.

V. Tentanda porro fuit *Physiosophia Scripturae Lexeographicae* tum *Schematicae*, tum *Sematicae*, deque ea propterea agendum fuit Lib. I. Sect. IV. et V. Pag. 55. ad 88. ut nostrarum virium tenuitas, et materiae novitas pati poterat. Nam quamvis multâ curâ et diligentiâ quaesissem, qui de ea egissent, et tractassent saltem per exempla et tentamina practica, detegere neminem potui ne apud illos quidem Scriptores, qui de *Kabala* Iudaeorum et Arabum egerunt. Placuit tamen a *Rabbinis* mutuari vocem *Temurae*, quia brevior et aptior prae vocibus *Graecis* et *Latinis*, quibus uti poteram, visa est. Et quamvis *Rabbini Voci* illi ampliorem saepe potestatem tribuant, quia nos nullius *Kabalae* sive *Judaicae* sive *Arabicae* dogmata sequimur, et vis originalis vocis *Temurae* illa est, quam tribuimus, ideo legitime posse me ea uti sum arbitratus.

VI. *Canonibus* et *Criteriis* triplicis *Scripturae Typicae* et *Exemplaris* constitutis, *Scripturas* illas propositas et reales cum *Scriptura Ideographica* et *Typica* omnium primum conferre

et comparare institui. Et quum 1. *Scripturam Emblematicam* et *Theographicam* Libr. II. Sect.I. Pag. 107. 115. 125.: 2. *Hieroglyphicam* Aegyptiorum *Microschematicam*, et *Hieraticam* L.II. Sect. II. Pag. 130. 135.: 3. *Polygraphicam* Sinensium Libr. II. Sect.IV. Pag.215. 218. diligenter cum *Canonibus Scripturae Ideographicae* contulissem, manifesto vidi nullam ex his et reliquis Scripturis haberi posse *Ideographicam*, factam scilicet per *Leges* et *Canones Tropi* et *Metaphorae Ideographicae.* Non profecto quod nulla prorsus adhibeantur *Signa Ideographica*; non sane quod numquam exhibeantur *Cyrioschemata* vel utcumque *Semata* quibus *Ideae* et obiecta significentur: Sed quod haec *Elementa* prae reliquis *non Ideographicis* ita pauca sint, ita mixta et confusa, ut tota *Scriptura non Ideographica*, vel potius *Anti-Ideographica* exsurgat et prodeat.

VII. Quod si Lectores adhuc sint, quibus iudicium hoc nostrum de levi et tenui usu *Elementorum Ideographicorum* in *Scripturis* Veterum *Crypticis* videatur nimis severum et durum; si adhuc putent longe ampliorem et latiorem usum *Scripturae Ideographicae* apud Veteres extitisse, eos rogo ne hanc opinionem vacuis et inanibus vocibus, et ex quibus nec egomet, nec ceteri Lectores proficere possent, sed solidis et intrinsecis argumentis velint tueri et probare. Et omnium primum nollem ut *Emblemata* et *Stemmata* Alciati, Jovii, Bocchii, Fabricii, Capaccii, Ripae, Sambuci, Camerarii, Saavedra, Bois sardi, Menestrerii, et *Hieroglyphica* Valeriani, Ricciardi, Masenii, Caussini, et aliorum innumerorum idonea putent ad *Scripturam Ideographicam* et

*Polygraphicam* constituendam; quum detractis, *Lemmatibus*, *Epigrammatibus*, *Commentariis*, ita obscura, ita inintelligibilia, ita inepta fiant illa *Schemata* divulsa, solitaria, singularia, ut argumentum magis invictum et manifestum, quod Scriptura Ideographica Polygraphica et Characteristica sit nobis impossibilis, nisi ex hac *Emblematum* et *Stemmatum* ingenti Bibliotheca peti non possit. Nollem praeterea, ut *Ideophili* confundere pergant *Stilum Tropicum*, *Linguam Metaphoricam*, *Semata Allegorica* cum *Scriptura Troposchematica* et *Polygraphica*, ut fecisse adhuc visi sunt Warburtonus, De Brosses, Condillacus, Cesarottus, aliique plures: adeo ut ubi de *Tropis* et *Metaphoris* orationis cum Vossio, Glassio, du Marsais se egregie egisse putent, statim se *Scripturam Ideographicam* et *Polygraphicam* habere putent, et *Obeliscos* iam condant: Incredibilis adhuc est difficultas; Immanis adhuc et insuperabilis est distantia, et quam si superari posse putant, si aliquâ sollertia et diligentiâ vinci arbitrentur, non quidem interpretationibus, quae illis similes sint, quas *Kircherus*, *Pahlinus*, *Ricardus*, *Champollionus* etc. nulli plane Scientiae nulli Analogiae rationali, nullis fundamentis nullis Legibus innixas et derivatas protulerunt, evincere et demonstrare debent: sed profunda Scientiâ Characterum, Legum, conditionum, sed penitissima *Physiosophia Scripturae Ideographicae*, sed formatione *Lexici Ideographici* sive *Schematici*, sive *Sematici*, sed analysi et examine diligenti *Legum Ideographicarum* singulorum *Schematum*, vel *Sematum Monumenti* propositi.

VIII. Quod si alii insuper sint, qui *Scriptu-*

*ram* ex. gr. *Theographicam*, et *Hieroglyphicam Ideographice* esse interpretandas censeant, quod *Ideographice* interpretari saepius visi sint plures *Scriptores Graeci* et *Latini*, illos rogo 1. Primo, ut ea considerent, quae monuimus Libr. II. Sect. II. Pag. 136. 137. 2. Secundo etiam expendant Testimonia ipsa *Veterum Scriptorum* de *Scriptura Lexeographica*, non *Ideographica*, quae adduximus Libr. II. Sect. II. Pag. 163. ad 176. 3. Tertio cogitent neminem esse ex *Veteribus Scriptoribus*, qui de *Physiosophia Scripturae Ideographicae* egerit, et Dogmata exemplis firmare studierit. 4. Quarto ipsa ea loca *Scriptorum veterum*, quibus eis videatur ad *Congruentias Ideographicas* adludi et respici, iterum iterumque expendant, considerent, et videant, an possint plerumque absurdiora, et a quacumque probabilitate *Ideographica* remotiora animo concipi et fingi: adeo ut nulla possint reperiri argumenta luculèntiora, evidentiora, graviora adversus *Interpretationes Ideographicas*, quam ea, quae ab iis ipsis Locis petuntur. 6. Sexto animadvertant *Ideophili*, quod *Veteres* Fabulis et Mythis mendacibus omnem *Theologiam*, omnem *Archaeologiam* suam exornarunt, quod omnem *antiquam Historiam Aenigmatibus mendacibus* et *crypticis* implerunt, et quod propterea minime mirum esse potest, si *mendaci Ideographia* in eis explicandis, quae explicari recta et proprie non poterant, uti saepius sint visi. Quin est insuper animadvertendum, quod *Veteres* in suis arcanis et ἀποῤῥήτοις λογοις *Lexeographicis* affectando *Ideographica*, quaerendo *congruentias Ideographicas* summam utilitatem, ingentia adiumenta propositi sui sibi comparabant et colligebant. Nam 1. primo Verita-

tem, quod caput erat, celabant. 2. Secundo, quod veste illa *mendaci Ideographica* Traditionem, et Effatum servabant, quae absque illâ fere periisset. 3. Tertio acuebant ingenium Sacerdotum, quo allusiones illas investigarent. 4. Quarto curiositati quaerentium et interrogantium, salvo secreto, satisfaciebant. 5. Quinto quaerentes sedulo nexum et relationem inter *Theologica* et *Physica*, inter Coelestia et Terrestria, inter intelligibilia et corporea *Scientiis* Physicis aliquem impulsum dabant, aliquo conatu eis favebant, Scientiam Rerum naturalium iuvabant. 7. Septimo, quod certum est revera *Interpretationes* a *Veteribus* datas de Rebus Theologicis et Divinis, explicationes Rerum sacrarum a Veteribus propositas minime fuisse genuinas, intimas, sinceras, sed apparentes, mendaces, fictas, compositas, et propterea quaerendas esse alias et diversas a propositis et Ideographicis. Quis obsecro, dubitaret, an Macrobius ex. gr. caussas et origines *Saturnaliorum* quaerens, quae veriora, quae genuina putaret proferret et probaret? Atqui una *Mendacia Ideographica* et Physica protulit, arcanis et veris caussis profundo silentio pressis et celatis: Id enim ipsemet aperte profitetur *Saturn.* I. Cap. 7. pag. 185. *Saturnaliorum originem illam mihi in medium proferre fas est, non quae ad arcanam Divinitatis naturam refertur, sed quae aut Fabulosis admixta disseritur, aut a Physicis in vulgus aperitur. Nam occultas et manantes ex meri veri fonte rationes, ne in ipsis quidem Sacris enarrari permittitur. Sed si quis illas adsequitur continere intra conscientiam tectas iubetur* etc. Quis lectis *interpretationibus Symbolorum Pythagoricorum*, quas Iamblichus in *Pro-*

*trept.* Cap XXI. Pag. 131. 141. exposuit, non putasset Philosophum hunc ex sincero et genuino animi sui sensu, ex plena et intima persuasione eas adduxisse? Atqui contra apertissime profitetur *Interpretationes* adductas non esse quidem malas et inutiles, sed mendaces, sed falsas, esse exoterici usus: quum verae, intimae, genuinae essent ἀποῤῥηται, et ineffabiles.

Quamobrem *adlusiones Ideographicae*, quas *Veteres* videntur captare et adfectare agentes de Rebus sacris et Religiosis, sunt argumentum certissimum Mendacii Mythici, et Veritas quaerenda unice est in *Interpretationibus Lexeographicis*, quae unae supersunt.

IX. Simili ratione postquam *Canonibus Scripturae Alphabeticae*, *Scripturam Hieroglyphicam Microschematicam* Aegyptiorum Libr. II. Sect. II. Pag. 137. ad 147. 2. *Hieraticam* eorumdem Aegyptiorum Pag. 210. 3. *Cuneoformem* Libr. II. Sect. V. Pag. 270. ad 276. contulissem et comparassem, perspicue vidi omnes propositas *Scripturas Hieroglyphicas* et *Crypticas* nullo pacto ne ex parte quidem posse haberi *Alphabeticas*: Nam de reliquis nulla esse poterat quaestio quoad earum naturam non *Alphabeticam*: Quumque porro de *Scriptura Hieroglyphica* Aegyptiorum, utpote celebriore et notiore, loca *Scriptorum* veterum expendissem Libr. II. Sect. II. Pag. 139. ad 141. clarius etiam et manifestius vidi nullum *Alphabetum* recepto et noto modo in *Scripturâ Hieroglyphicâ* adhibitum fuisse. Et quoniam in verbis *Clementis Alexandrini*: Μεθοδος κυριολογικη δια των πρωτων ςοιχειων: quae leguntur Strom. V pag. 555. *Morinus* de Lingua primaeva P. 15. 16. *Bandinius* de Obelisc. Caesar. Pag. 16. *War-*

*burtonus* in Essai sur les Hieroglyph. Tom. I. pag. 96. 97. 103. 104. *De Brosses* Mechan. du Langag. Tom. I. Pag. 367. 368. *Gibertus* in Act. Acad. Inscript. Tom. XXXV. pag. 667. *Champollionus*, et *Letronne* in Precis edit. 1824. Pag. 327. 331. 401. Edit. 1828. Pag. 378. 379. 401. 402. *Seiffarthus*, et *Weiske* in Rudiment. Hieroglyph. Pag. 42. 43. *Klaprothus* et *Gulianoff* in Lettres sur les Hieroglyph. Acrologiques Pag. 25. 26. 27. *Matter* in Histoir. Crit. du Gnosticisme. Tom. II. Pag. 5. *Anonymus Anglus* in Edimbourg Review an. 1826. Decemb. Pag. 101. 102. 103: et an. 1827. March. Pag. 530. 532. etc., et alii etiam plures Literas *Alphabeticas*, Scripturam *Alphabeticam* pertinacissime invenire voluerunt: Quamvis opinionem istam nullo aequo, nullo rationali argumento firmassent: Quamvis nemo unus ex his Μεθοδον illam *Clementis Monumentis* verae *Scripturae Hieroglyphicae* aptare et componere adlaborasset; quod facere et exsequi strictissimi officii fuerat: Quamvis non posse aptari et componi ostendissem Libr. II. Sect. III. Pag. 203. 204. Quamvis alia loca plura *Clementis* Alexandrini, ut Stromat. V. Pag. 567. et *Porphyrii* de Abstin. Libr. IV. Pag. 363. 372. 373. et aliorum, naturam των πρωτων ϛοιχειων in *Megaloschematibus Hieroglyphicis* unice esse quaerendam et inveniendam evidenter monerent; placuit tamen rem prolixius et gravius excutere Libr. II. Sect. II. Pag. 142. ad 157. et sententiam, quam putamus genuinam, Scriptori incomparabili vindicare et adserere.

X. Peculiarem porro refutationem *Systematis Alphabetici Augusti Seiffarthi*, quam iam ab anno 1826. in usum meum conscripseram neque

e re mea, neque aliorum in his *Fundamentis Hermeneuticis* edere est visum: 1. Primo, quia *Systema* huiusmodi est evidenter non falsum tantum, sed prorsus impossibile. Nam si datae *Inscriptionis Alphabeticae* ignotum est *Alphabetum*, et ignota est *Lingua* neque a Potestate ulla humana intelligi illa potest et explicari. Atqui *Seiffarthus* de *Nihilo* condit *Linguam* suam *Hieroglyphicam*, non *Copticam*, non *Hebraicam*, non *Abissinicam*, non *Arabicam*, non *Chaldaicam*; de *Nihilo* eruit mille *Literas Demoticas*: et similitudine *Nihili* cum *mille Schematibus Hieroglyphicis* confert. Iterum impossibile, quia etsi tum *Lingua*, tum *potestas Schematum Hieroglyphicorum Alphabetica* esset *data*, quum singulis *Schematibus* tribuat *Seiffarthus* quatuor, quinque, octo, novem *potestates diversas*, Syngrammata fiunt omnino indeterminata et indefinita, neque est aliqua Potestas humana, quae ea valeat definire, et determinare. Ita si tu vis, ut vocem hanc AMO recepto modo intelligam, scio quid dicas, sed si vis ut in A esset etiam potestas B. C. D. E. in M. potestas F. G. H. I. L., in O. potestas N. P. Q. R. S. neque ego, neque alius quivis homo natus inveniri potest, qui vim vocis definiat et certo capiat. Verum quidem est etiam in nostro *Systemate Lexeographico* et *Cryptico* esse *Signa*, vel *Polysemata Polydynamica*; sed aeque verum est esse alia *Oligodynamica*, vel etiam *Cyriographica*, et alia plura praestiuta, constituta, per solemnem conventionem recepta, et propterea certae et definitae sententiae; esse insuper alia *Monodynamica*, per quae vis certa et accurata *Scripturae* possit definiri et plane constitui. 2. Secundo, quia

ex claris et insignibus Viris, qui floruerunt, vel florent in Europa ab anno 1825. neminem novimus, qui *Systema Alphabeticum* huiusmodi aperte probaverit, susceperit, vel firmare adgressus fuerit. 3. Tertio, quia Systema huiusmodi iamdiu refutarunt *Champollionus* iunior ann. 1826. Epist. ad Ducem *de Blacas*: *De Sacy* in Journal des Savans Octobr. 1827. Pag. 589. 604. *Anonymus Anglus* in Edimb. Review. ann. 1827. March. Pag. 528. 539. etc.

XI. Praeterire tamen silentio non potui *Systema Alphabeticum Champollioni* iunioris, fuitque adeo necessarium, ut plura in illud nec semel animadverterem:

1. Primo, quia non agebatur de levi quadam et obscura opinione, de sententia, quam unus vel alter dubitans et incertus proiecerat in medium: sed de *Systemate* pluribus *Tentaminibus*, pluribus conatibus, pluribus libris firmato; De *Systemate*, quod *plerique nobilissimi* et *praestantissimi Viri* laudaverant, probaverant, susceperant: De *Systemate*, cuius fundamenta, et elementa substantialia, ii ipsi qui acriter oppugnaverant *Lancius*, *Gulianoff*, *Pfaffius*, *Klaprothus*, legitima et solida fassi fuerant: De *Systemate*, quod omnes fautores eius omni possibili evidentia illustre, extra omnem iam vel levis dubitationis aleam positum, omni rigore Mathematico demonstratum millies praedicaverant. Neque certe egomet oblivisci potui quae de invicta *Systematis* sui evidentia ipsemet *Champollionus* cum *Will. Gellio* vere anni 1826. in ipsa Regia hac Bibliotheca Borbonica mihi ipsi non semel ingeminavit.

2. Secundo, quia per propositum *Alphabetum* aliud omnino *Pantheum* Aegyptiis procuditur,

alia *Nomina*, veluti *Neb*, *Nev*, *Num*, *Nuf*, *Amnre*, *Atmu*, *Sme*, *Sou*, *Tafne*, *Nelphe* etc. etc. *Diis* Aegyptiis imponuntur, alia *Symbola*, alii characteres tribuuntur, eaque constituuntur non auctoritate et testimoniis Scriptorum veterum praestantissimorum, non penitiore examine naturae Theologicae singulorum *Deorum*, non analysi *Linguae Hieroglyphicae*, non profunda Vocum et *Nominum* ipsorum *etymologia*, sed quod *Schemata Hieroglyphica* Iconibus et Simulacris Deorum Aegyptiorum insculpta ipsi auctoritate sua fecerint *literas Alphabeticas*, et ad placitum suum legerint et pronuntiaverint absurdissima varietate, adeo ut *Cneph*, *Knouphis*, *Neb*, *Nev*, *Nuf*, *Num*, etc. non sint nisi unum idemque nomen varia pronuntiatione corruptum. Atqui in Regimine Castico, Ascetico, Mystico, Theocratico, quo Sacerdotes habentur doctissimi, et accuratissimi, ista varia corruptio *Nominum Divinorum* est omnino impossibilis: Tum aeque impossibile est in eodem Regimine Castico et Mystico, quo *Dii* magni crypticissimo et obscurissimo, et vel doctissimis Graecorum et Latinorum ignotissimo modo in formis absurdis Animalium et Monstrorum latent, quique Symbolis et Ornatibus inexplicabilibus distinguuntur; eorum *Deorum Nomina Alphabeticis* literis significari, manifestari omnibus pueris, et plebeculae. Atqui *Nomina* Deorum arcana apud veteres Gentes omnes numquam ne voce quidem prodebantur, vulgaria vero et popularia *Voce* quidem et sermone plerumque non scripto et literis indicabantur: Quin est animadvertendum *Coptitas* Christianos semper *Cryptice* et notarice *Nomina Dei* in libris suis descripsisse, saltem in hoc *Crypticismum* Maiorum

suorum, Judaeorum, Samaritanorum, et aliarum etiam Gentium imitari volentes.

3. Tertio, quia per *Systema* propositum *Chronologia Monumentorum Aegyptiorum* absurdissima constituitur, et qua ipsa fides et auctoritas veterum Historiarum gravissime labefactatur. Nam omnia fere Templa Thebaidos a Syene ad Tentyrim vel a fundamentis extruuntur, vel insignibus Propylaeis, Porticibus, Sacrariis augentur a *Caesaribus* Romanorum *Augusto*, *Tiberio*, *Nerone*, et ceteris usque ad *Commodum*: Plurima potissimum *Dramata* Parietibus Templorum insculpta, sunt *Dramata Caesarum Romanorum*, in quibus ipsi *Caesares* non Romana facie, non Romanis vestibus et ornatibus, sed ipso vultu, et ipsis auribus magnis et elevatis, ipso naso, ipso ore Indico-Coptico, ipsa nuditate, ipsa cauda Pharaonum sunt exculpti. Quin *M. Ulpius Nerva Traianus Dacicus*, *Germanicus*, *Parthicus* in monstrosa *Sphinge* Aegyptia est agnoscendus, eo ipso pacto, quo ab *Apollonio Tyaneo* Aegyptum lustrante in *Leone* agnitus est vetus Rex *Amasis* Saita. Tum *Obeliscus Pamphilius* tribuitur *Domitiano*, *Barberinus Hadriano*, et alii tres vel quatuor minores aliis Romanis obscuris et fere ignotis: Et haec affirmantur, constituuntur, praedicantur 1. Silentibus omnibus Scriptoribus Latinis, Graecis, et Iudaeis: 2. Aegypto Romanis absque impetrata venia, quasi praedium esset et ager occupatus, clausa, et acriter *Germanico* increpito, quod laudabili curiositate reliquias Thebarum voluisset oculis ad paucas horas lustrare et invisere. 3. Sacerdotibus paucis, despectis, invisis, dissipatis, Thebis eversis, Heliopoli deserta. 4. Exercitu magno, externo, aspero in Nomis Aegypti

collocato. 4. Vectigalibus immanibus Genti impositis: 5. Vetere Religione Aegyptia penitissime Romanis ignota. 6. Scripturâ Hieroglyphicâ Imperatoribus, Doctis, Populo incompertâ: 7. Et aliis etiam difficultatibus obstantibus, quas recensuimus in Disput. de *Obelisc. Hermapionis* Pag. 159. ad 165.

4. Quarto, quia per *Systema Alphabeticum Champollioni* omnes *Scriptores* veteres *Hebraei*, *Graeci*, *Latini*, qui per decem circiter saecula res *Aegyptiorum* attigerunt, excepto nullo, fiunt vel omnium hominum ineptissimi et stolidissimi, vel omnium bipedum impurissimi et mendacissimi. Nam haec sunt *Axiomata* praecipua *Champollioni* ex Precis Pag. 278. 279. 327. 358. etc.

1. Ex tribus partibus cuiuscumque *Monumenti Hieroglyphici* duae saltem constant *Literis* veris *Alphabeticis*, quibus voces et soni *Linguae* communis et popularis, nempe *Copticae*, exprimuntur.

2. *Scriptura* Aegyptiorum *Hieroglyphica* non arcana, non cryptica fuit, sed omnino publica, communis, quam discebant omnes, quibus lubitum erat, ex quacumque classe et ordine Civium.

3. In *Ellipsibus Hieroglyphicis* Monumentorum, et in ipsis seriebus et ordinibus *Ellipsium* clauduntur nomina, praenomina, tituli, epitheta *Regum Aegyptiorum* a vetustissimis *Pharaonibus*, puta a XV. *Dynastia* Manethonis usque ad *Commodum* Caesarem: Adeo ut ex. gr. *Tabula Abydi*, de qua egit ipsemet *Champollionus* in suo Precis Pag. 245. Edit. 1824. et pag. 295 296. Edit. 1828. et Epist. I. ad Ducem de Blacas Pag. 14. 15. 88. 89. etc. Epist. II. pag. 12. 13. etc. et *Figeacus* frater Append. ad eamd. Epistol. Pag. 135. 136. 137. etc. *Sanquintinus* in

Descriz. del Colosso di Turino Pag. 13. 14. etc. Et cuius Ectypa protulerunt *Caillaud* in suo Itinere ad Meroen. Vol. II. Tab. LXXIII. *Champollionus* ad Cit. Epistol. *Bankes* in Essai sur le System. des Hieroglyph. Phonetiq. de M. Henry Salt. Tab. I. *Burton* in Excerpt. I. Hieroglyph. Plate 1. *Klaproth.* in Observat. Critiq. sur l'Alphabet. Hieroglyph. Tab. XXXVI. sive II.: habenda nempe sit huiusmodi *Abydi Tabula* ut series genuina *Pharaonum*, ut successio vera *Regum Aegyptiorum*, ut series genealogica *Personarum* verarum, quae *Aegyptiis* imperassent, et quidem ante Sesostrim magnum, quem XV. saeculo Pro-hristiano regnasse ponunt Alphabetophili, et ex Regibus XVI. XVII. et XVIII. Dynastiae Manethonis illam suam seriem beatissima securitate componunt.

4. *Dramata Hieroglyphica*, Scenae Parietibus et Monumentis insculptae sunt plerumque *Cyrioschematicae*, *Historicae*, quibus gesta, facta bellica, opera socialia, et civilia *Regum* sunt insculpta; quae necesse fuit sciri, intelligi, explicari a plerisque ex ipso vulgo *Aegyptiorum*.

Quibus *Datis*, et concessis, data quoque sunt necessario eadem vel simillima *Regum* Latercula, eaedem narrationes de auctoribus Monumentorum, eaedem opiniones de successione *Regum*, et factorum praecipuorum. Et propterea absoluta necessitate fieri debuisset, ut si centum *Hebraei*, centum *Graeci*, centum *Latini*, qui Aegyptum adiissent, et ex *Sacerdotibus* potissimum *Aegyptiam Archaeologiam* collegissent, si quid humanae rationis in eis adfuisset, si quid tenuissimum lumen ingenii, si qua fides, si qua probitas, ut ut pandiculantes, ut ut oscitantes eos Mo-

numenta et Sacerdotes consuluisse ponamus, profecto consensissent in *Nominibus Regum*, consensissent in *numero*, consensissent in *ordine*, consensissent in *factis* et *gestis* praecipuis, consensissent in *operibus* et substructionibus, et quod magis est tradidissent plurima, narrassent innumera de Regibus, de Sacerdotibus, et de ipsis Numinibus et Diis, qui fundamentum *Scripturae* efficiunt.

Atqui contra haec constant. Primum ab aetate Amasidis Saitae, vel si vis Darii Hystaspidis ad IV. vel V. saeculum Christianum extitisse plures et solertissimos Viros Graecos, Latinos, Syros, qui *Aegyptum* petierunt, qui monumenta Aegyptia multâ curâ et diligentia lustrarunt, qui cum Sacerdotibus Aegyptiis diu multumque versati sunt, ut Historiam et Archaeologiam Regionis nossent, et tenerent: eiusque rei testes esse Herodotum, Platonem, Diodorum, Strabonem, Plinium, Aristidem, Philostratum, Tacitum, Ammianum, aliosque plures: 2. Secundum, quod Historia Aegypti ita obscura et incerta, ita confusa, absurda, improbabilis, ita vacua et inanis, elementis tam diversis constans per hos ipsos multos, plurimos, praestantissimos Viros *Graecos*, *Latinos*, *Iudaeos* ad nos pervenit, ut vix credi possit. Nullum est *Templum* cuius conditores sint certi; nullus *Obeliscus* cuius auctor sit notus; nullum *Sepulcrum* Regis, cuius sit notum vel nomen vel aetas; nullus *Rex* cuius Nomina sint certa, cuius gesta, aetas, Chronologia nota sit et explorata. Si in Regimine Castico, ascetico, mystico nulli esse potuerunt Libri Historici originales, nulli Commentarii Chronologici, nulli Annales proprie dicti, nullae Regum et magnorum

Virorum vitae historice et copiose descriptae, nulla Dramata vere et proprie Historica et Cyrioschematica; si Scriptura Hieroglyphica abstrusa, et ardua fuit ipsis Sacerdotibus, si penitus Plebi et Vulgo inexplicabilis, si pauca in ea et difficillima inventu lumina Historica et Chronologica potuerunt condi et reponi; si in *Ellipsibus Hieroglyphicis* non *nomina Regum* Demotica, sed *Stemmata Deorum* continentur, si in seriebus *Ellipsium* non Latercula *Regum*, sed *Litaniae* quaedam *Deorum*, et *formulae Liturgicae* exhibentur, si *Reges* caruerunt nominibus Civilibus solemnibus, et *Nomina* popularia *Sacerdotes* et Vulgus frequenter immutarunt et perverterunt, ut esse omnino tenendum innumera et invicta demonstrant; tum salva res est, salva probitas, salva fides, salva sollertia, salva diligentia praestantissimorum Virorum Hebraeorum, Graecorum, Latinorum. At si verum est Systema *Champollioni*, si verum est tonsorum, et navicularioram Coptitarum filios novisse et intellexisse *Scripturam Hieroglyphicam*, quâ *Latercula Regum*, et eorum facta et gesta apertissime erant et ubique descripta, tum perspiciendum est serio in qua fungorum et stipitum classe *Herodotus*, *Eratosthenes*, *Diodorus*, *Strabo*, *Josephus Flavius*, *Tacitus*, *Clemens Alexandrinus*, aliique innumeri sunt collocandi, et potissimum *Manetho* ille *Sebennytes*, quem pro suo inexplicabili ingenio ad coelos tollunt *Alphabetophili*, quum omnium fungorum deterrimum, omnium hominum stolidissimum vel nequissimum affirmare et praedicare debuissent. Nam ubi Tonsorum filii Historiam Aegyptiam a prima Dynastia, si Diis placet, ad XXXII. et Graecam prae digitis callebant, et omnibus recitabant, *Manetho* is summus Sacer-

dos, custos omnium Templorum, et Archivorum postquam plures annos iussu Regis potentissimi, et literatissimi ad conficiendam Historiam Aegyptiam insumsisset, vacua fere et inania quaedam Latercula tantum promere scivit, et per omnia ferme a reliquis, quae Graeci per decem saecula paraverunt discrepantia, et ex quibus *Laterculis Alphabetophili*, vix sex, vel septem simulacra *Nominum* congruentia cum Monumentis, ut ipsi aiunt, potuerunt deprehendere, et ex quibus si *nomina Ramessis*, et *Thutmosis* expungas, quae esse expungenda in Disput. de Obelic. Hermap. Pag. 116. 118. demonstravimus, vix aliquid restat, quod teneas ex plusquam centum nominibus Regiis, quae *Manetho* iste produxit. Utque id exemplo noto et manifesto firmemus, sumamus, obsecro, *Dynastiam* illam XVIII. celeberrimam, illam, de qua fere una, prorsus una per septennium disserere non cessarunt, omnes *Alphabetophili* Galli, Angli, Itali, et quam ex Monumentis restitutam, ex *Obeliscis*, ex *Parietibus* Templorum plurimorum, ex *Stelis* collectam praedicarunt *Champollionus* uterque Epistol. I. ad ducem Blacas. Pag. 25. 26. etc. et pag. 107. *Sanquintinus* sul Colosso Pag. 12. 13. *Klaprothus* Obser. p. 27. et conferamus cum Dynastia illa *Manethonis*, cum illa Sacerdotis Aegyptii, quam servarunt *Josephus Flavius* in Apion. 1. Pag. 1052. *S. Theophilus* in Autolyc. Libr. III. Pag. 129. 131. *Africanus*, et *Eusebius* apud Syncellum pag. 56. 57. 58. ed. Venet. *Eusebius* ipse, et *Syncellus* in sua propria Chronographia, et mutuo conferamus. Atqui impossibile est maiorem discrepantiam mutuam dari posse: Et contra quis hic non expectasset plenum consensum inter *Manethonem*, et *Alphabetophi-*

*los*? Quis eadem XVII. *Nomina* apud utrosque non flagitasset? Quis non expectasset invenire in *Laterculis* Alphabetophilorum *Chebronem*, *Amensem*, *Misphragmuthosin*, *Misphren*, *Acencherem*, *Acherrem*, *Armaim*, et alios reliquos Reges huius Dynastiae? Quis ipsos apices unos apud utrosque non quaesiisset? Atqui impossibile est, ut dicebamus, Latercula eorumdem Regum gravius discrepare: Quum longe minor discrepantia sit inter *Latercula Regum* Hispanorum, Neapolitanorum, Siculorum, et etiam Gallorum, et Anglorum mutuo collata.

Aiunt quidem id factum quia *Reges* Aegyptii fuerunt *Polyonymi*. At erantne omnia *Nomina Regum* Monumentis insculpta, annon? Si erant, fungus *Manetho*, qui non vidit, quae videbant Filii Tonsorum. Si non erant omnia, etiam fungus, quia praetulit *Nominibus* Monumentorum vulgaria et demotica, et semper fungus, quia ex centum *nominibus Regiis* plusquam nonaginta ne per monstrosa quidem simulacra in *Monumentis* potuerunt invenire *Alphabetophili*.

Ut igitur a nova ista et pessima infamia, ut a nequissima ista calumnia omnes veteres *Scriptores* Graecos, Latinos, Judaeos, et Aegyptios tuerer et vindicarem, necesse fuit me omnem operam ponere, ut ipsa fundamenta et radices imae *Systematis Alphabetici* penitus eruerentur et disperderentur, quod in Libr. II. Sect. III. Pag. 177. ad 207. et Disquisitione de *Obelisco Hermapionis* me peregisse sperare licet.

XII. Tum utile duxi plura animadvertere et opponere in Interpretationes *Alphabeticas* Inscriptionum *Cuneoformium* Libr. II. Sec. IV. Pag. 249. ad 276. 1. Primo quia ex Disquisitionibus

meis colligebam *Scripturam* hanc habendam esse ex maxime abstrusis, ex maxime crypticis, quae ab ingenio humano condita umquam fuissent, et propterea pigebat deprehendere omnes Viros doctos, qui eam attigerant in diversam viam abire, a qua nihil boni posse expectari arbitrabar. Quamobrem ut ad minimum ab illa firma securitate *Alphabetica* aliquantulum eos excuterem, ea contuli et obieci. 2. Secundo, quia Auctores *Interpretationum Alphabeticarum* nil prorsus praestiterant, quo opinionem suam facerent probabilem et verisimilem. Nam qui vellet modo suadere, quod in *Parietibus Persepolitanis* inveniantur *Elogia Regum Persarum Achaemenidum Lingua Zendica* descripta necessario deberet praestare et praestituere: 1. Primo *Physiosophiam Scripturae Cuneoformis*, qua luculenter pateret, quod possit et debeat haberi *Alphabetica*. 2. Secundo *Aedes Persepolitanas* conditas fuisse ab *Achaemenidis*. 3. Tertio *Linguam Zendicam* esse plane veterem *Linguam Pharsistanae*, qua erat *Persepolis*, vel saltem saepe prae ceteris ab *Achaemenidis* adhibitam in Aula, et in magnis negotiis. 4. Quarto *Linguam Achaemenidum*, cuius supersunt plusquam ducentae vel trecentae voces, esse omnino *Zendicam*, non *quatuor* vel quinque *vocum* comparatione et etymo, sed *omnium* vel *fere omnium* superstitum, adiecto insuper profundo examine similium *Vocum* desumtarum ex Lexicis *Abissinorum*, *Berberum*, *Latinorum*, *Samaritanorum* etc. inter quas Gentes fuisse olim dispersas magnas *Persarum* Colonias certum est. etc. Atqui nemo quem sciam ex defensoribus *Alphabeti Cuneoformis* has quaestiones vel alias plures similes attigit et tra-

etavit. Utinam autem ego circa hanc *Scripturam* decipiar! utinam ratio et veritas sit cum *Alphabetophilis Cuneogrammatum!* Nam haec *Cuneogrammata* mihi sunt desperatissimae fere difficultatis, et de quorum natura intima et penitiore ne opinione quidem et coniectura, potui aliquod *Tentamen practicum* instituere, quo vel ad captum meum adquiescerem. Nam absque Monumentis bilinguibus, vel aliqua ex parte explicatis impossibile puto de Scriptura huiusmodi rationali modo divinari. Atqui in celebri illo *Vasculo Comitis Caylus* Recueil Tom.V. Tab.XXX. *Hieroglyphica inscriptio* ita corrupta est, et obscura, ita evanida, ut mihi impossibile fuerit aliquid certi inde extundere et coniicere: Et aliud eiusdem vasculi Ectypum, quod edidit de *Murr* in Iournal zur Kunstgeschichte an. 1777. Tom. IV. Pag. 147. est plane simile. Verum quidem est *Champollionum* iuniorem in Tableau general du Precis n. 125. *Hieroglyphica* evidentia clara et accurata protulisse: sed impossibile est *Comitem* illum *Caylus* doctissimum et diligentissimum virum Monumentum suum tam insigniter corrupisse, vel ita neglexisse, ut monstrum potius ederet. Atqui contra rumor est *Champollionum* iuniorem plura sibi in vetera Monumenta permittere. V. *Klaproth* in Observat. Critiq. sur l' Alphabet. Hierogl. Pag. 26. 27. 36., etc. Et si *Saint-Martin* in Journ. Asiat. T. II. Pag. 57. an. 1823. Ectypum *Champollioni* protulit, quum in re propria nemo testis sit idoneus et aequus, non adhuc potui his *Schematibus Hieroglyphicis* acquiescere et fidere. Et propterea aequum est ut novis curis et pluribus testibus *Vasculum* illud pretiosum edatur et illustretur. Profunda analysis *Scripturae*

Sinensis *Oligotypicae*, quae servatur in *Y-King* summi adiumenti esse posset ad tentanda *Cuneogrammata:* Sed tam pauca sunt, quae de hac Scriptura literati Europaei *Freret*, *Visdelu*, *Bouvet*, *Paw*, aliique retulerunt, ut vix mentione aliqua digna sint. Utinam inveniatur modo aliquis *Sinologus*, qui ex praestantioribus Commentariis obscurissimi Libri praecipua excerpat, et opportuna interpretatione adiecta in lucem edat.

XIII. Exclusâ igitur Scripturâ Ideographicâ, exclusâ Alphabeticâ a *Scripturis* Veterum *Crypticis* et *Sacris*, una, prorsus una, quae convenire posset, restabat *Lexeographica*: Et hanc profecto unam revera convenire ostendimus *Scripturae Emblematicae* et *Theographicae* Lib. II. Sect. I. Pag. 109. ad 119. *Hieroglyphicae* et *Hieraticae* Aegyptiorum Sect. II. Pag. 161. 176. *Polygraphicae* et *Oligographicae* Sinensium Sect. IV. Pag. 213. ad 223. *Cuneoformi* Chaldaeorum, Medorum, et Persarum Sect. V. Pag. 277. ad 282: et ita quidem, ut aeque aperte et evidenter constaret omnes has *Scripturas* abstrusa methodo, profunda arte, mira sollertia ab Auctoribus suis fuisse condita et constituta. Quam abstrusam et difficilem naturam harum Scripturarum ita aperte et manifeste indicat vel levis Elementorum suorum consideratio in quocumque Systemate possibili, ita suadent loca innumera Veterum *Scriptorum*, et extrema paucitas interpretationum, ut numquam animo capere potuerim, quomodo *Scripturam* singillatim *Hieroglyphicam* Aegyptiorum *Warburthonus*, et *Malespeines* in Essai sur les Hieroglyph. Tom. I. Pag. 88. 89. 90. *De Brosses* Mechan. du Langag. Tom. I. pag. 358. 359. *Eques de Jaucourt* in Encyclopaed. Art. Hieroglyphes:

*Blair* Cours de Rhetor. T. I. pag. 206. 207. *Pahlin* et *Lanjuinais* in Magasin de Millin ann. 1805. Novem. Pag. 30. *Abel-Remusat* in Journ. des Savans 1821. Avr. pag. 209. 210. *Champollionus* Precis Pag. 279. 358. 359. *Seiffarth* in Hieroglyph. Aegypt. Pag. 4. *Matter* in Hist. Crit. du Gnosticime Tom. II. Pag. 5. aliique plures potuerint affirmare non arcanam, non mysticam, non arduam, non difficilem, non peculiarem, et propriam Sacerdotibus, sed communem omnibus extitisse, adeo ut, qui ex ima Plebe, qui ex navicularіis et tonsoribus voluisset Scripturam Hieroglyphicam discere, nosse, explicare, docere, facile et plane potuisset. At iiqui putant *Scripturam Hieroglyphicam* per notas aliquas et evidentes *congruentias Ideographicas*, per tropos et metaphoras manifestas *Idearum* compositam fuisse, hi profecto tum naturam, elementa, et formationem *Scripturae Ideographicae*, et Polygraphicae prorsus ignorant, tum leges et conditiones *Scripturae Aegyptiae Hieroglyphicae* penitus nesciunt. Qui porro putant *Scripturam* huiusmodi esse facilis et planae formationis, facili et plana methodo conditam fuisse, et conditam posse explicari, infantes sunt in his Studiis, numquam *Monumenta Aegyptia* rationali cura expenderunt, numquam leges et conditiones, quibus *Scriptura* huiusmodi constat, considerarunt. Nam, ut saepius diximus, in quocumque Systemate possibili aspera et ardua Methodo conditam fuisse evidens est. Et certe qui *Systemata* a *Deguignesio*, *Champolliono*, *Seiffartho* proposita difficilia et aspera non habuerit, plane quid sit difficile et arduum non sentit, nec novit; quia sunt etiam *impossibilia*, quia impossibile penitus est unum versiculum

ex. gr. *Tabulae Rosettanae Hieroglyphicae* certo et definito modo horum *Alphabetorum* ope legere, ut Lib. II. Sect. III. Pag. 205. 206. et alibi ostendimus. Qui tandem volunt *Scripturam Hieroglyphicam* quibusvis Aegyptiis manifestam, ipsi Vulgo Aegyptiorum notam, et contra ignotam praestantissimis et summis Viris Graecis, Syris, Latinis, qui per decem integra saecula ad Aegyptum navigarunt, et Monumenta lustrarunt, et Sacerdotes, ut discerent Historiam Aegypti obtuderunt, et ipsi contra qui id dicunt ne versiculum quidem umquam Monumenti Hieroglyphici potuerunt rationali examine explicare, hi omnium bonorum studiorum sunt dicendi expertes, et ad veritatem adsequendam vix habiles. Nam quid facies illi, qui ignorat leges et oeconomiam *Regiminis Castici* et *Sacerdotalis*? Quid facies illi, qui ignorat Regimen *Aegyptium* fuisse *Casticum* et *Sacerdotale*? Quid facies illi, qui vel ignorat, vel spernit auctoritatem invictam, et insuperabilem *Scriptorum* decem saeculorum, qui crypticam, abstrusam, arcanam, mysticam, unis Sacerdotibus propriam *Scripturam* illam constantissime praedicarunt? Quid facies illi, qui peritiam *Scripturae Hieroglyphicae* tribuit Navicularii et Tonsoris filiis, et negat Alexandrinis, negat Graecis, negat Latinis omnibus dominis omnium tonsorum et naviculariorum Coptitarum, quos Graecos et Romanos ut Deos, ut Numina, quibus ignota esse non poterat *Scriptura Hieroglyphica*, Aegyptii universi adorant et colunt prostrati, positis Statuis, Altaribus, et Inscriptionibus etiam Hieroglyphicis? Verum quidem est hos aliosque obiicere frequenter et ingerere nobis non posse haberi *Cry-*

*pticam*, *arcanam*, peculiarem, propriam *Scripturam*, quae in omnium ore, in omnium conspectu, in omnium oculis quotidie apponeretur: *Scripturam*, qua *Stelae, Obelisci, Parietes* Templorum publicorum implerentur, *Scripturam*, qua omnia *Signa*, *Sigilla*, *Icones* Deorum, et quae Vulgi manibus tererentur, exornabantur. Ita quidem. At nos iam Libr.I. Sect.IV. Pag.67. ad 71. plures caussas adnotavimus, ob quas *mystica* et *arcana Scriptura* poterat in publicis et manifestis *Monumentis* insculpi. Modo addimus *Scripturam Hieroglyphicam* Aegyptiorum habendam esse magna ex parte *Telesmaticam*, *Talismanicam*, *tutelarem*, *apotropaeam*, quae vis est illius versiculi M. Annaei Lucani: *Sculptaque servabant magicas animalia Linguas.* Et *Scripturas Talismanicas* et *Apotropaeas* apud omnes Gentes cuiuscumque aetatis et regionis fuisse et esse unâ publicas et crypticas, oculis omnium expositas et inexplicabiles, manibus omnium traditas, et formis, figuris, vocibus, Lemmatibus, Literis arcanis, ignotis, plerisque incompertis expressas: Cuiusmodi fuerunt *Grammata Ephesia*, sive lineis et figuris, sive literis expressa, *Formulae Medico-Magicae*, quas servarunt *M. Cato*, *Q. Serenus Sammonicus*, *Alexander Trallianus*, *Marcellus Empyricus*, aliique; *Hierogrammata Abraxea*, *Sigilla* plura *Syrorum*, *Judaeorum*, et *Arabum*, atque ita porro. Praeterea etiam modo inter nos plurima *Emblemata*, plurima *Stemmata*, plurima *Dramata*, quorum vim et potestatem plerique nec capiunt, nec poterunt umquam capere, oculis omnium subiiciuntur: quotidie *Numismata* signis et symbolis allegoricis et obscuris Plebis manibus traduntur, quorum *Ty-*

*porum* vim Plebs nec intellexit umquam, nec umquam capiet: quotidie apud nos *Inscriptiones Latinae* oculis omnium subiiciuntur, in publicis locis exponuntur, quas ex centum partibus Populi plusquam nonagintanovem nec capiunt, nec capient umquam: Typis publicis eduntur profundissimae *Theoriae Astronomicae*, *Algebricae*, *Geometricae*, *Metaphysicae*, *Politicae*, quorum singulas vix decem aut quindecim inter mille myriades hominum capiunt, et intelligunt. In *India* plurimae *Inscriptiones* positae fuerunt *Lingua Samscritica*, quas praeter haud plurimos sive *Brachmanes*, sive *Buddistas*, qui posuerunt, reliqui universi *Ciattriae*, *Vaishiae*, *Sudrae* ad decem millia myriadum nec legerunt, nec legere umquam potuerunt. Atqui in *Regimine Castico* perfecto, ut fuit *Aegyptium* vetus ante Cambysem, *Casta Sacerdotalis* fuit pars aliquota satis insignis totius Populi, puta decima, vel vigesima: Et propterea si quarta tantum pars *Castae* et *Ordinis Sacerdotalis* fuit in *Scriptura Hieroglyphica* instructa, et satis capax ad partem saltem *Hierogrammatum* intelligendam, palam est fuisse plures ex *Aegyptiis*, debita proportione servata, qui Sacrum *Drama*, et *Stelam Hieroglyphicam* intelligerent, quam sunt modo ex *Europaeis*, qui *Inscriptionem Latinam* intelligant, et plane capiant. Quamobrem, etsi de *Crypticismo* Veterum *Theologico* tam obvia sint, tam frequentia testimonia Scriptorum, ut nemo esse possit, qui levi labore plurima sibi non adnotet ex *Herodoto*, *Diodoro*, *Josepho Flavio*, *Aeliano*, *Apuleio*, *Pausania*, *Plutarcho*, *Aristide*, *Clemente Alexandrino*, *Porphyrio*, *Jamblicho*, *Eusebio Caesariensi*, *Jul. Firmico*, *Macrobio*, *Juliano*

*Caesare*, *Martiano Capella*, *Cyrillo Alexandrino*, aliisque plurimis, etsi multi ex recentioribus pro data opportunitate, non pauca saepe adnotaverint, veluti Kircherus, Brukerus, Iablonskius, Villoison, B.Constant, etc. quum tamen inveniantur adhuc ingenia satis audacia, quae vel negligere, vel contemnere, vel ignorare ea videantur, et adeo adolescentiorum solidae instructioni plurimum obsint et noceant, esset vehementer exoptandum, ut qui haec studia colit et amat data opera et prolixo studio colligat et congreget ex omnibus veteribus *Scriptoribus* huius *Crypticismi* loca praestantiora, et *Tractatum* plenum, atque omnibus doctrinae luminibus exornatum, illumque longe utilissimum, et dicam necessarium condat de *Disciplina Arcani apud omnes Veteres Gentes*. Nam tempus est ut demonstretur de *Mundo*, quod olim Sallustius Philosophus scribebat Cap. III. p. 246. ἐξεςι γαρ και τον Κοσμον Μυθον ειπειν: *Licet Mundum* Veterum Gentium *Fabulam appellare*.

XIV. Definitâ naturâ *propositarum Scripturarum* facillimum mihi fuisset, et levissimi negotii res extitisset definire etiam *Linguam* et *Lexicum* earum fundamentale. Nam quum demonstrassem omnem *Scripturam* veterem, crypticam, et sacram fuisse *Lexeographicam*, et omnem *Scripturam Lexeographicam* et *Polygraphicam* condi non potuisse nisi per *Linguam Temuricam* et *Homiophonicam*, facili et levi examine statim patuisset unam *Linguam Semiticam*, eamque veterem et puram esse *Temuricam* et *Homiophonicam*, adeoque unam idoneam et necessariam ad illarum *Scripturarum* compositionem, ut contra prorsus ineptas et inopportunas *Linguas* re-

liquas quascumque, *Copticam*, puta, *Samscriticam*, *Graecam*, *Latinam*, *Scaldicam*, et ita porro. At quum iam a saeculo XVII. auctore potissimum *Athanasio Kirchero*, *Prodromo Coptico*, et *Scalis Copto-Arabicis* editis, invalescere coepisset opinio *Linguam Ecclesiae Copticae* esse *Linguam* veterum *Aegyptiorum*, Linguam ipsam Pharaonum, Linguam *Sacerdotalem*, *Hierophanticam*, *Hieroglyphicam*, iam tum Archaeologiae Aegyptiae cultores per *Etyma Coptica* Theologiam et Historiam veterem *Aegyptiorum* explorare etsi frustra conati sunt, additisque deinceps tentaminibus *Pfeifferi*, *Piquesii*, *Bonjourii*, *Wilkinsii*, *Lacrozii*, *Jablonskii*, *Forsteri*, *Georgii*, *Mingarelli*, *Didymi Taurinensis*, *Zoegae*, *Rossii*, *Quatremerii* etc. eo res hac nostra aetate rediit, ut si quis *Semitophilus* attingere visus fuisset per *etyma Semitica Aegyptiam Archaeologiam*, quasi in communem hominum sensum peccasset, quasi nescio quam absurdissimam et ineptissimam rem fuisset molitus contemneretur vel irrideretur, ut videre est in *Journ. des Savans* an. 1821. Avril. Pag. 205. 206. in *Discoveries Thom. Joung*. P. 2. 3. 7. in *Precis de Champollion*. Pag. 373. 376. in *Edimbourg Review*. an. 1826. Decemb. Pag. 107. 108. etc. Neque porro hi *Coptophili* erant aliqui pauci et obscuri homines, sed Viri plane praestantissimi, et summa literarum gloria praediti, iique plurimi, et ingenti adeo numero, ut vix paucissimos non *Coptophilos* ex universis Literatis Europae Viris excipere modo possis et secernere. Hinc necessitatem mihi factam sensi gravius et prolixius totam hanc rem explorandi et excutiendi Libr III. Sect. I. Pag. 282. ad 340. nempe ut *Coptophili* a securis-

simo illo suo *Dogmate* per latum saltem unguem excussi velint potius Historiam pragmaticam *Linguae Copticae*, non verbo et praciudicio, non gratuitis illationibus, et vacuis vocibus, sed *Linguae Copticae Physiosophia*, sed interpretatione sincera Textus *demotici Tabulae Rosettanae*, quem peccato inexpiabili neglexerunt, sed *Papyrorum Demoticarum* analysi profunda, sed *Vocum Aegyptiarum* superstitum collectione sedula et comparatione diligenti, sed *Regiminis Aegyptii* naturae explicatione, ex Populi Aegyptii formatione, per prolixum examen condere et comparare. Quod si in hac *Disquisitione* acerbior visus sum in *Linguam Copticam*, id factum ob pertinaciam, et quasi coniurationem *Coptophilorum* adversus genuinam, quam nos tenendam esse arbitramur, *Aegyptiorum Archaeologiam*, non quod studium *Linguae Copticae* improbarem, vel pauci facerem. Imo profiteor me utilitatis summae ducere, et eius cultores et studiosos maximi habere, et quamvis mihi adhuc non licuisset detegere inter *Scripturam Hieroglyphicam* et *Linguam Copticam* insigne et manifestum vinculum, et nexum certum, possibile duco extitisse, et mihi valde probabile est, si minus plurima, certe plura vocabula in *Lingua Coptitarum* adhuc superesse, *a Hierophantis* condita, et Populo tradita, quibus ipsi secretas aliquas relationes inter *Obiecta* et *Schemata Hieroglyphica* firmarent *Cryptica* voce, et quam sibi veluti deposito Populus ad opus servaret. Ex. gr. probabile duco *Leonem* appellatum fuisse a Hierophantis in Lingua Populari *Moui* a Semitico מיא MIA, מוי MVI *Aqua*, quod *Leonis* Schemate in Hieroglyphicis saepe uterentur ad *aquam*, et inundationem significandam. Spathas

*Palmarum* dictas puto *Bais* a Sacerdotibus ab ישב ISCB sede, mansione, domicilio, et שבא SCBA, *Saba*, quia scilicet Hierophantae, tum revera *spathis* Palmarum sedes suas sternerent, tum quia Surculis huius arboris Stemma suum Gentilitium indicarent, quemadmodum iam animadvertimus in *Disquis. de Obel. Hermap.* Pag. 181. 182. et ideo vocem *Bais* ad aeternam memoriam servandam datam Populo, qui revera servavit. *Anserem* dictum a Coptitis *Kenesoi*, quasi esset Temura שא SCA sublimis nobilis, ניק NIQ filii infantis facta a Hierophantis, quia *Ansere*, Semitis בר-און BR-AVZ, sive בר-עז BR-OZ, filium fortissimum praestantissimum in Hieroglyphicis frequentissime significarent. *Lucem* a Sacerdotibus dictam puto *Oini* ab און AVN, אן AN Sole, anno, copia, abundantia, ut tam bonum omen, et significationem Typo proximam in Populari Lingua servarent et tenerent, etc. etc. Nexum vero intimum, constantem, perpetuum inter Polysemata sua, et Linguam suam Literatam instituisse *Samaneos* Sinenses putamus demonstrasse Libr. I. Sect. V. Pag. 85. 86. Libr. III. Sect. II. Pag. 344. 349., et Sect. V. Pag. 372. 374.

XV. De ista autem literata Sinensium Lingua plura adhuc erant addenda, eaque iam parata. Sed quum sentirem me non posse id recte praestare, - nisi et alia plura de formatione ceterarum Linguarum, et potissimum Semiticae purioris secundum captum meum superadderem, satius duxi omnia in alium Libellum reservare: Idque eâ insuper caussâ feci, quod possibile ratus sum praestantem aliquem *Sinologum* et *Sinophilum* inveniri, qui de *Historia Pragmatica Scripturae Sinicae*, quae ab Historia *Linguae Literatae*

secerni non potest, per hoc temporis intervallum pro dignitate ageret, et tractaret. *Historia* autem *Scripturae Sinicae*, quam hîc indicamus, haud illa est, quam narrarunt, vel attigerunt *Mailla*, *Freret*, *Cibot*, *Deshauterayes*, *Deguignesius* uterque, aliique non pauci: Sed omnino illa, quae ex certis et genuinis Monumentis, ex Libris veteribus et authenticis colligitur, et quae habetur per distinctam et profundam analysin omnium Elementorum, quibus *Scriptura Sinica* constat, perque gravissimum eorumdem Elementoru n examen institutum et probatum in omnibus veris et evidentibus *Varietat bus* huius *Scripturae Sinicae*, a saeculo, quo ista Quadrata, qua utimur, fixa constans et immota coepit adhiberi, usque ad saeculum supra *Scriptorum Classicorum* ad minimum. Atqui Elementa, quae in *Scriptura Sinica* considerare debemus sunt haec: 1. Forma et Figura *Sematum* Radicalium: Nam idem *Caput*, *Cor*, *Bos*, *Equus* possunt variis formis exhiberi, fierique quadrata, rotunda, mixta, etc. 2. Numerus *Sematum* eorumdem Radicalium, an *ducenta*, trecenta, quingenta. 3. Obiecta et ideae respondentes *Sematibus* istis Radicalibus: Sitne adhibitum *Caput*, an Venter; *Oculus*, an Lingua; *Canis*, an Felis; *Bos*, an Bubalus; *Equus*, an Ursus. 4. Compositio ipsa Polysematum, an ex istis plurima *duobus*, vel *tribus* tantum *Sematibus* componantur, an potius quinque, vel sex. 5. Voculae, Monosyllaba, vocabula Polysematibus adnexa quae, quot, qualia: an respondeant intimae *Polysematis* compositioni. 6. Numerus ipsorum *Polysematum* fundamentalium puta 540, vel 10,000, quae est res plane substantialis. 7. Lexica, Dictionaria, Libri, quibus *Scriptura* a Conditoribus suis collecta fuit, dispo-

sita, condita. 8. Usus Scripturae socialis, communis, literatus, continuus; an peculiaris, contractus, limitibus angustis coërcitus, 9. Methodus discendi, et docendi, tradendi, servandi. Et propterea omnino

1. Primo definienda est *Scriptura Li-sse* et *Li-chu*, sive Scriptura solemnis adhibita sub *Tsin-Chi-Hoang-ti*, quam diversam a praecedentibus omnes tradunt, et qua nescio quos veteres Libros conversos volunt, et quae propterea parens et fundus huius praesentis *Scripturae Kiai-Chu* habenda est. Est tamen plane necessarium eam argumentis certissimis definire, quia plurimi in diversas opiniones abeunt, adeoque necesse pariter est ducenta vel trecenta Polysemata huius *Scripturae Li-ssè* et *Li-chu* distincta analysi cum respondentibus Polysematibus praesentibus comparata edere, et in omnium notitiam tradere.

2. Idipsum sed maiore etiam cum fide, industria, et sollertia faciendum est de *Scriptura originali* Scriptorum Classicorum; omniaque elementa Scripturae superius indicata sunt in eâ singillatim invenienda et demonstranda.

3. Hinc ex alia parte condenda est *Historia Palaeographica* illius *Scripturae Curvilineae*, quam *Tchuan* appellant, quaeque in Nummis, et Vasis conspicitur: Definiendusque est numerus *Polysematum*, an scilicet pervenerit ad 10,000, et quot adhuc colligantur: an omnia *Polysemata* possint Scripturae praesenti per analysin intimam comparari, et in Voculis ipsis, et Monosyllabis conferri. Tum aetas, Conditores, Scriptores, Lexica sunt definienda subtilissima cura.

4. Idipsum et longe maiore diligentia praestan-

dum est quoad *Scripturam* dictam *Ta-Tchuène*, et quae tribuitur *Tcheou-Siven-vang*, et quam servari adhuc ferunt in novem *Cylindris lapideis* Pekini, quorum *Ectypa* a praestantissimo P. Mailla Parisios missa Freretus vidit, et consideravit. In ista autem *Scriptura* singula illa Elementa sunt investiganda, et omnia certis argumentis demonstranda. In hac enim *Historia Palaeographica* tota vetustas, tota magnitudo, tota excellentia Imperii Sinici clauditur. Adeoque definiendus est numerus Polysematum an consistat in 540. an ultra excurrat, et ad 10,000 pervenire possit. Tum definiendus est numerus etiam *Sematum* radicalium, et videndum an ducenta tantum, vel plura fuerint. Tum determinanda obiecta et Ideae, quibus respondent, Voculae et Monosyllaba, quibus exprimuntur, Lexica quibus tradi, doceri, servari necesse fuit, et ita porro. Utinàm praestantissimus *Abel-Remusatus*, quem de simili Re *Praef. ad Centur. Sinogrammatum* Pag. XXVI. oravi, velit ad has etiam *Disquisitiones* animum appellere, et vera elementa Fidei et realia fundamenta *Historiae Sinicae* ponere: Vel Discipulos suos et Collegas ad haec studia prorsus necessaria hortari et impellere. Utinam et Symbolàm suam ad Palaeographiam istam velint etiam adponere doctissimi Angli, inter quos plurima laude literaturae Sinicae vel nuper floruerunt vel adhuc florent Milne, Marshman, Staunton, Morrison, Davis, aliique.

XVI. Exclusa a *Monumentis Hieroglyphicis Lingua Coptitarum*, et ceteris adeo *Japeticis*, et *Chamiticis* a quacumque alia *Scriptura* veterum *Sacra* et *Cryptica*, ut clariore adhuc argumento ostenderem unam *Linguam Semiticam*

puriorem posse in eis inveniri et detegi comparationem tandem apposui Libr. III. Sect. IV. Pag. 359. ad 374. inter Characteres et proprietates *Linguae Semiticae originalis*, et *Scripturae Hieroglyphicae*, ut pateret luculenter Typum primum et Exemplar originale *Scripturae Hieroglyphicae* esse non potuisse nisi ipsam *Linguam Semiticam* puriorem. Quo facto, putavi absoluta iam esse *Fundamenta Hermeneutices Hieroglyphicae*, et posse his *Disquisitionibus* modum hoc volumine imponi.

XVII. Erunt fortasse plures, qui mirentur, quod quum ego omnem *Scripturam* Veterum *Sacram* et *Crypticam* per *Lexeographiam Semiticam* explicandam esse contendissem, huius porro *Lexeographiae* nec Canones, nec Praecepta, nec Regulas ostendissem, contentus omnia duabus tantum vocibus *Temura* et *Homiophonia* clausisse et condidisse. Ita quidem: At disserere plura de ista *Temura* et *Homiophonia* his in Libris nec necessarium, nec aequum erat: 1. Primo quia classicum illud et praecipuum Elementum *Lexeographiae* nempe *Temura* nec Praeceptis nec Canonibus ullis eget, quum una eius definitio vel puerulis satis sit: et ubi quis novit Vocabuli ex: gr: שפר SCPHR esse *Temuras* שרף SCRPH, פשר PHSCR, פרש PHRSC, etc. omnia novit, nec quid ultra requiritur 2. Secundo, quoad *Homiophoniam* Regulae generales paucae sunt, faciles, clarae, inque ipso *Nomine* clauduntur: peculiares sunt plures, sed de eis praestat agere in peculiaribus et singularibus locis. 3. Tertio, ut de ista *Homiophonia* hic aliqua cum distinctione tractarem, opus fuisset de Pronuntiatione singularum literarum *Alphabeti Semitici*, vel saltem *He-*

*braici* tractare, quod inopportunum, et fere extraneum his *Disquisitionibus* genericis adhuc et tantum fundamentalibus; et quod satius et opportunius agetur, Deo dante, in *Tractatu* de *Grammatodynami* vocum Hebraicarum. Qua occasione liceat mihi Lectores monere, ne dum cernant Literis Latinis *voces Hebraicas* sive his Libris, sive in aliis *Opusculis* nostris expressas putent me voluisse pronuntiationem *Literarum Hebraicarum* penitus definire, et adeo habere me א esse A ipsum, ה esse E, et ע esse O etc. Nam quamvis elementa propiora selegerim, haud tamen puto saltem in pluribus literis Latinis pronuntiationem veterem et puram Literarum Hebraicarum plena similitudine exprimi. Illas autem *Latinas Literas* adposui duplici et, mea opinione, gravissima caussa: Primum scilicet, ut etiam illi qui *Literas Hebraicas* ignorant habeant formam aliquam et quasi simulacrum *pronuntiationis*, quo possint utcumque literatae suae curiositati satisfacere; secundo, ut etiam Doctis *lectio vocum* Semiticarum firmaretur, fieretque certior, et manifestior. Ad propositum autem rediens dico quarto loco, quod si quae sunt Praecepta et Regulae *Homiophoniae Lexeographicae* satius, facilius, et utilius ipsa praxi, ipsa Monumentorum interpretatione, et analysi produntur et ostenduntur. Quamobrem plura *Tentamina practica* paravimus, ad quae paulo post provocabimus. Quod, si tu, Lector, omnino flagites hic in vestibulo aliqua elementa prima huius *Homiophoniae Lexeographicae*, haec habeto:

1. Omnium primum *Literas Alphabeti Hebraici* in *Aspirationes vocalicas*, quae sunt א A, ה E, ע O, ו V, י I, et ceteras *Consonas* discernito.

2. Tum *Consonas* literas per Organa eas gignentia tribue: Scilicet in 1. Labiales puras ב B, פ PH.
2. Labialem nasalem מ M.
3. Dentales-Linguales ד D, ט TH, ת T.
4. Dentales stridulas, vel mixtas ז Z, צ TZ.
5. Sibilantes vel mixtas ס S, ש SC.
6. Linguales-Palatinas ל L, ר R.
7. Nasalem נ N.
8. Gutturales ג G, ח C, כ K, ק Q.

3. Hinc *Aspirationes vocalicas* omnes habeto *Homiophonas* praesertim priores א A, ה E, ע O, quia sunt eiusdem Organi, nempe Gutturis, Reliquae duae quum facile addantur vel auferantur vix aliquod obstaculum quandoque faciunt ad *Homiophoniam* constituendam et agnoscendam.

4. *Consonas* eiusdem Organi *Homiophonas* habeto, tum quia revera tales evidenter sunt, tum quia similes effectus necessario sunt earumdem, vel similium caussarum.

5. *Consonas* diversorum Organorum habeto *Heterophonas*.

6. Si Organum gignens ex parte idem, ex parte diversum est, potes quandoque ut *Homiophonas* genitas Literas habere.

7. Ita *Homiophona* sunt ב B, et פ PH, *Heterophona* ב B, et ד D, quia aliud est *Organum* gignens; *Homiophona* ג G, ח C, כ K, ק Q, quia omnes ex Gutture fiunt. Sed quia saepe, ut loco suo dicemus, ג G est *Gia*, *Ge*, sive est litera dentalis, tum non erit ei *Homiophonia* plane legitima cum כ K, sed erit liberior, et adeo rarior. Erunt *Homiophona* ד D, ט TH, ת T, *Homiophona* invicem ז Z, צ TZ, *Homiophona* invicem ס S, ש SC, et adeo potes quandoque literis Dentalibus-Lingualibus ד D, ט TH, ת T facere *Ho-*

*miophona* ז Z , צ TZ , quia congruunt cum parte *Organi* genitoris.; sed numquam facies ס S , vel ש SC *homiophonon* cum ד D, ט TH , ת T , quia nec Organum est plane idem, et operatio Organi est plane alia, atque heterophonia est evidens: Attamen ס S , et ש SC facies saepe *homiophona* ז Z , צ TZ , quia revera sunt homiophona , et operatio *Organi* genitoris est similis, vel non multum dissimilis.

8. *Literas* Linguales-Palatinas ל L , ר R raro habeto *homiophonas*, quia operatio qua gignuntur, et sonus quem edunt multum discrepant.

9. Labialem-Nasalem ם M potius Linguali-Palatinae-Nasali ן N *homiophonam* facito , quam Labiali ב B , vel ף PH.

10. Literae duplicatae possunt simplici homiophonae comparari: Adeo ut ex. gr. סלל SLL possit conferri cum של SCL. Quin duae literae homiophonae possunt conferri cum una etiam homiophona , ita ut ex. gr. חכה CKE habeatur homiophonon קוה QVE , כוה KVE , et חכם CKM , חום CVM , קום QVM. habeantur homiophona.

Sed haec, ut dicebam, satius et melius ipsa Monumentorum analysi noscuntur, definiuntur, addiscuntur, quin probantur, vel reiiciuntur secundum variam amplitudinem, profunditatem, et difficultatem Hierogrammatum , quae sunt explicanda. Porro hic plura afferre nec iuvat nec decet.

XVIII. *Fundamenta* autem haec *Hermeneutica* tractari a me non potuerunt, nisi aeque prolixe et diu agerem de *Grammatodynami*, et *origine Linguae Semiticae* purioris. 2. De *origine* et *formatione* ceterarum illustrium *Linguarum Japeticarum* et *Chamiticarum*. 3. Nisi agerem de *origine* et *formatione* tam *Typorum Theologicorum*,

et *Pantheorum* Veterum Gentium, 4. Quam *Mythorum* et *Fabularum.* Quin aequum fuit, ne viderer intelligibilia tantum et speculativa amare, pro captu meo de aetate et Chronologia, de Patria, de Auctoribus ac Conditoribus 1. *Scripturae Megaloschematicae*, et *Theographicae.* 2. *Microschematicae* et *Hieroglyphicae* Aegyptiorum; tum 3. *Cuneoformis*, 4. et potissimum *Scripturae* communis et *Polygraphicae Sinensium*: 4. Quin de *Scripturae* Alphabeticae inventoribus primis et propagatoribus etiam agere et tractare. Quumque porro de his ipsis Obiectis obiter et leviter nonnulla in his Libris *Hermeneutices* indicassem, et mihi videretur plane necessarium alia nonnulla addere et appenere, ut saltem *Systema nostrum* plerumque receptis adversum Lector satius et planius caperet, et satius et planius etiam expenderet et examinaret, diutius eo in proposito fui, ut hic in vestibulo plura de iis attingerem et dissererem. At quum deinceps animadvertissem *Praefationem* tot tamque variis rebus et disquisitionibus oppletam nimis prolixam et molestam fieri, attentionemque Lectorum plurimis opinionibus et diversis potissimum de *Sinis*, *Indis*, *Persis*, distentam et gravatam in ipso aditu Libri minus aptam fieri ad ipsa *Fundamenta Hermeneutica* adsequenda: satius duxi *Animadversiones* istas etsi *praeliminares* in peculiarem *Libellum* coniicere, in quo possem liberius et plenius de ceteris etiam et pluribus aliis obiectis intimo nexu cum illis sociatis disserere; Et huic Libello Titulum ponere: *Tentamen Criticum in Historiam veterum Gentium*, *sive Cogitationes de instauranda Historia antiqua Generis humani:* quo breviter quidem et leviter, sed satis ad propositum

*Systema* nostrum de veterum Gentium civilitate exponemus, Historiam *Aegyptiorum* attingemus, phantasmata illa *Dynastiarum Manethonis* profligabimus, ostendemus Dynastiam illam illustrem, quae dicitur XVIII. esse Exodo Hebraeorum posteriorem, et nullum insigne Templum, nullum praestans Monumentum charactere Hieroglyphico exornatum ante XII. saeculum Pro-Christianum extructum fuisse: Tum alias origines, alias sedes primas, aliam aetatem dabimus *Sinis*, et penitus alia a recepta erit nostra Chronologia Scripturae et Librorum Sinicorum, et ita porro per alias plures Gentes; adeo ut agamus etiam de *Tentaminibus*, quae *Specimine* illo nostro edito an. 1817. indicasse visi sumus.

XIX. Haec autem omnia, quaecquae sint, vel quaequae tibi, Lector, videantur, ne seiungas et separes, rogo, a *Tentaminibus* nostris in vetera *Monumenta* secundum *Canones* et praecepta *Hermeneutices*, sive apte sive inepte factis: Excute, obsecro, *Tentamina* nostra 1. In *Hieroglyphica Hori-Apollinis*, et 2. aliorum *Scriptorum* veterum: 3. In *Symbola* aliquot *Pythagorica*: 4. In *Obeliscum Flaminium*: 5. In *Tabulam Rosettanam Hieroglyphicam*: 6. et in *Centuriam Sinogrammatum Polygraphicorum*; quae iam edita sunt. Tum alia insuper expecta aeque necessaria ad Criterium Canonum Hermeneuticorum, quae modo eduntur, nempe 7. In *Problemata*: 8. *Theoremata*: 9. et *Etyma Hierographica*: 10. atque in *Lemmata*, *Abraxea*, quibus Disputatio subnectitur de natura, Auctoribus, et Lingua *Hierogrammatum Abraxeorum*. Accedent alia 11. in *Hierographiam Etruscorum* et *Oscorum*: 12. in *Lexicum Hebraicum Grammatodynamicum*: 13. alia *Her-*

*meneutica* in *Mythos*, et *Fabulas*, et *Typos Theologicos* veterum Gentium, et quae cum *Tentamine* illo *Critico*, quod diximus, quam primum, Deo adiuvante, edentur. Tu interea, Lector, utere modo Libellis editis : Sed si de Systemate nostro ferre decretorium iudicium desideras, si iudicare de nostris *Hypothesibus* cupis pleniore caussae cognitione expectabis adhuc paullulum, donec nempe *Problemata Hierographica* etc. Specimen *Lexici Grammatodynamici*, et *Tentamen* illud *Critico-Historicum* saltem sint edita. Tum enim sive probes, sive improbes, sive recipias, sive reiicias, facies dubio procul elementis omnibus *Systematis* nostri perspectis, et notis, facies, ut speramus, aequo, rationali, et laudabili modo. Vale.

*Neapoli Idibus Junii 1830.*

# HERMENEUTICES
## HIEROGRAPHICAE
# LIBER PRIMUS
## DE NATURA, VARIETATE, USU, ORIGINE, ET CHARACTERIBUS SCRIPTURAE HUMANAE.

## SECTIO I.
### DE NATURA, ET VARIETATE SCRIPTURÆ HUMANÆ, DEQUE EIUS USU PENES VETERES GENTES.

### CAPUT I.
### *De natura, et varietate Scripturae humanae.*

#### Art. I.
#### *Quid sit Scriptura, et quae sint praecipuae eius species.*

1. Signum hic appello quidquid iugiter et permanenter oculis nostris potest subiici, quo idea vel cogitatio humana indicetur, significetur, excitetur.

2. Si *Signum* est simulacrum, imago obiecti physici, sive ab ipsa Natura producti, sive ab Homine in usus suos efformati, vel etiam ex elementis Geometricis desumti dicetur *Schema*, *Physioschema*, *Signum figuratum.* Si vero nullam prorsus similitudinem praesefert cum obiectis physicis, et visibilibus, vel tenuem tantum, levem, et obscuram, dicetur *Sema*, *Nota*, *Signum informe*.

3. Quaevis *series Signorum*, quodvis *systema* sive *Schematum* sive *Sematum*, quo series aliqua idearum humanarum, vel systema quodcumque cogitationum nostrarum significetur, appellabitur *Scriptura*: eaque dicetur *Schematica* et *figurata*, si figuris obiectorum, simulacris, et *schematibus* rerum constabit; dicetur vero *Sematica*, si ex *signis informibus*, ex *notis*, ex *sematibus* exsurget.

4. Si ideas nostras recta et *immediate Signis* adiungimus, *Scriptura* dicetur *Ideographica*; si *Verba integra* et solida linguarum vocabula adnectimus, *Scriptura* dicetur *Lexeographica*; si vero elementa tantum pronuntiationis nostrae, quae dicimus *Literas*, *Scriptura* appellabitur *Alphabetica*, sive *Grammatographica*.

5. *Scriptura* dicetur *perfecta*, *continua*, *polygraphica*, si integra systemata idearum, vel cogitationum nostrarum continuâ signorum serie possumus exprimere: dicetur vero *imperfecta*, *interrupta*, *oligographica*, si paucas tantum ideas, si cogitationes tantum paucas imperfecte et interrupte valebimus significare.

## A r t. II.

### *Quae sint praecipuae species Scripturae Ideographicae.*

1. Si humanas *ideas figuris* obiectorum suorum, et simulacris rerum exprimimus, *Scriptura* dicetur *Ideoschematica*.

2. *Scriptura Ideoschematica* appellabitur *Cyrioschematica*, *Cyriologica*, si adhibebimus simulacra et effigies obiectorum ad ipsa obiecta indicanda. Et singillatim erit *Iconographica*, si cla-

rorum Virorum *icones* et simulacra exhibentur; *Ethographica*, si mores, et instituta socialia; *Pragmatographica* et *Historiographica* si facta, et gesta humana; *Physiographica* tandem, si cetera mundi obiecta expingentur. Sunt et *Cyrioschemata Politica*, et *Theologica* ab his diversa; sed quia potius appellanda videntur *Cyriotropica*, agetur de his loco suo. Si vero simulacris et formis rerum ad alia obiecta, et alias substantias per quasdam similitudines et *Tropos* utimur, *Scriptura* appellabitur *Troposchematica*, et *Symbolica*.

3. Si *Schemata Ideographica* sunt magna ex parte Zooschematica, et ita exhibentur, ut agere, invicem aliquid, et mutuo conversari videantur, *Scriptura* dicetur *Synthetica*, *Dramatica*, *Pragmatographica*. Si vero *Schemata* etiam *Zoographica* apponuntur et ordinantur tantum ut symbola idearum inanima et immota, Scriptura dicetur *Analytica*, *discreta*, *Noographica*.

4. Si *singulas* nostras *ideas*, vel *singulas cogitationes* nostras *singulis Schematibus* vel *Sematibus* adiungimus, *Scriptura* dicetur *Monoschematica*, vel *Monosematica*. Si vero singulas ideas, singulas cogitationes nostras pluribus Schematibus vel Sematibus una coniunctis et aggregatis exprimimus, *Scriptura* dicetur *Polyschematica*, vel *Polysematica*.

### Art. III.

### *Quae sint praecipuae species Scripturae Lexeographicae.*

1. *Scriptura Lexeographica* dicetur *Lexeoschematica*, si verba et voces datas simulacris obiectorum et figuris rerum exprimimus; dicetur

*Lexeosematica*, si signis informibus et sematibus adiungimus.

2. Si Verba et vocabula data Schematica sunt, et ea schemate suo, et figurâ propriâ significamus, *Scriptura* dicetur *Cyriologica*, quasi ipsa figura proloquatur, quum schemati verbum et vox sit intime adnexa: dicetur etiam *directa*, *et ideographica*, quia schema, vox, et idea directe et intime sibi respondent.

3. Si Verba singula, singula Vocabula data singulis Schematibus, vel Sematibus exprimentur, Scriptura dicetur *Monoschematica*, vel *Monosematica*. Si vero plura schemata vel semata mutuo coniungimus et aggregamus, ut unum vocabulum unam vocem clare et perspicue significemus, *Scriptura* appellabitur *Polyschematica*, vel *Polysematica*.

4. Si *Schematum*, vel *Sematum* numerus ita varius et multiplex est, ut varius et multiplex est numerus vocabulorum, *Scriptura* dicetur *Polytypica*. Si vero est longe minor, adhuc tamen notabilis, dicetur *Metriotypica*. Si tandem Typi fundamentales sint omnino pauci, etiamsi eorum varietates non paucae videantur, *Scriptura* dicetur *Oligotypica*.

## Art. IV.

### *Quae sint praecipuae species Alphabetorum.*

1. Si Literas *Alphabeti* figuris obiectorum sive evidentibus et demonstrativis, sive indicativis significamus, *Alphabetum* dicetur *Schematicum*; si vero Sematibus et signis plane informibus notamus, erit *Sematicum*.

2. *Alphabetum Schematicum* dicetur *origina-*

*le*, si Auctor eius selectis aliquot *Schematibus*, ea certo consilio elementis vocis humanae aptet et adiungat. Si vero quis litteras Sematicas et informes dati Alphabeti artificio suo in figuras et Schemata transformet salvâ formâ literarum intima, et prima, *Alphabetum* dicetur *Schematicum* quidem, sed *derivativum*.

3. Si literae singulae alicuius Alphabeti exhibent imaginem et formam obiecti physici, cuius nomen incipiat ab illa ipsa litera, *Alphabetum* dicetur *Onomatoschematicum*, quia ex *Schematibus nominum* literarum suarum efformatur.

4. Si *Alphabeto* tot sunt Literae scriptae, quot sunt Elementa pronuntiationis, si tot sunt γραμματα, quot ϛοιχεια, dicetur *Isotypicum* et *Isophonicum*: *si* vero multo plura sunt γραμματα, quam ϛοιχεια, dicetur *Polytypicum* et *homophonicum*, quum necessarium sit idem ϛοιχειον pluribus typis exhiberi; si tandem erunt plura ϛοιχεια, quam γραμματα, appellabitur *Polydynamicum*, quia eidem typo necesse est inesse vim et dynamin plurium literarum.

## CAPUT II.

## *Recensentur veteres Gentes, penes quas usus Scripturae Schematicae invaluit, vel non.*

### ART. I.

*Indicatur usus Scripturae Cyrioschematicae.*

1. Graecos et Romanos plura *Cyrioschemata*, plura *Cyriogrammata* humana sive Icones clarorum Virorum, plura *Cyriodramata* Socialia posuisse tum Scriptorum veterum testimonio, tum

ipsorum monumentorum fide certum est. Assyrios vero, Chaldaeos, Persas, Phoenices, Palaestinos, Syros, Indos, Sinenses vel paucissima tantum, vel fere nulla expressisse ex Scriptorum silentio, ex defectu monumentorum, ex regiminum, et religionum suarum natura iure colligimus.

2. Si audiendi essent, qui nuperrime de rebus Aegyptiorum egerunt, ingens plane esset numerus *Cyriogrammatum*, et *Cyriodramatum*, qui ex monumentis Aegyptiis colligi possit. Nos vero, ut lubentissime fatemur Dramata illa ad Aegyptiorum historiam condendam esse longe utilissima, ita negamus haberi posse, ut pura et genuina *Cyriodramata*: et contra tenemus haud multa ex iis Dramatibus esse, quae facta quidem historica indicent, sed allusionibus Mythicis, et Symbolis divinis, et ornatibus Allegoricis expressa, et longe plura quae Allegorica omnino sint et Symbolica, ut illa dicuntur ab omnibus, quae in Papyris funebribus conspiciuntur. Sed hac de re paullo post distinctius agemus.

### A r t. II.

*Indicatur usus Theogrammatum, et Hiero-Emblematum.*

1. Usus *Theogrammatum*, et *Hiero-Emblematum* maximus et vetustissimus penes Aegyptios fuit, eosque sedulam, diuturnam, et pertinacem operam in efformandis simulacris Deorum, et Emblematibus Theologicis posuisse testes sunt, non modo Scriptores plurimi veteres, sed etiam vastissimae moles, et monumenta ingentia, quae adhuc manent Sacra illa Scriptura tota insculpta.

2. Quos autem hic Aegyptios appellamus, haud

Mesraitas proprie, et primos Deltae incolas intelligimus, sed potissimum *Aethiopes*, sive *Arabo-Chusitas*, qui relicta primaeva sua Aethiopia, sive Chaldaea et Babylonia ad sinum Persicum, et occupata primum Arabia, tum Thebaide, Nubia, et Aegypto reliqua, sociatique Mesraitis. Monumenta illa posuerunt, et ingentes moles excitarunt, ut loco suo prolixius dicemus. Quoniam vero Aethiopum nomen quandoque aequivocum est, eos a regione, quam per plurima saecula tenuerunt, *Aegyptios* saepius appellabimus.

3. Post *Aegyptios* igitur, praestantiores et vetustiores Hieroplastae, et Iconolatrae habendi sunt *Graeci;* et quamvis Hierographia *Graecorum* tum typorum numero, tum symbolorum varietate videatur *Aethiopica* minor, praestat tamen pulcritudine et concinnitate formarum, dramatum probabilitate, et exemplorum multitudine. Vera enim et pura Hierographia *Aethiopum* nusquam extra sacrum Nili fluxum est pervagata: at *Graeca* ab extrema Lusitania ad Bactros usque celebrata.

4. *Etruscis* Graecorum fratribus sua fuit *Hierographia*, et ab illa Graecorum distincta, ut ex peculiaribus Gentis Theogrammatibus nos loco suo animadvertemus; limitibus tamen angustis coërcita, quod Symbolis et Mythis parcissime *Etrusci* uterentur.

5. Etiam *Romanis* Graecorum et Etruscorum fratribus sua fuit *Hierographia*, a Graeca et Etrusca discreta. Nam *Ianus*, *Saturnus*, *Ops*, *Mars*, *Romulus* sunt Typi proprii Latinorum: et ea fuisset, ut Etrusca, patriis finibus coërcita, nisi Pantheo et Mythologia Graecorum a Romanis penitissime adoptata, armorum vi, et artium societate per Imperium fuisset dilatata.

6. *Brachmanes Indi*, etsi sero, ut nos putamus, plurimam tamen, variam, et solertem curam in *Theogrammatibus* et *Emblematibus* divinis conficiendis, et componendis posuerunt; et certe *Hierographia* Brachmanica Symbolorum quantitate, varietate Typorum, numero Dramatum huiusmodi est, ut Aethiopicae sive Aegyptiae, et Graecae possit comparari.

7. *Hierographiae Brachmanicae* accensenda est *Buddistica* origine pariter *Indica* et *Brachmanica*, a qua plures Typos et Dramata servat. Et quoniam apud plurimas Gentes excultas, et doctas viguit iamdiu, et viget, est propterea diligenter excolenda; quod non esse hactenus factum vehementer dolemus.

8. Apud ceteras vero veteres Gentes, puta *Assyrios*, *Chaldaeos*, *Syros*, *Palaestinos*, *Phoenices*, *Persas*, *Sinenses*, *Scythas*, *Celtas*, *Germanos* iam a VI saeculo prochristiano longe levior et infrequentior fuit usus statuarum et simulacrorum divinorum: sive quia uterentur figuris symbolicis et crypticis, puta pyramidalibus, cylindricis, circularibus: sive quia colerent Elementa coelestia, vel Elementa et partes huius Terrae: vel quod essent Zoolatrae; vel etiam Basileolatrae: adeoque a Statuis anthropomorphis, ligneis, lapideis, metallicis excitandis ponendis et exculpendis prorsus abstinuerunt, vel parce admodum Signis huiusmodi usi sunt,

9. Cavendum vero est ne putemus veteres Simulacrorum fictorum contemtores aeque reiecisse formas intelligibiles, et simulacra mentalia Deorum suorum. Nam ut Iudaei, Muhammedani, et Iconoclastae Christiani simulacra quidem sculpta, ficta, picta Personarum suarum sacrarum reiiciunt,

et interea animo suo eorum formas et imagines complectuntur, servant, et pro opportunitate describunt, et verbis, imo fabulis plerumque prolixe exornant: ita et fecisse veteres Iconoclastas tenendum est. Et profecto etsi Parsi Zoroastrici ex acerrimis Iconoclastis fuerint, plurima tamen simulacra Theologica in libris eorum occurrunt verbis expressa, et descripta, quae nos possemus etiam expingere, et forma corporea exhibere. Quod eo maxime consilio animadverti volumus, ne simulacra huiusmodi intelligibilia et mentalia, quod verbis tantum descripta, non ligno, lapide, metallo insculpta fuissent, reiiciamus et negligamus; eoque pacto ab intelligentia et comprehensione illorum Pantheorum et systematum Teologicorum inscite abstineamus.

## A r t. III.

### *Indicatur usus Dramatum Mythicorum.*

1. Maximum numerum *Dramatum Mythicorum* in vario Monumentorum genere suppeditant *Graeci*, et *Romani*, et illi potissimum in Vasis pictis, quae satius dici possent *Mythograpta*, vel *Hierograpta*. *Etrusci* pauca *Dramata*, et a *Graecis* pariter celebrata adhibuerunt. Pauca etiam *Romani* patria et indigena, sed plurima ex *Graecis* imitata et adoptata. *Scandinavi* etiamsi Pantheo Mythico amplo, pleno, nobili uterentur, abstinuerunt tamen ab insculpendis et expingendis *Dramatibus* suis *Mythicis*, contenti carmine descripsisse. At *Indi Brachmanes*, et *Buddistae* *Dramata* sua *Fabulosa* magno numero in parietibus Templorum suorum expresserunt, et seris posteris tradiderunt. Quot autem *Fabulas sacras*,

quot *Mythos* Theologicos in ingentibus Molibus suis exculpsissent *Aegyptii Aethiopes*, adhuc incertum. Paucae enim sunt Fabulae Aegyptiae, quae ad nos pervenerunt, pauci plane sunt *Aegyptiorum Aethiopum Mythi*, quos Graecorum et Latinorum diligentia nobis servavit, et quod gravius est, eos adhuc non valemus perspicue discernere in Monumentis Hieroglyphicis. Quamobrem mihi valde probabile est pleraque *Dramata Aegyptiorum* esse *Theologica* non *Mythica*, ut contra pleraque *Dramata Graecorum* sunt *Mythica* non *Theologica*. *Drama* autem *Theologicum* illud appello, quo Deorum characteres, vires, potestates, et etiam facta eorum, sed quae haberentur vera, genuina, Diis digna, symbolice et allegorice exprimuntur. *Mythicum* vero illud, quo factum falsum, fabulosum, absurdum Diis tributum *Cyriographice* exhibetur. Ita *Drama*, quo ex. gr. *Jupiter*, *Juno*, *Minerva*, exprimuntur sedentes, et symbolis suis exornati, est *Drama Theologicum* non *Mythicum*: contra vero *Dramata Jovis* et *Ledae*, *Jovis* et *Europae*, *Jovis* et *Danaes* sunt *Dramata Mythica* non *Theologica*. Probabile igitur est, ut dicebamus, *Aegyptiis* fuisse longe plura *Dramata Theologica*, quam *Mythica*, et ex his fortasse paucissima. Nam si Mythi et Fabulae sacrae essentiali sua institutione ad totum Populum, et maxime Vulgus destinantur: si Populus et Vulgus haec avidissime complectitur, et diutissime, et pertinacissime, servat, et recitat omnibus et perpetuo: si Graeci et Romani per plusquam decem saecula intimo Aegyptiorum omnium commercio usi vix paucos Mythos et Fabulas sacras inde corradere valuerunt, id factum fuisse tenendum, non quod Aegyptii mini-

me narraverint Mythos, vel quod Graeci Romanique narrata colligere neglexerint, sed omnino, quod ii Mythi fuerint paucissimi, atque adeo, ut dicebamus, quia *Dramata* Aegyptiorum sacra habenda sint *Theologica* saltem maxima ex parte, non *Mythica* et *Fabularia*.

## Art. IV.

### *Indicatur usus Scripturae Dramaticae et Liturgicae.*

*Hierodramatum Liturgicorum* et *Scenarum ritualium* usus socialis et domesticus apud omnes veteres Gentes cultiores tam frequens et creber fuit, ut vitam eorum Drama potius aliquod religiosum possis appellare. Ubi Kalendarium Atticum vel Romanum in manus sumis, et Hierographiam eorum percurris, illa statim animum subit, consideratio, quomodo Gentes tot ritibus obstrictae, tot religionibus illigatae hostes profligare, Patriam tueri, civitates condere, rem domesticam augere, imperium proferre, artes colere, scientias addiscere potuissent. Non omnes quidem veteres Gentes vel sermone descripserunt, vel lapide, metallove *Dramata* sua *Liturgica* impresserunt: sed *Graeci*, *Romani*, *Parsi*, *Brachmanes*, et plenius *Buddistae*, et fortasse etiam *Aegyptii* in Papyris funebribus, sive data opera, sive pro data opportunitate *Dramata* sua ritualia verbis expresserunt, et magna saltem ex parte literis tradiderunt. Quin *Graeci* et *Romani* id non de suis tantum ritibus, sed de illis etiam ceterarum Gentium saepius praestiterunt. Ipsis vero formis et figuris suis plura *Liturgica Dramata* lapide, pariete, metallove expresserunt *Aegyptii*, *Graeci*, *Latini*, et *Indi*.

## Art. V.

### *Indicatur usus Scripturae Dramaticae et Allegoricae.*

*Dramata allegorica* appello, sive illa, quibus sub specie hominum, animalium, vel monstrorum secum mutuo conversantium Theologica, Ethica, Politica artificiose et symbolice conduntur: vel ea quae omnem fere speciem *Dramatum* socialium, pragmaticorum, historicorum mentiuntur, sed revera ad significanda Theologica et Ethica destinantur, ut plerumque in sermonibus nostris per similitudines et allegorias facimus. Horum autem *Dramatum* usum, et vetustiorem et frequentiorem apud *Aegyptios* fuisse puto. Et pleraque eorum *Dramata*, sive prioris, sive posterioris generis Dramata esse teneo: cuius opinionis argumentum invictum suppeditant Papyri funebres, quibus sub variarum scenarum socialium specie Theologica et Psychologica esse condita nemo inficiari poterit. Et *Graecis* fuisse sua *Dramata Allegorica*, tum spectatâ Gentis sapientiâ, et profundo Religionis Crypticismo, tum quod plurima Dramata sint per Mythos inexplicabilia tenendum est: et propterea inepte facere, et frustra se torquere, qui in omnibus *Dramatibus Graecis* maxime vasorum Hierograptorum Fabulas, Mythos, et facta Deorum quaerunt, et pervicaciter investigant, et vana ratione tuentur, quum in plurimis *Dramatibus* huius Gentis condita sint non facta fabulosa, sed Dogmata Theologica, vel indicati characteres, vires, potestates Deorum Symbolis et Allegoriâ, vel significata etiam facta vetera primordialia, sed vera, sincera, genuina,

non mythica et fabulosa, etsi cryptico et arcano modo expressa et depicta sint.

## Art. VI.

*Indicatur usus Scripturae Dramaticae et Epigraphicae.*

*Scripturam Dramaticam* nec omnino *fictam* et imaginariam, nec omnino *Historicam* et *Cyriographicam*, nec omnino *Fabularem* et *Mythographicam*, nec omnino *Liturgicam* et *ritualem*: sed ex dato Lemmate per Lexeöschemata Linguae sacrae et arcanae, ex Elementis *Ethographicis*, *Liturgicis*, *Mythicis* pro opportunitate compositam ab unis *Etruscis* in Urnis suis *Epigraphicis* celebratam arbitramur; ut Deo dante ipsâ interpretatione ostendemus Tentamine nostro in *Hierographiam Etruscorum.*

## Art. VII.

*Indicatur usus Scripturae Hieroglyphicae.*

*Scripturam Hieroglyphicam*, sive eam, quae Schematibus constet continuis, contiguis, sed analyticis et discretis, quibus plures series, plura systemata idearum humanarum continuo ordine possunt exprimi et describi, in Aegypto, Nubia, Aethiopia Abyssinica fuisse diutissime et latissime celebratam omnes norunt. Quidquid sit de quibusdam Monumentis Hieroglyphicis in Syria et Susiana repertis, extra sacrum Nili fluxum nulla alia Gens fuit, quae Scripturam huiusmodi adoptasset et recepisset. Plerique sunt, qui acerrime contendunt Sinenses primis suis temporibus Scripturam usurpasse Schematicae et Hieroglyphicae

Aegyptiorum plane similem. Sed hi si scissent, quam ardui et immanis laboris sit condere Scripturam huiusmodi, et quam difficilius conditam, et in plurimis monumentis servatam prorsus immutare et abiicere, nunquam Stemmata quaedam et Emblemata, et signa, vel specimina et tentamina impostorum cum vera et difficillima scriptura confudissent. Quamobrem uni adhuc Arabo-Chusitae, qui ex Babylonia primitiva a' Chaldaeis et Assyriis pulsi Arabiam, Thebaidem, Nubiam occuparunt habendi sunt auctores et servatores scripturae nobilissimae et difficillimae: ut alibi, Deo dante, pluribus disseremus.

## A r t. VIII.

*Indicatur usus Alphabetorum schematicorum.*

*Alphabetum primum* ex schematibus quibusdam planis, claris, facilibus, sive potius ex sematibus indicativis et innuentibus constitisse loco suo animadvertemus: et superesse adhuc in nostris Alphabetis literas, quae satis aperte originem suam schematicam prodant, ibi quoque adnotabimus. Nullum vero Alphabetum vere et evidenter schematicum, sive originale sive derivativum quasi adhibitum fuisset a Gentibus antiquis, ad nos certa auctoritate pervenit. Quid autem tenendum sit de Alphabetis schematicis nuper in lucem prolatis, pluribus in secundo libro persequemur.

## CAPUT III.

## *Recensentur veteres Gentes, penes quas usus Scripturae Sematicae obtinuit.*

### Art. I.

### *Indicatur usus Scripturae Polysematicae Oligotypicae et Oligographicae.*

Scripturam scilicet, quae per syntheses Sematum et signorum procedat, et paucissimos typos adhibeat, et qua haud plurima possint scribi, primi adhibuisse videntur *Aegyptii* in *Dramatibus* suis *Theologicis*. In ingenti enim eorum numero lineae quaedam rectae, sive virgulae modo longiores, modo breviores, modo verticales, modo horizontales vario numero collectae et ordinatae, et frequenter ab Ellypsi vacua discretae, et ad Typos et Prosopogrammata illorum Dramatum adpositae et dispositae conspiciuntur: adeo ut dubitari non possit, quin ad eorum *Dramatum* essentiam faciant, et cryptice et symbolice sive nomina, sive characteres, sive officia illarum Personarum sacrarum significent. Eoque magis id tenendum est, quod in huiusmodi *Dramatibus* numquam apposita sit Scriptura Hieroglyphica Microschematica et Sticherea, quae in aliis Dramatibus solet apponi, et qua eorum Dramatum obscuritas dubio procul solet explicari, declarari, illustrari. Veram igitur Scripturam *Polysematicam*, quia ex vario numero linearum vel virgularum, et Ellypsi exsurgit, *Oligotypicam*, quia ex duobus tantum vel paucissimis prorsus Typis conficitur, *Oligographicam*, quia extra *Dra-*

*mata Theologica* vix adhibetur, et in unum eorum adiumentum instituta videtur, in Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis agnoscere necesse est.

2. Notior et celebrior apud nos adhuc fuit *Scriptura Sinensis* ab VIII. *Trigrammatibus* Fohi, et LXIV. *Hexagrammatibus* Ven-vang facta, et innumeris Commentariis illustrata. Ea enim pluribus lineis constat, unde *Polysematica*; uno vel altero typo, linea nempe longiore, et breviore fit, unde *Oligotypica*; haud plurima potest significare et clare tradere, unde *Oligographica* dici meretur.

3. *Similis* huic est alia *Scriptura* pariter *Sinensis* facta ex Tabulis Ho-tu, et Lo-chu, quae vario numero Globulorum nigrorum vel alborum exsurgunt. Hi autem numeri globulorum sunt omnino X. et IX.

4. *Puncta*, *circelli* minuti, et lineolae Geomanticorum Arabum, Syrorum, et dicendum etiam Europaeorum, ad eamdem Scripturam pertinent, *Polysematicam*, quia plures circelli vel puncta sunt necessaria ad significationem, *Oligotypicam*, quia unico vel duplici typo tota absolvitur, *olygographicam*, quia haud plurima paucissimis typis, et paucis *Polysematibus* poterunt umquam distincte et clare significari.

5. In *Gemmis Abraxeis* non pauca *Syngrammata* conspiciuntur, quae Scripturam similem indicant: quum autem exempla, quae novi, non sint eo numero et ita perspicua ut iudicium certum possim ferre, aliis id definiendum relinquo.

## A r t. II.

### *Indicatur usus Scripturae Polysematicae, Oligotypicae, et Polygraphicae.*

1. Huiusmodi *Scriptura* illa primum est habenda, quae in Cylindris, Lateribus, et aliis Lapidibus Babyloniis et Chaldaeis conspicitur. Nam ex paucissimis Typis, et uno maxime sive *Clavo* sive *Cuneo*, unde ab Europaei recte, *Cuneographica* appellata fuit, tota conficitur, semper per *Polysemata* procedit, et per *Polysemata* quidem continua et contigua, et per integros stichos excurrentia; unde ei *Polygraphicae* nomen vel saltem *Metriographicae* negari non potest.

2. Eiusdem naturae dicenda est *Scriptura* illa, quam iampridem Europaei Chardin, Lebrun, Niebuhr etc. in parietibus Persepolitanis deprehenderunt, et exscripserunt, et quam Pasagardis alii, immo in Syria, et Aegypto observasse testati sunt, et tandem illa ceteris prolixior et copiosior, quam nuper in parietibus subterraneis urbis dirutae ad Lacum Van in finibus Armeniae et Mediae veteris Germanus Schultz reperit, et descripsit. V. Iourn. des Savans 1828. Aout p. 460.

## A r t. III.

### *Indicatur usus Scripturae Polysematicae, Metriotypicae, et Polygraphicae.*

1. Vetustior *Scriptura* huiusmodi habenda est *Aegyptia*, quae in Papyris funebribus conspicitur, et quam *Hieraticam* appellant. Nam per *Polysemata* procedit, ex mediocri typorum numero conficitur, et plura possunt ea describi et adnotari.

2. Nobilior, clarior, utilior *Scriptura Polysematica*, *Metriotypica*, et *Polygraphica* est *Sinensis* communis, qua universa Gentis Bibliotheca descripta est, et de qua plura hoc in opere quaerere et animadvertere oportet.

## A r t. IV.

### *Indicatur usus Scripturae Alphabeticae, et Sematicae.*

*Alphabeta* veterum Gentium, qnae ad nos pervenerunt *Hebraeorum*, *Samaritanorum*, *Phoenicum*, *Syrorum*, *Aegyptiorum*, *Persarum*, *Graecorum*, *Etruscorum*, *Oscorum*, *Latinorum* etc., omnia Sematica, dicenda sunt, etsi in aliquot eorum clarioribus vestigia plura deprehendantur originis *Schematicae*. Alphabeta vero schematica et physicis obiectorum simulacris proprie expressa ne per lusum quidem videntur Veteribus fuisse nota.

# SECTIO II.

## DE SCRIPTURA IDEOSCHEMATICA, SIVE IDEOGRAPHICA ET SCHEMATICA.

## CAPUT I.

## *De Scriptura Cyrioschematica.*

### ART. I.

*Indicantur vires genitrices et effectrices Scripturae Cyrioschematicae, sive Iconographicae, Ethographicae, Historiographicae, sive Physiographicae.*

1. *Vires genitrices Iconographiae* et *Pragmatographiae* humanae sunt vehemens amor laudis et gloriae, aemulatio magnorum factorum, reverentia et observatio clarorum Virorum, memoria receptorum beneficiorum, ingens desiderium celebrandi, servandi, propalandi insignia et nobilia gesta. *Vires* vero *genitrices Ethographiae*, et *Physiographiae Cyrioschematicae* est curiositas scientifica, vehemens studium rerum naturalium, ingens cupiditas noscendi naturam Rerum, et formam genuinam obiectorum Mundi.

2. *Vires* porro *effectrices* sunt insignis peritia Graphices, et absoluta scientia expingendi, et efformandi solerter simulacra obiectorum naturalium, et effigies corporum circumstantium.

3. Quamobrem tam numerus, quam praestantia *Cyrioschematum*, et *Cyriodramatum* apud aliquam Gentem erit in ratione directa, tum *affectuum gignentium*, tum *virium effectricium*. Et quoniam nec omnia Climata et Regiones,

nec omnia Regimina, nec omnes Periodi sociales aeque apta et idonea sunt, ut affectus illos, et Grapheosophiam proferant et explicent; hinc fit ut nec penes omnes Populos, nec in omnibus eiusdem Populi Periodis socialibus usus *Cyrioschematum* aeque celebretur et invalescat.

4. In *Regiminibus Casticis* et Sacerdotalibus, in quibus Sacerdotes ipsi, penes quos est summa Imperii, ascetae sunt, adyta et cryptas inhabitant, poenitentiam simulant, Terram hanc malam, contaminatam, Typhonicam arbitrantur, et terrena omnia misera, impura, foeda, intuitu suo et consideratione sua indigna praedicant, et quod gravius innominati sunt, omnia ad Deos referentes, omnia Diis inscribentes etiam propria gesta et proprios libros; nulla species *Scripturae Cyrioschematicae* potuit umquam invalescere et celebrari. Si aliquis Rex, sive naturali animi magnitudine, sive temporum et locorum necessitate aliqua magna facta edat, et gestis nobilibus inclarescat statim a Sacerdotibus ut Epiphania alicuius magni Dei praedicatur, statim forma, symbola, ornatus, nomina divina tribuuntur, statim laudes eius cum laudibus Deorum miscentur, et statim elogia eorum mythis et Deorum narrationibus sociantur, ut recte et sapienter animadvertit Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 556.

5. Ex quo nos iure paullo supra Sect. I. cap. 2. Art. I. p. 6. affirmasse putamus nec vera et propria Regum *Cyrioschemata*, nec vera et propria *Cyriodramata* bellica et triumphalia in monumentis Aegyptiis esse adgnoscenda, etsi quae huiusmodi videntur ad veram Aegyptiorum historiam illustrandam utilissima fateamur. Et si quae Dramata, ut plurima sunt, processus artium et socialium

factorum cursum et explicationem exhibere videntur, haec omnino non *Cyrioschematice*, sed *Symbolice* et *Allegorice* esse sumenda et interpretanda.

5. Contra vero ubi Regimina aequa sunt et temperata, ubi singulis fere civibus sua adest dignitas et gradus, ubi viget inter eos laudis et virtutis aemulatio, ubi insignibus exemplis animi fere omnium ad magna capessenda possunt excitari, ibi *Iconogrammata* vere humana, et *Dramata* historica pura, et *Ethogrammata* et *Physiogrammata* genuina celebrabuntur: ut revera celebrata sunt apud *Graecos* et *Romanos* per omnem illam aetatem, qua aequo et moderato regimine recti sunt, quemadmodum et superius animadvertimus.

6. Ad hanc autem *Scripturam Cyrioschematicam* excitandam et exercendam ipsa *Religionum* natura et constitutio magnopere confert. Ubi enim Systema Theologicum est *Anthropomorphum* et *Anthropopathicum*, ubi persuasum est Genti Deos humana forma cum hominibus versari, et Homines posse ad Deos accedere, et fieri Divos; ibi erunt plurima Deorum, et plura etiam Hominum *Simulacra*, et plura *Dramata Mythica*, et plura etiam *Historica*. At contra ubi Dii habentur penitus invisibiles et pneumatici, ubi Dii collocantur in astris Coeli, vel elementis Terrae, nulla simulacra Deorum ponentur, adeoque fere nulla etiam Hominum: ne hi cultum Deorum ad se pertrahere videri possint. Ex quo revera factum est *Graecos* et *Romanos Anthropomorphitas* plura hominum *Cyrioschemata* et *Cyriodramata* posuisse, nulla vel fere nulla *Assyrios*, *Chaldaeos*, *Syros*, *Sinenses* Iconoclastas; tum nulla *Cyriodramata* humana apud *Judaeos* et *Muhammedanos* occur-

rere, paucissima apud *Christianos* Iconoclastas, plurima apud *Catholicos.*

## A r t. II.

### *Indicatur Criterium Scripturae Cyrioschematicae.*

At si possunt fingi *Iconogrammata symbolica* Physicis et veris similia, si possunt componi *Dramata allegorica*, quae ipsum processum, ipsam plane formam actuum et factorum humanorum mentiantur, qua, cedo, ratione altera ab alteris discernemus, quo criterio *Allegorica a Cyrioschematicis* iure distinguemus? Ipsa, respondeo, Natura duce. Si scilicet *Iconogramma* vel *Drama* propositum totum Naturae congruit, si singula eius elementa, si omnes partes sibi mutuo et *ideographice* respondent, *Iconogramma*, vel *Drama* erit *Cyriographicum.* At si non omnia elementa conspirant, si symbola incongrua sunt interiecta, si series rerum abrupta, confusa, si heterogenea immixta, *Iconogramma* vel *Drama* propositum habendum est *Symbolicum* et *Allegoricum*, vel quod quandoque fieri potest *Historicum* quidem, sed *Symbolice* ex parte tractatum.

## CAPUT II.

# *De Scriptura Ideographica et Tropōschematica generatim.*

## Art. I.

### *Indicatur natura, et origo Troposchematum Ideographicorum.*

1. Pars tantum idearum humanarum *schematica* est et figurata, ea nempe, quam oculorum, et si vis etiam tactus ope adipiscimur, vel vi Phantasiae confingimus: ceterae vero, quas aliorum sensuum tum externorum tum internorum ministerio, et maxime rationis auxilio comparamus, *aschematicae* sunt, invisibiles, intelligibiles, et quas propterea pingere vel fingere recta et immediate inpossibile sit.

2. At verum aeque est ideas invisibiles et intelligibiles et earum series et systemata interdum similitudinem quamdam et analogiam cum schematicis et corporeis praeseferre; quin ita saepius mutuo adhaerere, et coniungi, ita saepius in unam seriem et systema coire, ut excitata in animo una idea, excitetur statim alia et menti clare obversetur. Adeoque ubi nos nexum hunc mutuum idearum visibilium et invisibilium, corporearum et intelligibilium nobis diligenter adnotavimus et animadvertimus, et per leges nexus et mutui vinculi *ideam schematicam aschematicae* substituimus, corpoream intelligibili, et unam pro alia pingimus vel exsculpimus, invenimus profecto modum, quo *ideas intelligibiles et invisibiles* oculis nostris subiiciamus; et animi nostri sensus ut ut secretos profundos aschema-

ticos formis corporeis vestiamus. Et quoniam data figura corporea, ut eâ ideam intelligibilem significemus *avertenda* est a naturali suo obiecto, et ad aliud *convertenda*; ideo *schemata*, quae ad significandas ideas intelligibiles destinantur, dicuntur *Tropica* et *Metaphorica*, et quia *coniectura* et attentione opus est, ut haec *conversio* et *tropus* percipiatur et intelligatur, ideo recte dicuntur etiam *Symbolica*.

3. *Nexus* autem et vinculum, quod inter ideas *schematicas* et *aschematicas*, visibiles et invisibiles potest intercedere, ut his illae possint rite substitui, vel est similitudinis, analogiae, paritatis; vel coniunctionis, adhaesionis, coëxistentiae, productionis, processionis: adeoque ubi datâ ideâ vel cogitatione *aschematica*, nos vel similem et parem, vel adhaerentem et coniunctam *ideam* vel *cogitationem schematicam* invenimus, possumus utique rite et legitime *schematibus* hisce illa *aschematica* significare et indicare.

## A r t. II.

*Troposchemata Ideographica possunt discerni in Characteristica, et Systematica.*

1. *Nexus* qui intercedere solet inter *ideas* cogitationesve *schematicas* et *aschematicas* haud semper insignis est et perfectus, sed saepius esse nequit nisi tenuis, levis, obscurus, et qui voluntate et cura eget, ut constituatur et notetur. Ubi igitur *nexus* huiusmodi sive similitudinis et analogiae, sive generationis et productionis est clarus evidens, insignis Scriptura quae exsurgit ex Troposchematibus huiusmodi dicetur *Characteristica*: ubi vero erit tenuior, levior, dicetur *Systematica*.

2. Praeterea obiectis et rebus huius Mundi visibilibus sunt proprietates et qualitates innumerae, ex quibus aliae evidentes et perspicuae, quae facile et levi cura deteguntur, percipiuntur; aliae contra quasi secretae et remotae nosci non possunt nisi longo studio, et gravi labore; et quoniam aequum est *Troposchemata*, quae his distinctis proprietatibus discernuntur, distincto nomine appellari, *Troposchemata*, quae fient ex proprietatibus evidentibus, notis, *characteristicis*, dicemus *characteristica*, quae vero fient ex secretioribus, remotioribus, abstrusioribus dicentur *Systematica*, quia nisi *Systemate*, voluntate, studio costitui, agnosci et servari non possunt, ideoque *Scripturam*, quae ex his *Troposchematibus* exsurget, his ipsis nominibus notabimus.

### A r t. III.

*Troposchemata Ideographica sunt semper adiectivae, numquam substantivae significationis.*

Troposchemata enim numquam ad obiectum et substantiam sibi propriam et naturalem, sed ad aliam et diversam referuntur, cuius tum fiunt characteres et proprietates; adeoque deposita significatione *substantiva* assumunt *adiectivam*.

### A r t. IV.

*Monoschemata Tropica idearum humanarum, etiamsi in prolixam seriem disponantur, semper ambiguae et aequivocae sunt significationis.*

Nullum enim est obiectum physicum, nulla substantia visibilis, cui plures et diversae non

sint proprietates, characteres, qualitates, et cuius propterea *schema* non sit *polydynamicum*. Quumque omnes illae proprietates, omnes characteres unâ et simul a *schemate* obiecti significentur, et plura unâ et simul significata et indicata constituant ideam ambiguam et aequivocam: hinc necessario fit omnia *Monoschemata Tropica* esse semper *aequivocae* et ambiguae significationis. Verum quidem est *polydynamin Monoschematum* serie et numero limitari. Sed praeterquamquod istae series et ordines prolixi schematum Tropicorum rarissime dari possunt vel numquam, ut dicetur paullo post, tantam adhuc manere et servari ambiguitatem certum est, ut Scriptura sit plerumque prorsus irrita et vana; quia nulla et irrita Scriptura est, cuius elementis certa et explorata vis et significatio non inest.

## Art. V.

*Indicantur rationes intrinsecae et propriae, quibus Monoschemata vel Oligoschemata Ideographica satis clara et perspicua reddi possunt.*

1. *Prima ratio* habetur, si adponimus *Troposchemati* constituto Cyrioschema suum, scilicet schema substantiae suae, personae, rei, cui illum *Tropum* volumus tribuere. Saepius enim fiet, ut illo obiecto et Persona nota et perspecta, *Troposchema*, quod adiungitur fiat pariter certum et definitum.

2. *Secunda ratio* posita est in quaerendo, et inveniendo alio Symbolo Ideographico, cui insit illa ipsa significatio, quam volumus per Schema iam constitutum indicare, et unum alteri adiun-

gendo. Etsi enim Symbola separatim sint Polydynamica, adeoque ambigua, coniuncta tamen, quum ex hypothesi in unâ tantum ideâ congruant, se mutuo limitabunt et coërcebunt, et Polyschema, quod ex eorum coniunctione exsurgit, fiet monodynamicum, adeoque certae et definitae significationis. Ita si ego vellem *vigilantiam* amici mei *Troposchemate* tibi significare, et placeret *Schema Canis*, si unum hoc schema adhiberem, facerem frustra, quia plurima sunt *Canis* proprietates: sed si adderem *Schema Galli*, qui pariter iustum est *vigilantiae* symbolum, rem conficerem; quia *utroque Schemate coniuncto* nonnisi *vigilantia* poterit commode significari.

3. *Tertia ratio*, quae in omnibus ideis compositis et complexis potest adhiberi, posita est in *Ideosynthesi* sive in adgregandis pluribus schematibus, quibus una idea composita, quasi per descriptionem partium et elementorum suorum exhibeatur. Ita si *Iudicem* figura tantum humana et bilance indicavero, obscurum adhuc erit et ambiguum *Troposchema*, si addam *librum* et *oculum Polischema Tropicum* erit satis clarum et perspicuum.

## A R T. VI.

*Indicantur rationes extrinsecae, et auxiliares, quibus Monoschemata, vel Oligoschemata Tropica possint fieri certae et exploratae significationis.*

1. *Prima ratio* est *Sermo*, traditio, explicatio oralis Symbolorum: ubi scilicet sermone addimus, quae addenda sunt, ut ambiguitatem tollamus, et perspicuitatem inducamus. Hoc pacto plerum-

que intelligimus Symbola socialia, sacerdotalia, militaria, iudicialia, quae secus nec intelligi, nec servari possent.

2. *Secunda ratio* est adpositio vocum scriptarum, lemmatis, epigrammatis, quibus *polydynamis Troposchematum* aufertur. Quo pacto plurima symbola Numismatica Romanorum facta sunt nobis clara et perspicua: et universa fere Europaeorum Symbolographia saeculis maxime XVI. et XVII. condita a nobis intelligitur.

3. Animadvertendum vero est non sufficere ad perspicuitatem *Troposchematum* obtinendam, si verba adposita ad eamdem seriem idearum, et ad ipsam cogitationem spectent: sed omnino necesse est, ut ipsam ideam significent, adeo ut tum *Troposchema*, tum *verbum* sive *lemma* adiectum sint *homodynamica*, vel *homiodynamica*. Secus enim quum maneant *heterodynamica*, limitare et coërcere se non possunt, adeoque erunt *Polydynamica*. Atqui Troposchemata Polydynamica ambigua sunt et aequivoca.

## CAPUT III.

## *De Scriptura Ideographica Troposchematica, et Characteristica.*

### ART. I.

*Indicantur Scientiae humanae vel prorsus intractabiles, vel leviter tantum et tenuiter tractabiles per Troposchemata Ideographica characteristica.*

1. Omnes *Scientiae Physicae*, *Physiologicae*, *Astronomicae*: constant enim vel ideis peculiaribus, concretis, individuis, figurisque ipsorum

Corporum externorum, vel ideis intelligibilibus sui generis, et quae vix eum aliis schematibus satis analogiae et similitudinis habere possunt, ut per ea exprimantur. Adeoque hae *Scientiae* non per *Troposchemata Characteristica*, sed per *Cyrioschemata*, et per linguas doctas tractari tantum possunt.

2. Omnes Disciplinae *Historicae*, *Chronologicae*, *Geographicae*, quia ideis individuis, peculiaribus, visibilibus, adeoque *Cyrioschematibus* plerumque constant, per quae una possunt schematice tractari, non per *Troposchemata.* Potest quidem in *Dramatibus Historicis* esse aliquis usus *Troposchematum*, et *Symbolorum*, sed semper erit sobrius, parcus, et congruum ordinem cum *Cyrioschematibus* fundamentalibus servans.

3. Scientiae *Ontologicae*, *Psychologicae*, *Cosmologicae*, *Theosophicae* vix quandoque et leviter per Troposchemata *characteristica* poterunt tractari. Nam ideae et cogitationes huiusmodi sunt plerumque nimis remotae, arduae, secretae, et quae vix tenuem aliquam similitudinem cum ideis schematicis et corporeis possunt praeseferre.

Et profecto, si quis immensam illam *Symbololaliam* Europaeorum saeculi XVI. et XVII. quin partis XVIII. attentus percurret, omnino mirabitur, quod in tanta copia Symbolorum et Emblematum, vix pauca inveniet, eaque plerumque obscura et imperfecta, quae ad istas Scientias possint iure et merito referri.

## Art. II.

*Indicantur Scientiae et Disciplinae, ex quibus per Troposchemata characteristica possint plures ideae humanae satis commode exprimi.*

1. Hae scilicet sunt *Scientiae Ethicae, Politicae*, et utcumque *Anthropologicae.* Harum enim ideae et cogitationes nexu magis claro et perspicuo schematibus Physicis adnectuntur, et plura sunt et paratiora obiecta, ex quibus Troposchemata opportuna possunt peti. 1. Ipsa figura Humana, ipsa Mimographia affectuum humanorum, ipsa hominis membra possunt ad plura significanda adhiberi. 2. Instrumenta artium humanarum, vasa, et omne genus supellectilis ad Ethica et Politica plura exprimenda sunt valde utilia. 3. Animalibus brutis, cum quibus plures necessitates, plura vitia, plures modos sollertiae habemus communes, ad Ethica Symbola conficienda opportune utemur.

Ex quo revera factum est, ut omnia fere Symbola et Emblemata Troposchematica, quae in amplissima Europaeorum Bibliotheca Symbolica continentur, ad scientias Ethicas, et Politicas referantur.

## Art. III.

*Polyschemata Tropica satis clara et perspicua in ipsis Disciplinis Ethicis et Politicis sunt admodum rara.*

Nam si *Idea simplex* monoschemate fundamentali polydynamico expressa definienda est per alia schemata homiodynamica, haud leve plerumque et facile negotium est, schemata huiusmodi homiodynamica invenire, quin saepe impossibile. Si

*Idea* est *composita*, et elementa quibus constat, sunt magna ex parte intelligibilia et aschematica, haud frequenter parata et obvia sunt tot *Troposchemata*, quot necessaria sunt ad claritatem idoneam *Polyschemati* inducendam. Huius autem ingentis difficultatis testes primum sunt *Troposchemata* veterum Gentium, et maxime Romanorum, quae admodum raro determinata sunt *adgregatione Troposchematum homiodynamicorum*, vel *Ideosyntheticorum*; frequentissime vero per voces adscriptas et lemmata adiecta, vel per *Cyrioschemata* adposita. Tum *Symbola* et *Emblemata* Gentium nostrarum socialia, quae fere semper obscura sunt et ambigua, neque nisi sermone, traditione, voce, vel Cyrioschemate determinantur; et tandem sunt testes etiam locupletiores infinita illa *Troposchemata* recentiora, Europaeorum, quae etsi a Viris saepe sollertibus, doctis composita, fere semper eguerunt lemmate, inscriptione, epigrammate, commentario, ut fierent perspicua.

## Art. IV.

*Nulla series idearum humanarum, nulla Systemata cogitationum nostrarum possunt continuo ordine per Troposchemata characteristica satis clare exprimi et significari.*

1. Nam primo Troposchemata sunt adiectivae significationis, et absque substantivis est impossibilis quaecumque Scriptura.

2. Secundo quia nulla series est idearum vel cogitationum humanarum, in qua non occurrant ideae causae et effectus, temporis, loci, finis, voluntatis, et alia huiusmodi, quae numquam

poterunt recte exhiberi et omnia per *Troposchemata characteristica.*

### A R T. V.

*Scriptura Troposchematica et characteristica nequit fieri continua, et perfecta etiam additis Cyrioschematibus physicis.*

1. Nam primum ipsa *Cyrioschemata* Physica frequenter expingi non possunt, ut Regiones, Provinciae, Civitates, Collegia etc.

2. *Cyrioschemata* Entium intelligibilium, et Substantiarum invisibilium peculiari sollertia, et systemate sunt conficienda, ut dicetur paulo post.

3. *Polyschemata Tropica* satis clara, ut dictum est, sunt difficilia, et saepius impossibilia.

4. Plurimae ideae sunt quarumcumque fere cogitationum humanarum compositarum, quae nullo modo per *Troposchemata Ideographica*, ut nuper vidimus, possint commode exprimi.

Quamobrem nulla umquam poterit institui Scriptura Polygraphica continua perfecta ex *Troposchematibus characteristicis, et Cyrioschematibus Physicis.* Cuius rei argumentum evidens sunt non modo illa *Emblemata* Doctorum Symbolographorum Europaeorum semper *monographica,* divulsa, interrupta, numquam contigua et continua, numquam *polygraphica*: sed quod gravius, illa ipsa *Emblemata* Regum *historica*, quae historias Metallicas vocant, aeque *monographica* sunt, aeque, discreta, abrupta, et quae numquam ita ordinari et disponi possint, ut inde series cogitationum humanarum continua et contigua possit umquam percipi et deprehendi.

## CAPUT IV.

## *De Scriptura Ideographica et Cyriotropica, sive de Cyrioschematibus Symbolicis et Politicis.*

### Art. I.

***Indicatur origo Cyriotroporum, sive Troposchematum Personalium et substantivorum socialis usus.***

1. *Troposchemata* omnia esse adiectivae non substantivae significationis supra animadvertimus, et contra absque Schematibus substantivis impossibile est unum Polyschema satis clarum et perspicuum constituere. Sunt profecto plura *Cyrioschemata*, quae possunt adhiberi et expingi, sed plura etiam sunt quae tractari commode expingendo non possunt, ut *Cyrioschemata* urbium, regionum, provinciarum, fluminum, montium etc.: tum Populorum, tribuum, familiarum, collegiorum, exercituum etc.: quin etiam artium, munerum, officiorum. Adeoque aliqua methodus est excogitanda, qua probabili ratione huiusmodi substantiae et res possint repraesentari. Et quoniam, si omnes partes Polyschematis essent tropicae, Cyrioschema Physiographicum haberi non posset, et *Cyrioschema* ipsum verum exhiberi non potest, ut dictum est, si alicui elemento *Cyrioschematico* addimus *Troposchemata*, quot adsunt idonea, habebimus profecto *Polyschema Cyriotropicum* satis desiderio nostro respondens, et opportunum. Ita si Typo mulieris Africanae addam Hippopotamum, Crocodilum, ibidem, erit mihi *Emblema* Aegypti *Cyriotropicum* satis opportunum et clarum.

### Art. II.

*Emblemata Ideographica et Cyriotropica satis clara et perspicua per se sunt admodum rara.*

Nam ut huiusmodi *Emblemata* sint per se clara et perspicua, necesse est dari *Cyrioschemata* tractabilia, et adesse alia Schemata Characterum et attributorum, quae adponantur: atqui parare huiusmodi *Polyschemata* haud facile et obvium. Ex quo factum est, ut huiusmodi *Emblemata* in Nummis, aliisve Monumentis, nisi Lemmate, Inscriptione, traditione adiuventur et illustrentur, sint plerumque prorsus obscura et ambigua.

## CAPUT. V.

## *De Ideoschematibus Cyriotropicis et Theologicis.*

### Art. I.

*Indicatur origo Cyriotroporum Theologicorum apud Polytheistas.*

Caussae per quas Mundus iste movetur, agitur, regitur, incorporeae sunt et intelligibiles, nec humano oculo possunt subiici. Ut autem humanae Gentes Substantias hasce incorporeas potuissent et discernere mente, et servare animo, et praeterea externo cultu venerari et colere, necesse fuit formas quasdam corporeas seligere et figuras visibiles, quas proprias peculiares κυριας Diis suis intelligibilibus tribuerent, et consecrarent, et quae propterea *Cyriotropicae* dicerentur,

quia nonnisi *Tropo* et *Metaphora* Diis ut κυρίως et propriae adsignarentur.

## Art. II.

*Forma Deorum Ideographica et Cyriotropica esse non potuit Polytheistis, nisi humana.*

1. Nam primo Forma humana est revera inter animales praestantissima, et Diis nonnisi optima et praestantissima possunt adtribui.

2. Secundo, quia forma humana est forma rationis, et sapientiae, adeoque Diis sapientissimis tribuenda.

3. Tertio quia Homo formam suam Diis tribuendo se nobiliorem efficiebat, quasi Deorum imaginem: unde ille canebat ( Ovid. Metam. 1. v. 83. ).

*Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.*
Et Deos erga se aequiores et procliviores, utpote sibi similes, poterat recte existimare.

Quamobrem quum in brutis animantibus nec sint nec esse possint dotes, characteres, proprietates Diis immortalibus dignae, tenendum est omnino formas Deorum belluinas vel mixtas non esse Ideographicas, sed ad diversum systema spectare. Ex quo, loco suo deducemus Hierogrammata Aegyptiorum, Indorum, Sinensium, laponiorum monstriformia habenda non esse Ideographica.

## Art. III.

*Characteres Ethici et Politici Deorum ex Symbolis humanis Ethicis, et Politicis Ideographice desumentur.*

Nam ex legibus Troposchematicis inde Symbola sunt desumenda, ex quo clarior similitudo, et

insignior analogia, et nexus maior deprehenditur. Atqui hîc nil est propius et similius Deo, quam homo. Ergo characteres Ethici vel Politici, qui possunt Diis tribui, omnino a characteribus hominum sunt desumendi.

### Art. IV.

*Symbola Ideographica Cosmocratiae Deorum ab ipsis obiectis et corporibus, in quibus potestas eorum exerceri putarent Polytheistae, desumentur.*

1. Nam si ideae invisibiles et intelligibiles exprimendae sunt schematibus, quae maximum nexum cum iis habeant; et cum ideis intelligibilibus virium, facultatum, et providentiae Deorum terrestris et Mundanae nulla alia maiorem et clariorem habeant, quam ipsa corpora, ipsae substantiae, in quas vires et providentiam suam exserere et exercere Deos putarent, utique symbola Cosmocratiae Deorum erunt ipsa corpora et substantiae, in quas Cosmocratia illa putatur exerceri. Adeo ut Typi divini Agriculturae Praesidis Symbola Ideographica erunt aratrum, falx, corbis, ligo, flagellum frugum, spicae, fructus horaei, et alia huiusmodi. Ex quo, loco suo colligemus non esse habenda Ideographica illa Deorum symbola, quae huic providentiae terrestri, vel characteribus Ethicis et Politicis non congruant.

## CAPUT VI.

## *De Scriptura Ideographica composita ex Cyrioschematica Physiographica, ex Cyriotropica Politica, ex Cyriotropica Theologica, et ex Troposchematica characteristica.*

### ART. I.

*Scripturâ huiusmodi compositâ plura Humana facta, plura Dramata Theologica Anthropopathica, plura Emblemata Ethica, et Politica poterunt commode obtineri.*

Ubi enim pro opportunitate coniunguntur *Schemata* vel *Dramata Physiographica*, *Dramata Historica* vel *Pragmatographica*; tum *Cyriotropica*, et tandem *Troposchemata*, omnia adsunt elementa, quibus, si minus plerumque, saepius certe illa *Dramata* at *Emblemata* possint obtineri.

Et profecto ex his Elementis, etsi magis systematice et minus perfecte *Scripturam Mexicanam*, et *Canadensem* conditam esse arbitror.

### ART. II.

*Scientiae Ontologicae, Psychologicae, Cosmologicae, Theosophicae ne hac quidem quadruplici Scriptura poterunt umquam clare exprimi.*

Nam ideae et cogitationes, quibus Scientiae huiusmodi constant pleraeque saltem, nec *Cyrioschematibus Physicis*, nec *Cyriotropis*, nec *Troposchematibus Characteristicis* poterunt clare unquam exprimi et exhiberi.

## Art. III.

*Numerus Schematum, qui in hac Scriptura adhibetur est varius et multiplex.*

Nam si varia et multiplex Natura expingenda est, si varia et diversa Hominum facta sunt exhibenda, si munera Deorum multiplicia sunt significanda, et id genus alia, omnino varia, diversa, multiplicia Schemata sunt in hac Scriptura adhibenda.

## Art. IV.

*Forma huius Scripturae numquam analytica est, continua, et Polygraphica, sed Synthetica, Dramatica, Scenographica.*

Nam vel exprimit *Dramata Physica*, vel *Theologica*, vel *Emblemata Ethica*, et *Politica*, quae numquam Scripturam continuam et *polygraphicam* efficere valebunt.

## Art. V.

*Natura Ideographica huius Scripturae maxime interpretatione additá semper clare et evidenter percipitur.*

In hac enim Scriptura vel ipsa Natura per *Cyrioschemata* expingitur, vel praesertim *Ethica* et *Politica* per *Troposchemata characteristica*, quorum impossibile est non agnoscere vim et potestatem Ideographicam, maxime si apponatur significatio et interpretatio.

Haec autem eo maxime consilio animadvertimus, ut *Scripturam* Aegyptiorum *Hieroglyphi-*

*cam* quam longissime ab ista *quadruplici Scriptura characteristica* distare loco suo colligamus.

## CAPUT VII.

## *De Scriptura Ideographica Polygraphica et Systematica.*

### ART. I.

*Attentione, curâ, et studio tantam copiam Troposchematum parari posse, ut Scriptura analytica, et polygraphica instituatur, probabile est.*

Nam certum est omnia Entia et Corpora huius Mundi esse quasi polygona infinitorum laterum, et inesse eis plurimos nexus, et relationes cum ideis cuiuscumque naturae et generis: adeo ut nulla alia re egere videamur, ut ingentem numerum Troposchematum nobis paremus, quam improbo studio, prolixâ curâ, et opportunâ sollertiâ, ut similitudinem et analogiam, vel generationis, productionis et coëxistentiae nexum detegamus, statuamus, et constanter animo servemus, quae fieri posse probabile est.

### ART. II.

*Per Monoschemata Polydynamica Scripturam Ideoschematicam et Polygraphicam constituere impossibile est.*

Nam, ut superius animadvertimus, omnia *Monoschemata* etiam in prolixam seriem disposita et ordinata sunt adhuc ambigua et aequivoca, adeoque *Scriptura*, quae ex eis exsurgit, est plane inutilis et nulla. Nec dici potest ambiguitatem et

aequivocum huiusmodi auferri posse sermone, traditione, voce, quum sit perpetua, intima, universalis: nec possint esse vires et facultates ulli ingenio humano constituendi et clare et perpetuo servandi certa systemata idearum, certas series cogitationum per incertas, ambiguas, et aequivocas series schematum et signorum. Et quoniam vires mentis nostrae sunt admodum tenues, et nimium labilis est memoria nostra, fieri omnino non posset, quin gravia mala et nocumenta illis advenirent, qui huiusmodi ambiguitatibus et aequivocis uterentur. Quamobrem si nulla Gens plurima et magna frustra et incassum, vel ad damnum et perniciem suam umquam scribit, et frustra vel ad damnum suum scribit, qui ambigue et aequivoce scribit, et ambigue et aequivoce scribit, qui utitur Monoschematibus Ideographicis, ideo tenendum certissime est nullam umquam extitisse Gentem, quae plurima et magna per *Monoschemata Tropica* scripserit. Adeoque etsi concedatur Aegyptios scripsisse multa per *Troposchemata ideographica*, quod falsum est, quum certum sit ex Horo-Apolline, Clemente Alexandrino, aliisque Veteribus pluribus eos adhibuisse schemata polydynamica, et figurâ ex. gr. *Accipitris*, *Vulturis*, *Canis*, *Stellae etc.* ad varia et diversa significanda usos esse, numquam potuit fieri, ut per *Monoschemata Ideographica* necessario ambigua et aequivoca scripserint, adeoque versiones Textuum Hieroglyphicorum, quas per Monoschemata Ideographica Kircherus, Pahlinus, Riccardius, uterque Champollionus, Sanquintinus, Gazzera, Rosellinius, aliique eiusdem scholae asseclae tradiderunt, esse absoluta necessitate falsas.

## Art. III.

*Qui factum sit, ut videatur posse colligi ex Scriptoribus Graecis, Latinisque Aegyptios revera adhibuisse Monoschemata Polydynamica.*

1. Id factum primo, quia Graeci et Latini leviter tantum et tenuiter Hieroglyphica attigerunt. Et adeo una et paucissima *Monoschemata* ad propositum suum opportuna ducere potuerunt, non vero *Polyschemata* implexa et difficilia. Aliquot autem *Monoschemata* facilia et parata, voce et sermone poterunt explicari, et levi labore memoria servari.

2. Secundo, quia Sacerdotes Aegyptii ex severissima lege Arcani numquam potuerunt explicare Graecis vel Latinis hominibus *Polyschemata* sua; sed *Monoschemata* potuerunt. Nam hoc pacto satisfaciebant curiositati quaerentium, et interrogationibus respondere recta videbantur, sublimem ideam sapientiae suae eis ingerebant, et veram scientiam Hieroglyphicam non modo hoc pacto non aperiebant, sed solertius occulebant, et penitius celabant.

3. Tertio, quod non modo ad Crypticismum tuendum, sed etiam ad Paedagogiam instituendam potuerunt Aegyptii uti *Monoschematibus Polydynamicis*. Et ut modo praeceptor Rhetorices utiliter quaerit a discipulo ad quot et quas similitudines, *metaphoras*, et *allegorias* poterit adhiberi *Leo*, *Accipiter*, *Equus*, *Canis*, etiamsi numquam similitudo, *metaphora*, *allegoria*, uno *Leone*, *Accipitre*, *Equo*, *Cane* absolvatur: ita etiam Sacerdos Aegyptius poterat a Discipulo quae-

rere Polydynamiu Hieroglyphicam *Accipitris*, *Vulturis*, *Canis*, *Stellae etc.* etiamsi numquam in Scriptura vera uno Schemate *Accipitris*, *Vulturis*, *Canis*, *Stellae* uterentur.

Et profecto quum Hieroglyphica, quae Veteres scripto nobis servarunt, sint plusquam trecenta, et ex hoc magno numero pleraque nuspiam in Monumentis Hieroglyphicis appareant, quumque ex Hieroglyphicis Monumentorum insignioribus, praestantioribus, compositis nullum prorsus a Veteribus clare descriptum et explicatum inveniatur; est prorsus evidens Hieroglyphica illa a Veteribus adducta et servata non ad Systema verae et publicae Scripturae, quae in Monumentis est, spectasse, sed ad Paedagogiam Crypticam, et Sacerdotalem, qua Viatores et Exteri, qui interrogabant, docte falli, et Discipuli electi sensim et paullatim ad maiora institui poterant. Nec praetereundum est omnia Hieroglyphica a Veteribus citata et servata esse invicem divulsa, separata, nexu et vinculo mutuo carentia; unde iterum colligere pronum est numquam ad veram Hieroglyphicorum notitiam dandam, sed ad levem et falsam ingerendam a tenacissimis Crypticismi Patrum Custodibus adhiberi potuisse: atque adeo aliis legibus, aliis rationibus Monumenta genuina Hieroglyphica constitisse; et propterea nil facere ad rem quod ex Veteribus colligi posse videatur, Aegyptios Monoschematibus polydynamicis quandoque usos fuisse.

## Art. IV.

*Scriptura Ideographica Systematica et Polygraphica ex Monoschematibus Monodynamicis videtur possibilis.*

Nam ubi *Monoschemata* sunt *Monodynamica* non *Polydynamica*, ubi singulis schematibus singulae non plures ideae respondent, non adest amplius ambiguitas et aequivocum, et certa intelligentia potest obtineri. Est porro nobis facultas abstrahendi, separandi proprietates a proprietatibus, characteres a characteribus, adeoque facultas faciendi monodynamica Schemata polydynamica. Quamobrem si attentione et studio ea copia Troposchematum potest parari, quae ad instituendam Scripturam Polygraphicam sint satis, si attentione pariter et studio possumus *Monodynamica* reddere Schemata *Polydynamica*, et si schemata *Monodynamica* sunt apta et idonea scripturae, utique possibilis est *Scriptura Ideographica Polygraphica* ex *Monoschematibus Monodynamicis* confecta.

## Art. V.

*Si possibilis est huiusmodi Scriptura ingenti plane Schematum numero eget, ut fiat Polygraphica.*

Si enim quaevis series humanarum cogitationum ingenti numero idearum constat, et in hac scripturâ quaevis idea schemate suo proprio et peculiari eget ut exprimatur, ingens utique numerus schematum diversorum est necessarius, ut *Scriptura* huiusmodi *Polygraphica* possit institui.

A r t. VI.

*Si Scriptura huiusmodi possibilis est, eius schemata ita erunt ordinata et successive disposita, ut fere sunt in Libris literae Alphabeticae.*

Nam si in hac Scriptura singulae ideae singulis schematibus repraesentantur, et ideae ut perspicue percipiantur in rectam et successivam seriem sunt ordinandae, utique haec Scriptura facta erit a seriebus *Monoschematum*, quae ordinem et successionem literarum alphabeticarum datae orationis imitabuntur.

A r t. VII.

*Si extaret huiusmodi Scriptura, absque interpretatione et commentario esset inexplicabilis.*

Nam quum *Troposchemata* sint naturâ suâ *polydynamica*, et fieri nequeunt *Monodynamica* nisi voluntate, arbitrio, *systemate*, et nullius voluntas et *systema* nisi verbo, signove manifesto possit nosci: utique necessaria est interpretatio, et traditio, ut Scriptura huiusmodi possit intelligi, et explicari.

A r t. VIII.

*Data interpretatione huius Scripturae, relatio Ideographica inter schemata et verba versionis est statim certa et evidens.*

Nam si Scriptura ex hypothesi est Ideographica, si revera schemata adhibita indicant characteres, proprietates obiectorum, quorum sunt imagines, impossibile est statim non percipi eorum rela-

tionem. Quod si absque versione et interpretatione nexum et relationem veram *Troposchematum Ideographicorum* plerumque non capimus, non fit quod nexus et relatio non existat, sed quod existentibus plurimis significationibus, ob *Polydynamin* vera decerni, et propria constitui non possit, nisi certum adiumentum accedat. At data versione et nexu definito impossibile est statim non prodi, et cognosci relationem Ideographicam.

## A r t. IX.

*Si possibilis est haec Scriptura, est immanis prorsus et fere insuperabilis difficultatis.*

1. Nam primo ingens est difficultas in invenienda et paranda ingenti quantitate *Troposchematum.*

2. Immanis difficultas in abstrahenda *Polydynami*, et constituenda in animo *Monodynami* Schematum inventorum.

3. Incredibilis difficultas servandi in animo et retinendi leves et obscuras similitudines inter schemata et ideas intelligibiles.

4. Maximus etiam labor in *Cyrioschematibus* plurimis Politicis et Theologicis parandis, distinguendis, et servandis animo constanter et iugiter.

5. Longe maior etiam difficultas parandi et cumulandi vires genitrices et effectrices eius, quum nullae necessitates humanae huiusmodi Scripturâ egere videantur; quumque aeque inepta sit ad doctrinas humanas clare tradendas, et ad rationalem Crypticismum instituendum.

Quamobrem nulla adhuc nota Gens est, quae hanc Scripturam adhibuerit; nosque de ea egimus, ut loco suo de *Hieroglyphica Aegyptiorum Scriptura* possimus recte iudicare.

## Art. X.

***Scriptura polygraphica per Polyschemata systematica videtur possibilis.***

Nam si *Polyschemata Ideographica* sunt possibilia, si *Polyschematibus* ambiguitas et aequivocum Scripturae Schematicae tollitur, si attentione et studio satis copiosum numerum *Troposchematum* possumus nobis comparare; utique *Scriptura Ideographica systematica*, *polyschematica* et *polygraphica* videtur possibilis.

## Art. XI.

***Si possibilis est Scriptura huiusmodi, immani schematum numero eget, ut fiat polygraphica.***

Etsi enim adhibeantur *Schemata polydynamica*, quia horum schematum ambiguitas et aequivocum auferri nequit, nisi adgregatione aliorum schematum, et quia omnes ideae exprimendae, tribus vel quatuor plerumque schematibus sunt definiendae et significandae, evidens est immanem numerum Schematum requiri, ut *Scriptura* huiusmodi fiat *polygraphica*.

## Art. XII.

***Polyschemata huius Scripturae ubi solvuntur et examinantur, nexum et relationem suam Ideographicam clare et perspicue prodent.***

Si enim *Schemata* sunt ex hypothesi *Ideographica*, si seliguntur, si apponuntur per leges *Ideographicas*, fieri nequit, quin naturam suam *Ideographicam* considerantibus et animadverten-

tibus prodant. Adeo ut, si data *Scriptura polyschematica*, et solutis et consideratis Schematibus relationes *Ideographicae* non sint evidentes et perspicuae, impossibile sit *Ideographicam* esse.

## Art. XIII.

*Si possibilis est Scriptura huiusmodi, difficillimae prorsus et abstrusissimae est formationis.*

1. Nam, praeter alias ingentes difficultates superius expositas, *Polyschemata Ideographica* plurima condere, quae satis commode ingentem numerum idearum, abstractarum, generalium, intelligibilium exprimant, abstrusissimae est difficultatis. Tum aeque desunt vires genitrices et effectrices tam difficilis operis, nulla humana necessitate acriter urgente, et multis contra clarioribus et utilioribus methodis ab immani labore abstrahentibus. Hinc factum, ut ex immensa Bibliotheca Symbolica tam veterum, quam recentiorum Gentium nequeant adhuc excitari decem tantum *Polyschemata Ideographica* continua et contigua, quibus vi propriâ cogitationes aliquot humanae ordine et successione sua satis clare et perspicue significentur et prodantur.

# SECTIO III.

## DE SCRIPTURA IDEOGRAPHICA ET SEMATICA, SIVE IDEOSEMATICA.

## CAPUT I.

## *De Scriptura Ideographica, Metriotypica, Polysematica, et Polygraphica.*

### ART. I.

### *Quae sit Scriptura huiusmodi.*

Si quis Philosophus *Ideas*, quibus homines instrui solent, in duas veluti partes tribuat et discernat, in quarum unâ *ideas* collocet *compositas*, complicatas, quae scilicet multis veluti elementis et partibus constare videantur: in altera vero ponat *ideas generales*, *abstractas*, *simplices*, quae in alias non posse solvi videantur, et quae quasi radices et elementa haberi possint *idearum* compositarum : si hinc *ideas* illas *simplices* et elementares opportunis et idoneis *Sematibus* adiungat, si per *idearum simplicium* synthesin, adeoque per *Sematum* positorum adgregationem *ideas* ceteras *complicatas* valebit exprimere, erit ei iam *Scriptura Ideographica*, *metriotypica*, *polysematica*, et *polygraphica*.

1. Et quidem *Ideographica*, quia *ideae* tum *simplices* tum *compositae* Sematibus radicalibus et eorum synthesibus significantur.

2. *Metriotypica*, quia numerus *Idearum simplicium* et generalium est mediocris et moderatus, spectata multitudine *Idearum complicatarum*, et adeo numerus *Typorum radicalium* est mediocris relatione habita ad numerum *Polysematum*.

3. *Polysematica*, quia omnes *Ideae complicatae* et compositae, quae *Polysematibus* exprimuntur longe superant numerum *idearum simplicium.*

4. Et tandem *Polygraphica*, quia ex hypothesi vel omnes vel plerasque Ideas humanas volumus eâ exprimere.

A r t. II.

*Semata radicalia huius Scripturae non erunt penitus informia et abnormia, sed quoties fieri poterit erunt indicativa et innuentia.*

Nam *Scriptura* ex hypothesi est *Ideographica*, et propterea nulla ratio negligetur, ut ideae satius exprimantur et repraesententur. Atqui plures *ideae* etiam *abstractae* et *generales*, ut altitudo, profunditas, rectitudo, pravitas, volubilitas, asperitas etc. possunt etiam per minimas lineolas *indicative* designari. In condenda igitur *Scriptura* huiusmodi seligentur omnino *Semata*, quae similitudinem quandam *indicativam* cum *ideis* suis praeseferant.

A r t. III.

*Semata radicalia huius Scripturae respondere nequeunt Ideis peculiaribus, concretis, individuis.*

Nam *Ideae concretae*, peculiares, individuae sunt *compositae* et *complicatae*, adeoque non *formatrices* et genitrices; sed ipsae contra a simplicioribus et abstractis formandae. Quin ubi *Semata radicalia* respondent *Ideis concretis* et peculiaribus, nequeunt indicari amplius *Ideae abstractae* et *generales*, quae analysi, non syn-

thesi fiunt, et reliquae etiam concretae et corporeae, utpote heterogeneae.

ART. IV.

*Ut Scriptura huiusmodi fiat Polygraphica requiruntur plusquam 500 Semata elementaria et radicalia.*

Nam *Ideae simplices*, abstractae, *generales*, quae in *complicatarum*, et *compositarum* formatione possunt et debent adhiberi, veluti ideae spatii, temporis, quantitatis, virium, relationum, actionum, passionum, rationis, voluntatis etc. etc. sunt longe plures quam 500.

ART. V.

*In hac Scriptura magna pars Polysematum, constabit octo, decem, et duodecim Sematibus.*

Nam ingens est numerus *Idearum complicatarum*, quae tot ideis simplicioribus constant necessario exprimendis. Ita si ponimus Ideam hominis tribus sematibus absolvi, tribus ideam maris, tribus ideam navis, *Idea navigationis* complicata, quae ex ideis hominis, maris, et navis conficitur, constabit novem Sematibus. Ita idea Venationis complicata, quae fit ex ideis hominis, canis, ferae, et camporum, vix decem vel duodecim Sematibus poterit absolvi.

## Art. VI.

***Si in hac Scriptura inducitur substitutio, tum numerus Radicalium amplissimus evadet, et ipsa Scripturae constitutio corrumpetur.***

Possumus quidem in hac Scriptura imitari, quod in sermone quotidie exsequimur; scilicet, ut quotidie pluribus verbis definito ex. gr. *homine*, *rege*, *mundo* etc., deinceps vero non utimur tota definitione, sed tantum verbo illo definito: Ita possumus etiam in hac *Scriptura Polysematibus* substituere *Monosemata*, quasi eorum compendium. At si id fit, tum numerus *Monosematum* evadet amplissimus, et ipsum numerum *Polysematum* superabit. Tum nullo criterio *Ideae simplices* et *complicatae* amplius distinguentur, et Scripturae conditiones fient absurdae.

## Art. VI.

***In Scriptura huiusmodi Polysemata sunt semper definitiones Idearum complicatarum, semper descriptiones obiectorum concretorum.***

Essentiale enim propositum huius Scripturae est exprimere *ideas complicatas* per *ideas simpliciores*, et *elementares*, quae elementaribus Sematibus adnectuntur. Soluto igitur *Polysemate* illico necesse est occurrere *ideas* illas *elementares*, quae *ideam complicatam* et compositam efficiunt. Et propterea data versione huius Scripturae, et data potestate *Sematum radicalium*, illico datae erunt *definitiones* vel *descriptiones* clarae et evidentes *idearum complicatarum* et compositarum, quae *Polysematibus* significantur.

### A r t. VII.

*In hac Scriptura Semata radicalia sunt etiam Lexeographica.*

Nam quum *Ideae generales*, abstractae, simplices in hac nostra Oeconomia constitui, servari animo, et discerni nequeant nisi ope *verborum*: si Sematibus radicalibus *ideae abstractae, generales*, et *simplices* adnectuntur, utique etiam verba et vocabula, per quae hae *ideae simplices* distinguuntur, servantur, nominantur, erunt illis *Sematibus* coniuncta.

### A r t. VIII.

*Polysemata huius Scripturae possunt semper verti in Lemmata certae Linguae.*

Nam si *Polysemata* ex *Sematibus radicalibus* constant, et singulis Sematibus vox sua adnexa est, quia necessario ideae vox adnectitur: utique *Polysema* erit vocum et verborum adgregatio, sive Lemma vocabulorum illius Linguae, quam *Conditor* huius Scripturae novit et didicit.

### A r t. IX.

*Impossibile est condi hanc Scripturam, nisi praesto sit Lingua clara, dives, copiosa, docta, energica, praestans.*

Nam, ut saepe monuimus, quum hac in oeconomia cogitemus verbis, nisi lingua adsit docta, philosophica, perfecta suo in genere, haud magnus esse poterit numerus idearum abstractarum, generalium, Ontologicarum, Metaphysicarum, et adeo nec concipi quidem animo haec *Scriptura* poterit.

Videant igitur qui de *Scriptura Sinica* cogitant, quantae necessitatis sit linguam claram copiosam doctam Conditoribus eius tribuere, et ab illa quam adhibent publice longe aliam et diversam; etiamsi detur, quod falsum est, *Scripturam* illam esse prorsus *Ideographicam*.

## CAPUT II.

## *De Scriptura Ideographica, Polysematica, Oligotypica, et Metriographica.*

### ART. I.

### *Quae dicatur huiusmodi Scriptura.*

Si quis datis duobus, tribus, quatuor, vel omnino paucissimis Typis, hos tamen variet 1. *Magnitudine*, ut alios faciat grandiores, alios minores. 2. *Numero*, ut bis, ter, quater idem Typus repetatur: 3. *Positione*, ut Typus modo constituatur rectus, modo inclinatus, modo stratus. 4. *Loco*, ut modo sit supra, modo infra, modo a latere collocatus: ita ut usque ad centum Varietates possint obtineri. Si aliquae Disciplinae possint inveniri, quarum ideae satis commode iis Varietatibus notari possint, sive *Sematibus* simplicibus sive *Polysematibus*; habebitur *Scriptura Ideographica*, quia ex hypothesi *ideae Sematibus* adnectuntur, *Polysematica*, quia plura sunt plerumque Semata adgreganda, ut cogitatio exprimatur *Oligotypica*, quia typi paucissimi sunt, et tandem *Oligographica* vel *Metriographica*, quia scribere plurima tam paucis et *crypticis* signis impossibile est.

ART. II.

*Ideae Arithmeticae, Musicae, et aliquot Geometricae possunt rectà Varietatibus Oligotypicis adnecti.*

Nam *ideae Arithmeticae, Musicae, Geometricae* possunt recta adiungi Typis, qui numero, loco, positione, magnitudine distinguuntur.

ART. III.

*Plures ideas Theologicas et Metaphysicas posse rationibus Arithmeticis, Musicis, Geometricis exprimi certum est.*

Nam quum omnia in Mundo sint constituta in *numero*, in *mensura*, in *harmonia*, necesse est in omnibus esse rationes *numeri*, *mensurae*, et *harmoniae*. Adeoque detectis his rationibus, *ideis Metaphysicis* et *Theologicis* posse eas adiungi dubitari non potest. Ex quo revera factum est ut *Chaldaei*, *Aegyptii*, *Pythagorici*, *Platonici*, *et Eclectici* incredibili studio ad has rationes detegendas, et constituendas incubuerint.

ART. IV.

*Systema Theologicum alicuius Gentis poterit per Oligotypos exprimi.*

Nam si *Ideae Theologicae* possunt per *rationes Numeri*, *Mensurae*, et *Harmoniae* exprimi, et haec possunt exprimi per *Oligotypos*, utique per *Oligotypos* potest exprimi *Systema* aliquod *Theologicum*.

Hinc loco suo colligemus in omni *Scriptura Cuneographica* Chaldaeorum, Medorum, et Persarum, vel *Lineari* Aegyptiorum, et Sinensium posse inveniri Ideas Theologicas hac methodo *oligotypis* conditas.

# SECTIO IV.

## De Scriptura Lexeographica et Schematica, sive Lexeoschematica.

## CAPUT I.

### *De formatione elementari Scripturae Lexeoschematicae.*

#### Art. I.

*Quomodo gignantur Lexeoschemata Cyriologica, directa, et Ideographica.*

*Verba* cuiuscumque humanae linguae vel *Schematica* sunt, vel *Aschematica*; scilicet vel significant ideas visibiles, figuratas, corporeas; vel invisibiles, intelligibiles, incorporeas. Atqui *ideae* ipsae visibiles, figuratae, corporeae rite et legitime *Schemate* et figurâ sua repraesentantur. Ergo *Verba* etiam *Schematica* et vocabula figurabilia, quae sunt intima et perpetua signa Idearum in hac nostra oeconomia per Schemata et figuras, quas constanter et perpetuo significant, rite et legitime exprimentur. Praeterea, si quotidie et ad singulas horas obiecta corporea cuiusvis generis, vel ideas quascumque figuratas *Verbis* et vocabulis suis significamus et exprimimus; omnino aequum est, ut *Verba Schematica* et vocabula figurata possimus pariter schematibus et figuris, quas notant et significant, exhibere et exprimere; quod profecto ubi fecerimus habebimus *Lexeoschema directum*, quum schema et vox *directe* sibi respondeant, *Cyriologicum*, quia propriam suam vocem *Schema* indicat, et quasi proloquitur, et *Ideographicum*, quia idea percipitur etiam linguâ ignotâ.

## ART. II.

### *Indicatur generatio Lexeoschematum Tropicorum et Symbolicorum.*

*Ideae* et *verba*, cogitationes humanae et vocabula Linguae certae tam constanti et intimo nexu mutuo cohaerent in hac praesenti nostrâ Oeconomiâ, ut nos plerumque per *Verba* cogitemus, et penitissimas animi operationes ipsis *Verbis* plerumque perficiamus. Atqui *ideas aschematicas* et intelligibiles *figuris visibilibus* et Schematibus rite et legitime significamus, sive *Tropo similitudinis* et paritatis, sive *Tropo productionis*, et coëxistentiae. Ergo etiam *Verba aschematica* et vocabula intelligibilia aeque legitime et rite poterimus facere schematica et figurata *Tropo similitudinis*, et *Tropo adhaesionis* et productionis. *Tropus* autem *similitudinis*, et analogiae in *Verbis* et vocabulis haberi non potest, nisi in similitudine elementorum pronuntiationis, et analogia soni : adeoque si *Vox aschematica* et intelligibilis est *homiophona voci corporeae* et figurabili poterit *Aschematica* et intelligibilis significari a *Schematica* et figurabili ob *soni similitudinem*, et paritatem. *Tropus* vero *generationis* et adhaesionis habebitur in *Temura*, sive *Metagrammatismo*, et transpositione literarum datae vocis aschematicae. Adeo ut si transpositis Literis exsurgit vox nota, certa, schematica, huius figurâ et schemate legitime utemur ad illam *aschematicam* significandam. Et revera per *Temuram* sive transpositionem literarum datae *vocis aschematicae* sive frequentius, sive rarius pro linguarum naturâ, solent verba schematica prodire, et adeo figuram suppeditare

qua *aschematica* possit significari. Praeterea quum voces, quae obtinentur per *Temuram* datae vocis videantur veluti ex visceribus et utero eius prodire, quumque iisdem prorsus literis constent, ac data vox, maximam omnino et intimam necessitudinem productionis et adhaesionis inter datam *Vocem* et *Temuras* suas intercedere dicendum est. Neque porro praeter *Temuram* alia ulla ratio est, alia via, qua alterum illum *Tropum generationis* et productionis, et vocabula schematica possimus nobis quaerere et obtinere. Etsi enim *Voces compositae* vel *derivatae* videantur respectu *Radicum* quasi effectus et producta, vel res utcumque adhaerentes, sunt tamen ad obtinendas voces schematicas prorsus inutiles et ineptae. Nam radix *aschematica* numquam fiet *schematica* dato quocumque numero *derivatorum* vel *compositorum* suorum; quia *idea* fundamentalis manet eadem in omnibus *derivatis* et *compositis* suis. Si igitur volumus datam Vocem *aschematicam schemate* significare, duae tantum adsunt viae et rationes ad Schema desideratum obtinendum, nempe *Homiophonia*, et *Temura*; *Similitudo soni*, *et transpositio Literarum.*

## A r t. III.

### *Monoschemata Lexeographica et Tropica etiam in seriem digesta ambigua sunt et aequivoca.*

1. *Primo*, quia in omnibus fere linguis et maxime Temuricis eadem obiecta pluribus nominibus gaudent: adeoque dato tantum eorum monoschemate incertum adhuc est, quam vocem, quod verbum indicare voluerit Auctor.

2. *Secundo*, quia dato *Monoschemate Tro-*

*pico* ignotum est fuerit ne genitum per *Temuram*, an per *Homiophoniam*.

3. *Tertio* ignotum est per quam *Temuram* vel quam *Homiophoniam* Monoschema prodierit, quum plures esse possint *Temurae*, plures *Homiophoniae*.

Quamobrem nulla esse potuit Gens, quae Lemmata Linguae suae per *Monoschemata Tropica* et *Lexeographica* expresserit, et intellexerit, et servaverit.

A r t. IV.

*Indicantur modi, quibus Monoschemata Tropica et Lexeographica possint reddi certa, et univoca; sive de generatione Polyschematum Lexeographicorum.*

1. *Primus modus* habetur per *Homiodynamin:* si scilicet dato *Troposchemate* fundamentali quaeramus aliud Schema, cui eadem, vel similis sit vis et potestas, et fundamentali adiungamus. Tum enim etsi utrumque seiunctum sit ambiguum et aequivocum, mutua tamen adhaesione et coniunctione limitantur et coërcentur, et cum ex hypothesi in unam ideam conveniant, ea una quasi ex mutuo attritu exsilit et prodit perspicua, et clare significabit vocem et ideam. Quod si unum adhuc schema homiodynamicum et determinans non sufficere videatur, addi potest et alterum.

2. *Secunda ratio* est *Homiophonia*, qua scilicet conamur vocem Schematis fundamentalis certo definire per alia Schemata vel *Homophona*, vel *Homiophona.*

3. *Tertia ratio* fit *Ideocrisi;* si scilicet Schemati fundamentali Lexeographico addimus schema

aliud *Ideographicum*, quo idea Vocis fundamentalis schemate Ideographico definiatur; ut si schemati *Tauri*, quo vellem significare cantorem et *psallentem*, adiungerem *Lyram*.

4. *Quarta ratio* fit per *Ideosynthesin*. Quum scilicet Ideam complicatam per elementa sua exprimimus. Tum enim etsi id faciamus per *Lexeoschemata*, quae disiuncta essent ambigua, coniuncta tamen et in unam prorsus ideam cohaerentia fiunt *univoca*, et clara.

## A r t. V.

### *Quid requiratur, ut possit institui Scriptura Lexeoschematica et Polygraphica.*

Ut inveniatur et statuatur *Lingua*, in qua pleraque verba sint *Temurica*, et plurima sint *Homiophona*. Ea nempe, cuius plurima Vocabula per *Temuram* sive metagrammatismum in alia vocabula legitima et recepta eiusdem Linguae convertantur, et propterea sit *consonantica*, vocalibus tantum obscuris, gutturalibus, anhelantibus praedita, et quae possint invicem facile permutari. Ea quae sit *biliteralis* vel *triliteralis*, quum *Temurae*, si numerus literarum radicalium augetur, vel non sint, vel paucissimae sint, et ad propositum non sufficiant. Ea insuper cuius *Alphabetum* plusquam viginti literis constet, ut plura sint homiophona legitima: si enim litterae sunt tantum 15 vel 16 pauca tantum esse poterunt *homiophona*, et ad necessitatem *Scripturae Lexeographicae* et *Polygraphicae* minime sufficientia.

### ART. VI.

*De Criterio Scripturae Lexeoschematicae.*

Data *Scriptura Schematica* si analytica est, discreta, et tamen continua *Lexeoschematica* est, non *Ideographica*: si data interpretatione Schemata sunt absona absurda ideographice, est necessario *Lexeographica*. Nam Schemata, quum ratione nominum et vocum suarum adhibeantur, plerumque *Ideographice* sunt absona et absurda, et contra *Schemata Ideographica* esse *Ideographice* absurda impossibile est.

## CAPUT II.

## *De Scriptura Lexeoschematica Polygraphice regulari et legitima.*

### ART. I.

*Quae dicatur Scriptura huiusmodi.*

Si datum *Lemma* sive totum sive magna ex parte *aschematicum* et intelligibile, maiore claritate possibili conamur per figuras et *Schemata* exprimere, *Scriptura*, quae inde exsurgit, dicetur *regularis* et *legitima*. Quia omnis Scripturae naturalis et intrinseca *lex* est clare et perspicue quae eâ notata et signata sunt lectori tradere et aperire: Et quoniam plures *leges* et *regulae* sunt singulis Scripturae modis, quibus clarior et minus involuta et ardua fiat: ubi has ipsas *leges* et *regulas* claritatis et perspicuitatis sequimur et tuemur, *Scriptura* iure dicetur *regularis* et *legitima.*

## ART. II.

*Recensentur characteres et proprietates praecipuae Scripturae Lexeoschematicae regularis et legitimae.*

1. Schemata huius Scripturae erunt sive omnia sive pleraque certa, nota, obvia, quia *Verba* certa, nota, obvia nonnisi *Schematibus* certis, notis, obviis poterunt rite exprimi et repraesentari.

2. Schematum numerus erit varius, et multiplex. Nam *Schemata* apta et opportuna sunt undecumque desumenda, et a quocumque Naturae angulo colligenda.

3. Si in dato *Lemmate verba Schematica* occurrunt, Schemate suo et figurâ propriâ exprimentur.

4. Quoties idem *Verbum* redit in Lemmate, toties idem *Schema* redibit in *Lexeogrammate*.

5. *Verba aschematica* et intelligibilia per *Temuras* clariores, et per faciliores homiophonias fient *Schematica* et figurabilia.

6. In singulis *Lexeogrammatibus*, quae datis Lemmatibus respondent, numerus *Schematum* adhibitorum erit saltem duplus verborum datorum. Nam singula *verba aschematica* egent duobus vel tribus *Schematibus*, ut fiant clara et perspicua.

7. *Schemata Polyschematum* erunt invicem coniuncta, et in unum *Syngramma* collecta, ut singula singulis *Verbis* respondere lector aperte cognoscat.

8. *Schemata fundamentalia* a *determinantibus* distinguentur vel magnitudine, vel loco, vel colore.

## CAPUT III.

## *De Scriptura Lexeoschematica et Polygraphica abstrusa, difficili, Cryptica.*

### A R T. I.

### *Quae dicatur huiusmodi Scriptura.*

Si condi potest *Scriptura Lexeoschematica*, quae omnibus fere legibus et characteribus *Scripturae regularis* et legitimae adversetur, sed tamen sit certa, et intelligibilis; si potest ita componi, ut summa prorsus difficultate explicetur, sed certam tamen sententiam reddat; si aspera, abstrusa captu sit, sed tamen capiatur et teneatur absque ambiguitate et aequivoco, haec *Scriptura* illa est de qua hîc agimus.

### A R T. II.

### *Recensentur leges et conditiones Scripturae Lexeoschematicae et Polygraphicae abstrusae et Crypticae.*

1. Si in *Scriptura legitima schemata* sunt semper nota, clara, obvia, in *abstrusa* et *cryptica*, erunt saepius obscura, *cryptica*, systematica.

2. Voces *schematicae* in *Scripturâ regulari* semper schemate suo repraesentantur, in *Cryptica* contra alio et diverso, ita ut Templum gladio significetur.

3. In *Scripturâ legitimâ* quoties idem *verbum* redit, toties redit idem *schema*; in *Cryptica* contra quoties redit idem verbum, fere toties alio et diverso schemate exhibetur.

4. In *Scripturâ legitimâ* conamur iisdem *Sche-*

*matibus* eadem *Verba* significare, diversis diversa: in *Cryptica* contra laborandum est ut iisdem *Schematibus* diversa, et *diversis* eadem *verba* significentur.

5. In *Scripturâ legitima* numerus schematum, quae adhibentur est varius et multiplex; in abstrusa. et *Cryptica* erit longe minor et contractior: nil enim est quod ita asperam et difficilem possit reddere *Scripturam* huiusmodi, quam brevis et contractus *schematum* numerus.

6. In *Scripturâ legitimâ* Schemata fundamentalia a determinantibus evidenter discernuntur, in *Cryptica* aperte et manifeste non discernentur.

7. Tandem in *Scriptura regulari Polyschemata* singula in *Syngrammata* collecta mutuo distinguentur, in *Cryptica* non item.

## A R T. III.

*Indicatur ratio, qua legitimus numerus Schematum Scripturae Lexeographicae possit in longe minorem et breviorem contrahi.*

1. Data sit *Lingua Temurica* 2000 vel 3000 radicum. Has omnes tribue per Classes Synonymorum, scilicet vocum quibus eadem sit idea princeps et fundamentalis: ita ut in unam classem referas omnia *Vocabula*, quae significent *aquam*, in alteram omnia quae significent *terram*, in aliam omnia, quae significent *ignem*, et ita porro. Quumque in singulas *Classes* 10, 20, 30, et etiam 50 vocabula possint adgregari palam est *ducentas* circiter *Classes* sufficere, quibus illa 2000, vel 3000 vocabula datae Linguae omnia collocentur et disponantur.

2. Quo facto *ducentis* istis *Classibus ducenta*

*Schemata* appone, et fac ut uno eodemque Schemate singula eiusdem *Classis* Vocabula aeque significentur: ita ut eâdem *figurâ Aquae* fluvius, torrens, rivus, palus, stagnum, pluvia indicentur. Hoc pacto universam *Linguam* 2000 vel 3000 *radicum* 200 tantum *Schematibus* valebimus exprimere. Et quoniam in *Scriptura Lexeographica legitima* sunt ad minimum adhibenda 2000 vel 3000 *Schematum*, ut fiat *Polygraphica*, ducentarum illarum *Classium* ope numerum legitimum Schematum ad decimam fere partem contraximus. Et quamvis deinceps addenda sint aliquot *Schemata determinantia*, clariora et certiora, ut incredibilis *Scripturae* difficultas minuatur, et temperetur, quum in singulis *Lemmatibus* et *Lexeogrammatibus* numerus Schematum addendorum sive *determinantium* vix quintam vel sextam partem *Schematum Classicorum* possit exaequare, certum semper erit, illarum *Classium* ope ad minimam fere possibilem quantitatem numerum *Schematum* legitimorum fuisse contractum.

## Art. IV.

### *Indicatur modus, quo plura Schemata huius Scripturae fiant obscura et cryptica.*

1. Primo fient obscura, si *Schemata* naturalia haud perfecte et plene exping amus, sed leviter delineemus, ut si os oris quasi ellipsin, et *securim* ut *normam*, vel ut angulum rectum designemus.

2. Secundo, si *tractus* et *lineas characteristicas* etiam corrumpamus per rationes abditas et secretas, ut difficile sit ipsum obiectum physi-

cum agnoscere, ut revera manus, brachia, pedes difficillime saepe in monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum discernuntur.

3. Si adhibemus *Schemata Systematica*, studio peculiari confecta, quae nulli certo obiecto physico respondeant, sed per rationes Mathematicas vel Physiomathematicas sollerter sint composita.

## A r t. V.

### *Indicatur ratio, qua reliquae aliae difficultates huius Scripturae possint obtineri.*

Ea ratio tota posita est in frequenti usu *Temurarum*, et vocum *Homiophonarum*. Harum ope quaevis obiecta, quaevis schemata in alia et longe diversissima immutabuntur. Per has quoties redit idem verbum, toties novo et diverso *Schemate* possumus exhibere. Per has eodem *Schemate* diversissima, et diversissimis Schematibus eadem possumus repraesentare. Ad summam constitutis *Classibus*, et *Schematibus Crypticis*, per *Temuras* et *Homiophonias* tam ardua et immanis difficultas in *Scriptura Lexeographica* creari potest, ut una tantum praestantissima ingenia eam superare valeant.

## A r t. VI.

### *Indicatur ratio, qua abstrusa ista et difficillima Scriptura ita certa, constans, et intelligibilis fiat, ut per plura saecula adhiberi possit, et servari.*

*Scriptura* difficilis et *ardua* longe alia est a *Scriptura ambigua* et aequivoca. Haec incassum

torquet, frustra lectores fatigat, quia est intrinsece indefinita, indeterminata, adeoque nulla; Illa contra torquet quidem et fatigat diu, sed lectorem proventu solatur, quia etsi aegre, dat tamen sagaciter tentata sententiam certam, exploratam, perspicuam. Ut igitur per illa *Schemata Classica* et *Cryptica*, et per illas *Temuras* et *Homiophonias* possimus obtinere Scripturam quidem arduam, sed non ambiguam et aequivocam, *Scripturam* difficilem, sed certae et exploratae sententiae, debemus non pauca conari et curare.

1. Omnium ergo primum conabimur, ut voces singulas *Lemmatis* dati tum per *Schemata* fundamentalia, tum per *Schemata determinantia* satis clare significemus: Ita ut nisi tria *Schemata* ad claritatem sint satis, addamus quartum et quintum. Atqui coadunatis quatuor vel quinque *Schematibus* secundum regulas et Canones superius positos difficile est datam vocem vel ideam satis clare et commode non indicari.

2. Quod si adhuc tamen huiusmodi vox vel idea videatur obscura et aequivoca, constitue aliam vocem homiodynamicam, et hanc per eosdem illos *Canones* tracta; numquam fieri poterit, ut priori *Polyschemati* aliqua lux per hoc alterum *Polyschema* non accedat. Hinc in huiusmodi *Scriptura* repetiones, et paraphrases, et quasi commentarii singularum fere vocum erunt frequentissima.

3. Haud porro intra illa *ducenta Schemata Classica* ita nos contineamus, ut numquam velimus excedere, et excurrere, sed quandoque pro opportunitate seligamus aliquot alia *Schemata clariora* et certiora, quibus nempe respondent *Vocabula* pauciora et notiora: quibus dubio procul ingens lux parabitur difficili *Scripturae*.

4. Quin etsi parce et temperate poterimus adhibere etiam aliqua *Cyrioschemata*, quibus quasi facibus certis et coruscantibus tota Scriptura illustretur, et certa fiat.

5. Plura etiam verba conabimur exprimere repetitione eiusdem Schematis sive bis sive ter sive etiam quater: quae repetitio, ut ignaris est scopulus insuperabilis, ita gnaris et doctis est incredibile adiumentum ad recte interpretandam tam difficilem *Scripturam*.

6. Tandem etsi *Polyschemata* huius *Scripturae* certo vinculo non copules, et certâ distantiâ a reliquis non separes, sollerter tamen uteris *Microstichis*, sive acervis trium, quatuor, quinque *Schematum*, quibus, si minus semper, saepius tamen verba dati *Lemmatis* singulatim exprimes.

Et hac profecto ratione, data plena notitia *Linguae Temuricae* 2000 circiter radicum, condi etiam modo posset *Scriptura* ardua et abstrusa, sed quae possit certo explicari. Hanc autem Scripturam ipsam illam Microschematicam Aegyptiorum esse loco suo animadvertemus.

## CAPUT IV.

## *De caussis institutionis tam arduae et abstrusae Scripturae.*

### ART. I.

***Penes omnes fere Gentes profunda persuasione receptum fuit ad tutelam et prosperitatem suam esse plane necessaria Stemmata et effigies Deorum, et preces ad eos, et solemnes et statas invocationes.***

Id patet ex historia pragmatica Religionum omnium Gentium cultiorum. Quarum praecipua

dogmata Theologica erant huiusmodi. *Deos esse, curare mortalia. Potestatem et vim suam beneficam per Agalmata et effigies sacras exerere. Colendos esse, invocandos esse, et statuenda eis Signa, ponenda Emblemata, et agendas grates, et laudes recitandas.*

## ART. II.

*Persuasum pariter Gentibus fuit ad bona a Diis impetranda, et mala averruncanda non requiri, ut singuli homines symbola, signa, et emblemata Deorum, vel preces, laudes, invocationes penitus caperent et intelligerent; sed sufficere si cernerent illa, has si recitarent, pronuntiarent utcumque, vel audirent.*

1. Id constat primo ex quaestionibus, quas de natura, ceremoniis, et symbolis Deorum plurimi et acerrimi ingenii viri inter Graecos et Romanos per plura saecula agitarunt. Eas enim non agitassent, si cultus Deorum non fuisset constans, universalis, sedulus; et si natura Deorum fuisset plurimis plane nota, et perspecta.

2. Secundo, quod pleraque Sacra et Religiosa, non modo apud Aegyptios, Indos, Persas, Chaldaeos, sed Graecos etiam et Romanos spectabantur tantum a Populo, natura vero et essentia eorum arcano impenetrabili celabatur a Sacerdotibus hereditariis, et familiaribus, vel Collegiorum.

3. Tertio quod apud Romanos aetate etiam Horatii et Quintiliani recitabantur adhuc et canebantur carmina quaedam vetera, hymni, et formulae sacrae, quas vero non modo Vulgus minime capiebat, sed ipsi Sacerdotes aegre et ex parte tantum intelligebant.

4. Quarto, quod *formulae Ephesiae*, quas solemni nomine *literas* appellabant, et *formulae Abraxeae*, et aliae *Magorum formulae* innumerae habitae sunt potentissimae et utilissimae, etsi sententiam earum praeter paucissimos nemo nosset, et intelligeret.

### A r t. III.

*Persuasum pariter Gentibus fuit sancta tractanda esse tantum a Sanctis, puris, et selectissimis viris, et profanos omnes arcendos.*

Id constat ex eadem historia Pragmatica. Nam si nescio quae sanctimonia, nescio quae puritas, nescio quae gravis et implexa purgatio requirebatur, ut quis posset adesse *Mysteriis*, in quibus nil nisi *Dramata* agebantur, obscura, *Cryptica*, allegorica, plerisque inintelligibilia, quid dicendum si rationes verae et primae sacrorum fuissent aperiendae et manifestandae?

### A r t. IV.

*Invenienda est ratio, qua Systema Theologicum et Liturgicum alicuius Gentis totum universis civibus ad tutelam, expiationem, et prosperitatem suam tradatur, at illud nonnisi selectissimi et probatissimi viri possint penitus capere et nosse.*

Instituatur *Scriptura Lexeographica cryptica* et abstrusa, eâque tum *Theogrammata*, et Deorum *Emblemata*, tum *Hierodramata* componantur. Quin eâ scribantur *preces*, supplicationes, et quaecumque sunt *Deorum* placamina; habemus profecto rationem quaesitam. Haec enim *Scri-*

*ptura* quum Schematica sit, ab omnibus potest conspici, intueri, contemplari, haberi; et propterea si eâ conscripta sunt *Deorum symbola*, characteres, potestates, et preces et *hymni*, haec utique ad omnes spectabunt ad pacem Deorum obtinendam. At quot esse poterunt qui penitus capiant, et sententiam *Dramatum* vel *Lexeogrammatum* intelligant, nisi paucissimi, selectissimi, et probatissimi viri?

A R T. V.

*Nulla ergo potior causa institutionis Scripturae Crypticae et abstrusae esse potuit, quam Crypticismus Theologicus.*

Nullae enim sunt scientiae alterius generis, nullae disciplinae, nullae artes, nulla instituta sunt, quae oculis omnium corporeis sint publice et perenniter subiicienda, et oculis mentis fere omnium, quoad eorum intimam naturam et essentiam, sint pertinacissime subtrahenda, nisi Theologica.

A R T. VI.

*Casticismus Sacerdotalis alia et gravis caussa esse potest institutionis tam difficilis et abstrusae Scripturae.*

Nam in *Regiminibus Cásticis* et Sacerdotalibus Scientiae necessario debent esse incommunicabiles: adeoque ex vi ipsius *Regiminis Scriptura Sacerdotalis* efficienda est cryptica et abstrusa. Ita ut etiamsi invenirentur Apostatae, qui Libros et Scientias vellent ceteris Castis et tribubus communicare, hae ob ingentem *Scripturae* difficultatem necessario otio carentes non possent addiscere.

Et profecto ipsa *Scriptura Alphabetica* Brachmanum, qui adhuc regimine Castico utuntur, omnium quotquot sunt ejusdem generis abstrusior est et difficilior, etiamsi illâ non vere et proprie sacram, non penitissimam *Linguam* Religionis suae, sed tantum *Samscriticam* ab ea secretissima longe aliam et diversam, scribant.

## CAPUT V.

## *De extensione et limitibus Scripturae Lexeoschematicae Crypticae et abstrusae.*

### ART. I.

*Quaecumque Stemmata et Emblemata Theologica, quaecumque Theogrammata et Agalmata Deorum, quaecumque Hierodramata sive Mythica, sive Allegorica, sive Liturgica, sive Kalendaria a Collegiis Sacerdotalibus hâc Scriptura confici et condi poterunt.*

1. Nam ducentis Schematibus Classicis tota Lingua 3000 radicum continetur, et adeo omnia Lemmata Theologica possibilia. Praesto sunt 500 vel 600 alia Schemata determinantia; adest in usum praeterea ingens numerus Cyrioschematum dramaticorum. Cetera praestabunt Temurae et Homiophoniae.

2. *Vires* porro *genitrices* et *effectrices* adsunt potentissimae, vehementissimae, propositum scilicet Sacerdotum et consilium altâ mente repositum constituendi *Crypticismum Theologicum*, et *Casticismum* socialem; quae nisi per *Agalmata* Deorum arcana, et *Hierodramata Cryptica* obtineri non poterunt.

### Art. II.

*Elogia magnorum Regum, facta praestantiora, summae rerum gestarum poterunt hac Scriptura significari.*

1. Nam ad haec describenda tum ipsa *elementa Scripturae* sufficiunt, tum *vires effectrices* non desunt: ea maxime de causa, quod magni Reges semper habeantur in Regiminibus Casticis ut Epiphaniae Deorum magnorum, adeoque eorum facta fiant quodammodo religiosa et theologica, et exinde propria et idonea, quae a Sacerdotibus et Theologis adnotentur.

### Art. III.

*Nulli commentarii Scientifici, nulli Tractatus didactici cuiuscumque Disciplinae humanae, non Ethices, non Politices, non Physicae, non Astronomiae, non Metaphysicae hac Scripturâ umquam condentur.*

1. Primo, quia condere has Scientias tam abstrusâ Scripturâ est incredibilis prorsus, et fere insuperabilis difficultatis, datis quibuscumque *viribus* impellentibus.

2. Secundo, quod nec sunt, nec esse possunt *vires genitrices* et *effectrices* huius Scientificae Scripturae, quum propositum Scripturae Crypticae sit celare, abscondere, involvere, arduum et difficile reddere, quod levius erat et facilius: propositum contra *Tractatus didactici* sit difficilia explicare, obscura reddere clariora, secreta aperire, quae pauci norant plurimis manifestare, et tra lere.

3. Tertio, quia ubi aliqua Gens necessitatem sentit scribendi Tractatus Scientiarum didacticos iam pridem omnino senserat necessitatem condendi sibi Scripturam facilem et claram. Et quoniam Auctores *Scripturae Crypticae Lexeoschematicae* norunt necessario Scripturam Alphabeticam, ubi iis ipsis facta fuisset necessitas parandi sibi Tractatus didacticos Scientiarum, utique nunquam adhibuissent tam abstrusam Scripturam, sed omnino Alphabeticam, quam norant, eamque aptam, idoneam facilem.

## A R T. IV.

*Nulli annales Gentis, nulli Commentarii Historici, nullae Gestorum narrationes plenae, nulla opera Chronologica, et Geographica hac Scriptura umquam condentur.*

1. Primo, quia illis Schematibus, quae diximus, illis conditionibus, quas exposuimus, plurima Polyschemata Historica, plurima Geographica, plurima Chronologica componere vel omnino insuperabilis, vel longe gravissimae est difficultatis. Et si Polysemata harum Disciplinarum in Scriptura Sinensi huic, de qua agimus, valde simili occurrunt, fit, quod multa et insignia adiumenta Sinensi Scripturae accesserint, quae isti desunt.

2. Secundo, quia propositum Commentarii Historici est plurima plurimis facili et clara via narrare: Huius contra Scripturae pauca paucis, et per difficillimas ambages significare.

3. Tertio, quia ista est Scriptura Ascetarum, Nazaraeorum, Sacerdotum casticorum, sacra, Theologica, divina, quâ immortalia, caelestia, pura, sancta, aeterna tantum et incontaminata descri–

buntur, non vero faeda, misera, corruptibilia, polluta, fugacia, ut sunt terrestria et humana omnia.

Si Deos quandoque Terras invisere putant apparentes et epiphanes factos in aliquo magno Rege id adnotabitur, id in Molibus stilo Theologico et sacro significabitur, cetera ut indigna Nazaraeorum negligentur. Quamobrem qui iamdiu Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis incumbunt, ut plenos nobis annales Aegyptiorum parent a XVI, si Diis placet, Dynastia ad Commodum Imperatorem sive ad II. saeculum Christianum, hi profecto, et veram historiam Aegypti, et naturam Scripturae Hieroglyphicae ignorare penitus videntur.

## SECTIO V.

### De scriptura lexeographica et sematica sive lexeosematica.

### CAPVT I.

### *De Scriptura Lexeographica, Polysematica, Metriotypica, et Polygraphica Linguarum Classicarum.*

#### Art. I.

#### *Quae dicantur Linguae Classicae.*

Linguas *Classicas* illas appello, quarum Lexicon ex minore parte efficiunt *Voces simplices*, indivisibiles, primae, et quae *Radices* dicuntur, ex maiore vero parte *Voces compositae*, et ex pluribus radicibus conditae absolvunt: Adeo ut dispositis ordine *Radicibus*, et vocabulis *compositis*

ad suas quasque *Radices* revocatis, tota Lingua quasi per ordines et *Classes* videatur distincta: Ita ut iure dici possit *Classica.*

2. *Radices* autem *Linguarum Classicarum* triplicis maxime generis esse solent. Aliae enim dici possunt *primariae* et *fundamentales*, quibus scilicet sive substantiae, sive characteres, et actiones, passionesve substantiarum significantur: alias dixeris *Radices compositionis*, quibus augetur, imminuitur, immutatur potestas *Radicis primariae*, adeoque eâ copulantur et coniunguntur. Alias tandem appellaveris *Radices declinationis*, quibus relationes temporum et personarum potissimum indicantur, et *Radicem* variis modis inflectunt et *declinant.*

## Art. II.

*Linguae Classicae possunt satis commode per Polysemata metriotypica describi.*

Data sit lingua Classica 500 *Radicum*, et 10,000 vocabulorum. Si 500 *Radicibus* 500 *Semata* apponimus universam Linguam sive 10,000 vocabula his 500 Sematibus poterimus describere, quia 10,000 illa vocabula ex compositione 500 illarum *Radicum* ex hypothesi exsurgunt. Et quum plerumque plura *Semata* sint adgreganda et coniungenda, ut vocabula composita habeantur, *Scriptura* erit *Polysematica*, et quia numerus 500 *Typorum* respectu 10,000 *Polysematum* est numerus mediocris et moderatus, *Scriptura* dicetur *Metriotypica.*

### Art. III.

*Indicantur characteres praecipui huius Scripturae.*

1. In hac scriptura *Monosemata* erunt paucissima, quia *Radices purae*, et quae solutae maneant sunt brevi numero.

2. Ingens plane numerus *Polysematum* constabit tribus tantum sematibus scilicet semate *Radicis primariae*, Semate *Radicis* compositionis, et semate *Radicis Declinationis.*

3. In numero ingenti Polysematum primum et tertium Sema erunt similia, quia facta ex sematibus *Compositionis* et *Declinationis*, quae frequentissime repetuntur, et recurrunt.

4. Nulla vel fere nulla erunt Polysemata 5, 6, 7. Signorum, quia regularis et legitima vocabulorum compositio tantum numerum radicum reiicit.

### Art. III.

*Datá Scripturá Polysematica et Metriotypica decernere, spectetne ad Linguam Classicam, annon.*

1. Si *Scripturae datae* sunt 200 tantum vel 300 *Semata* radicalia, numquam ad *Linguam Classicam* spectabit, cuius Radices sunt ad minimum 500, vel 1000.

2. Si in *datá Scripturá* compositio *Polysematum* est varia, inconstans, incerta, multiplex, non spectabit ad *Linguam Classicam*, qua *Semata Compositionis* et *Declinationis* constantissime, frequentissime, et loco suo redeunt.

3. Si in *Scripturá* datâ plurima sint *Polyse-*

*mata*, quae quatuor, quinque, et pluribus etiam *Sematibus* constent. Nam in *Scriptura Linguae Classicae Polysemata* huiusmodi vel non erunt, vel erunt omnino paucissima.

4. Si Polysematibus *Scripturae datae* respondent voculae et monosyllaba, impossibile est spectare ad *Linguam Classicam*, quae essentiâ sua *Polysyllabica* est, et cuius Scriptura ob pluralitatem Syllabarum est *Polysematica*.

Hinc loco suo animadvertemus *Scripturam Sinensium Polysematicam* et *Metriotypicam* ad nullam *Linguam Classicam* posse spectare.

## CAPUT II.

## *De Scriptura Polysematica et Metriotypica Linguarum Monosyllabicarum et aequivocarum.*

### ART. I.

### *Quae dicantur Linguae Monosyllabicae et aequivocae.*

Si *Lingua* aliqua est, quae vocibus tam brevibus constet, ut eae pares sint, vel esse videantur voculis illis, quas *Syllabas* appellamus, et si insuper numerus harum vocularum tam tenuis, et brevis sit, ut una eademque vocula sive ipsissima pronuntiatione, sive levissime plerumque immutata 8, 10, 12 etc. ideae et obiecta diversa significentur, ita ut qui audit saepius sententiam certam loquentis non capiat, *Lingua* huiusmodi dicetur *Monosyllabica* et *aequivoca*: quemadmodum ex parte saltem sunt omnes fere Linguae Transgangeticae.

### Art. II.

*Linguae Monosyllabicae et aequivocae nec per Monosemata, nec per Literas Alphabeticas possunt clare describi.*

Nam Scripturâ sive Monosematicâ, sive Alphabeticâ ambiguitas et aequivocum vocularum nec tollitur nec minuitur. Quin vehementer augetur et crescit. Ubi enim illae voculae ore efferuntur plura adsunt adiumenta claritatis; oculorum nutus, habitus vultus, gestus corporis, manuum motus, locus, tempus, rerum circumstantiae; quae omnia desunt in *Scripturâ Monosematicâ*, vel *Alphabetica* harum vocularum: Ex quo fit ut eae sint penitus ambiguae, et adeo nullius usus.

### Art. III.

*Linguae Monosyllabicae et aequivocae satis clare et perspicue per Polysemata Metriotypica possunt describi.*

Data sit *Lingua Monosyllabica* et *aequivoca* 400 circiter Vocularum. Has *voculas* 400 *Sematibus* adnecte. Tum adsumtâ *Voculâ*, quae sit describenda, quaere primum *Sema* suum, cui respondet, eoque illam significa. Praeterea ideam *Voculae* adsumtae diligenter considerato, et unam alteramve ideam illi intime cohaerentem selige, tum respondentes his ideis *Voculas* adsume, et harum vocularum *Semata* fundamentali illi *Semati* adiice, hoc pacto habebis *Polysema* omnino clarum et perspicuum *Voculae* datae. Nam *Semata* adiecta ita definiunt, et quasi coërcent potestatem *datae Voculae*, ut omnino clara et certa

fiat. Et simili profecto modo vel loquentes vel scribentes saepius utuntur Sinenses, ut ambiguitatem suarum *Vocularum* auferant. Quamobrem si huiusmodi Methodo singulas potestates 400 in *Vocularum* datae Linguae radicalium conabimur definire, poterimus plusquam 10,000 Polysematum numerare, et eo pacto habere *Scripturam Polysematicam*, quia *polysematibus* tota constat, et *Metriotypicam*, quia 400 tantum *Typis* tota efficitur.

## A r t. IV.

*Recensentur characteres praecipui Scripturae Polysematicae et Metriotypicae Linguarum Monosyllabicarum et aequivocarum.*

1. *Semata* huius *Scripturae* erunt ad minimum circiter 400 minore enim numero *Vocularum*, puta tantum 200 vel 300 impossibile est haberi linguam Gentis cultioris.

2. In hac *Scriptura* nulla erunt *Monosemata*, quia ambigua et aequivoca, et quia *Scriptura* ex hypothesi instituta est ad aequivocum et ambiguitatem auferendam.

3. *Polysemata* tribus plerumque *Sematibus* constabunt, uno scilicet *fundamentali*, et duobus *determinantibus*. Haec enim sufficiunt ad opportunam claritatem inducendam.

4. *Polysemata* erunt semper *Monodynamica*, quia ad Monodynamin definiendam Scriptura ex hypothesi est instituta.

5. *Polysemati* respondebit *Vocula* ipsa *fundamentalis*, cuius etiam est *Sema fundamentale*.

### Art. V.

*Datá Scriptura Polysematica et Metriotypica definire, spectetne ad Linguam Monosyllabicam et aequivocam, an non.*

1. Si *Scripturae* datae sunt tantum 200 *Semata radicalia*, ea spectare numquam poterit ad *Linquam Monosyllabicam* et aequivocam, cui ad minimum sunt 400 vel 350 fere voculae.

2. Si plura occurrant *Monosemata*.

3. Si plura sint *Polysemata*, quae constent quinque vel sex Sematibus.

4. Si *Polysemata* sint plerumque *Polydynamica*.

5. Si *Vocula* adposita nulli *Semati* Polysematis plerumque conveniat.

Hinc loco suo animadvertemus *Scripturam Sinicam Polysematicam* et *Metriotypicam* ad nullam *Linguam Monosyllabicam* et aequivocam totam et plene spectare.

## CAPUT III.

## *De Scriptura Lexeographica, Polysematica, Metriotypica, et Polygraphica Linguarum Temuricarum, eaque regulari et legitima.*

### Art. I.

*Linguae Temuricae directe et proprie per Polysemata Metriotypica describi nequeunt.*

*Linguae* enim *Temuricae* sunt radicales, unis fere radicibus constant, compositionem respuunt,

et levibus tantum incrementis radices earum immutantur. Quamobrem per *Polysemata Metriotypica* tractari non possunt.

A r t. II.

*Invenienda est ratio, qua Lingua Temurica per Polysemata Metriotypica tota possit exprimi et describi.*

1. Data sit *Lingua Temurica* 2000 vel 3000 *Radicum*. Ex his seligito circiter 200, quae sint ex maxime insignibus et necessariis, et quibus maior numerus *Synonymorum* possit coadunari, et adgregari, et has propterea *ducentas Radices*, quasi elementa *Linguae*, et fundamenta *Classium* statue. Tum ad *Radices* hasce omnes Voces, quibus sit eadem idea generalis, adpone, quemadmodum de *Scriptura Schematica*, sed huic valde simili, superius adnotavimus. Ita ut si inter *Voces Classicas Aquam* constituisti, omnes alias voces, quibus *Aquae* idea insit, pariter adiungas. Hoc autem pacto totam *Linguam* 2000 vel 3000 Radices in 200 *Classes* sive ordines divisisti, et ordinasti. Nam si singulis Classibus decem tantum vel quindecim verba adgregentur, 2000, vel 3000 *Radices* a 200 *Classibus* exhaurientur. Atqui constat esse plures voces Classicas, quibus adnecti possunt 20, 30, 40, 50 etc. *Synonyma*.

2. *Classibus Synonymorum* constitutis 200 *Semata* effingito, et *Radicibus* illis *Classicis*, et si vis totis *Classibus* adnecte. Tum statim ac *Verbum* aliquod est describendum, omnium primum *Sema Classis* suae seligito, et eo significa. Hinc sive per *Homiodynamin*, sive per *Homiophoniam*, sive per *Ideocrisin*, sive per *Ideosynthe-*

*sin*, de quibus superius egimus, alias voces determinantes adpone, usque dum vis et potestas datae *Vocis* clare significetur. Eodem pacto si vis per ceteras *Radices*, et reliquum Lexicon perge; et hoc modo *Linguam Temuricam* per *Polysemata Metriotypica* descripsisti.

A r t. III.

*Recensentur leges praecipuae Scripturae Polysematicae et Metriotypicae Linguarum Temuricarum Regularis et Legitimae.*

1. *Semata* huius *Scripturae* maximam possibilem similitudinem affectabunt cum Ideis *Vocum* suarum. Nam similitudo *Sematum* et *Idearum*, ut ut tenuis et tantum *indicativa*, insigne adiumentum est ad constituenda, retinenda, et agnoscenda *Verba*, quae sunt adnexa.

2. *Semata fundamentalia* in hac *Scriptura* distinguentur a *determinantibus*, vel loco, vel magnitudine, vel colore: summae enim utilitatis est plerumque ista distinctio.

3. Nulla erunt in hac *Scriptura Monosemata*, quia ambigua et aequivoca.

4. *Polysemata* tribus plerumque *Sematibus* constabunt; quia paucioribus ambiguitas plene non expellitur, pluribus mens frustra fatigatur.

5. *Polysemata* erunt *Monodynamica*, quia *Polydynamis* semper difficultates et aequivoca parit.

6. *Vox Polysematis* erit ipsa *vox* fundamentalis, ad quam describendam ipsum *Polysema* institutum fuit.

## Art. IV.

*Data Scriptura Polysematica, et Metriotypica Linguarum Temuricarum, decernere spectetne ad regularem et legitimam, annon.*

1. Si *Semata* datae *Scripturae* nullam similitudinem habent, ne indicativam quidem, cum ideis suis, numquam spectabit ad *regularem* et *legitimam*.

2. Nunquam pariter spectabit ad *regularem* et *legitimam*, si *Semata fundamentalia* aliquo signo non discernuntur a *determinantibus*.

3. Si occurrunt plura *Monosemata*, quia aequivoca, vel systematica.

4. Si *Polysemata* plurima constant duobus tantum Sematibus, et alia plurima quatuor, quinque, sex.

5. Si pleraque *Polysemata* sunt *Polydynamica*.

6. Si *Polysematibus* non respondent voces *Temuricae*, sed *Voculae* ignotae originis et potestatis.

Hinc loco suo adnotabimus *Scripturam Sinensium Polygraphicam* aliam esse ab hac *Polysematica Metriotypica regulari* et *legitima*.

*

## CAPUT IV.

## *De Scriptura Polysematica et Metriotypica Linguarum Temuricarum cryptica et abstrusa.*

### Art. I.

*Recensentur leges praecipuae huius Scripturae.*

1. In hac *Scriptura Semata radicalia* et *Classica* nullam vel fere nullam similitudinem praeseferent cum obiectis suis, sed erunt obscurae et crypticae formationis.

2. *Semata fundamentalia* a determinantibus nullo signo discernentur.

3. In hac *Scriptura* plura erunt *Monosemata*, quae respondebunt Radicibus illis selectis et *classicis*, quasi ob excellentiam et praestantiam.

4. Plura erunt *Polysemata* ex duobus tantum *Sematibus* composita, et plura contra, quae quatuor, quinque, sex, septem constent.

5. Pleraque *Polysemata* erunt *Polydynamica*.

6. Nulla vox *Temurica Polysyllabica*, nulla vox Polysematis propria adhibebitur, sed aliis *Voculis* cryptico modo paratis *Polysemata* distinguentur et appellabuntur.

### Art. II.

*Indicantur rationes, quibus abstrusa ista et Cryptica Scriptura possit adoptari et servari per plura saecula.*

1. Prima ratio habetur, si condantur plurima *Polysemata*, quae constent quatuor, quinque, et sex *Sematibus*. Nam quamvis huiusmodi *Polysemata* sint difficilia et aspera intellectu, sunt tamen

certae et exploratae sententiae, et possunt etiam certitudine sua ambiguitati aliorum *Oligosematum* satisfacere, quod caput est.

2. Ratio secunda posita est in intima adgregatione *Sematum*, quae constituunt *Polysema*, et in perfecta discretione Polysematum mutua. Adeo ut omnia *Polysemata* sint invicem divisa et separata, et contra omnia semata *Polysematum* sint intime in unum *Syngramma* coniuncta. Hac enim adgregatione et discretione certas ideas et certas voces *Polysematibus* adiungimus, facile memoriae mandamus, facile retinemus, et facile aliis tradimus et communicamus.

3. Tertiam rationem habebimus, si singulis *Polysematibus* singulas voces adnectemus, quibus potior vis et potestas *Polysematis* significetur. Hoc enim vinculo omnia mutuo cohaerent et fiunt certa. Hae autem voces, si ex communi et recepta lingua petentur, bene erit; si e Temurica et originali, melius erit. At si auctor Polysematum ea cura et industria Semata seligeret, ut quomodo omnia in unius Ideae significationem, ita *Voces* quaereret, quae in eiusdem *Literae* vel *Syllabae* sonum convenirent, et adsumta hac sive *Litera* sive *Syllaba Voculam* efficeret, qua *Polysema* totum cognominaret, incredibile adiumentum, utilissimum criterium et certissimum Scripturae addidisset.

4. Quin si Auctor *Scripturae Voculas* illas *Crypticas* et *criticas* non steriles et otiosas *Polysematibus* suis tantum adhaerentes manere siverit, sed *Linguam* prorsus *socialem* Literatorum virorum, et in collegiis Philosophorum adhibendam institueret, adeo ut Literati viri iis ipsis *Voculis* loquerentur, et cogitarent; longe praestantius ceteris Scripturae adiumentum repperisset et constituisset.

5. Quinta ratio posita est in Formatione et usu *Lexicorum*, sive per *Classes* et *Semata radicalia*, sive per *Voculas* illas *Crypticas* et *Criticas*, sive alio etiam modo.

His igitur adiumentis *Scriptura* naturâ et essentiâ suâ cryptica et abstrusa fieri potest satis clara, perspicua, constans, Encyclopaedica.

Haec porro omnia *Scripturae Sinensi Polygraphicae et Metriotypicae* congruere Libro II. et III. animadvertemus.

## Art. III.

### *Indicantur caussae institutionis huius Scripturae tam asperae et abstrusae.*

1. Conditores huius *Scripturae* noverunt Alphabetum vocalicum, quia usi sunt *Lingua Temurica*; et plane novisse alibi prolixius indicabimus. Dato igitur consilio a *Scriptura Alphabetica* abstinuerunt, et *Crypticam* et *abstrusam* Scripturae facili et planae praetulerunt. Tum erat, ut vidimus, *Scriptura Lexeographica* clarior et facilior; sed ea uti noluerunt. Sed qui instituit *Scripturam* abstrusam et *crypticam*, quum potuisset uti facili et clara, omnino contendit, ut disciplinas et scientias, quae illa *Scriptura* conduntur, plerique nesciant, et tantum paucissimi et selectissimi sciant. Caussa ergo princeps institutionis tam difficilis *Scripturae* nulla alia esse potuit, nisi *Crypticismus Scientificus*, et *Politicus*: vires vero effectrices et genitrices tam immanis Systematis Graphici ponendae sunt in acerrima et pertinaci coniuratione Samanaeorum, ut *Oligocratiam literatam* constituerent, et Doctores, Censores, Magistratus, Imperii nisi ex Collegiis suis a nullo alio loco et corpore eligi, et adhiberi paterentur.

## CAPUT V.

## *De Scriptura Lexeographica, Polysematica, Oligotypica, et Metriographica.*

### Art. I.

### *Quae dicatur Scriptura huiusmodi.*

Si quis datis duobus, vel omnino paucissimis Typis, hos autem ita variet repetitione, loco, positione, magnitudine, ut centum fere Varietates possit numerare: si his *Varietatibus* centum vocabula selecta, praestantiora, utiliora adnectet, et hinc ad condenda *Polysemata* perget, sive datorum sematum, et verborum simplici adgregatione, sive per *Temuras* et Homiophonias, et alios modos superius indicatos; habebit tandem Scripturam *Lexeographicam*, *Polysematicam*, *Oligotypicam*, et *Metriographicam*. Et quidem *Lexeosematicam*, quia ex hypothesi typis voces et verba sunt adiuncta: *Polysematica*, quia plura data Semata adiunguntur: *Oligotypica*, quia Typi dantur omnino duo, vel paucissimi, et *Metriographica*, quia quum typi sint 100, et centum verba radicalia, non omnia, non pleraque possunt describi, sed quae sint mediocri tantum et moderata quantitate.

### Art. II.

### *Systema Theologicum et Liturgicum alicuius Gentis potest satis commode condi hac Scriptura.*

1. Nam si 200 tantum Semata satis sunt, ut condatur *Scriptura Encyclopaedica* et *Pasigra-*

*phica*, quidni sufficient *centum*, ut una tantum disciplina condatur? Praesertim, quum *Lingua liturgica* repetitionibus plenissima sit, et pauca varientur in placaminibus et orationibus Deorum; nec plurimis vocibus diversis egeant *Ritualia* cuiuscumque Gentis.

### Art. III.

*Polysemata Deorum in hac Scriptura fient potissimum simplici Sematum adgregatione.*

Hoc enim pacto plene et clare describuntur ipsa natura, vires, potestates, munera Deorum, ut plerumque fit in Hymnis Orpheo tributis. Atqui 100 nominibus Theologicis ad 100 Semata adpositis, haud gravi negotio possunt seligi verba, quae certi Dei naturam, et potestatem, et munera significent, et eorum *Semata* in unum *Syngramma* compingi.

### Art. IV.

*Voces oratoriae et liturgicae poterunt methodo superius descripta haud difficillime obtineri.*

1. Nam centum verba *Linguae Temuricae* et homiophonicae possunt gignere plusquam mille diversas voces, quae ad opus sint satis: et *centum Semata* possunt ita varie componi et ordinari, ut plures Chiliades *Polysematum* nascantur, eaque adhibitâ opportunâ methodo, satis certa et perspicua.

# SECTIO VI.

## DE SCRIPTURA ALPHABETICA.

## CAPUT I.

## *De Origine, formatione, et characteribus Alphabeti primi.*

### Art. I.

*Indicantur necessitates humanae genitrices Alphabeti primi.*

Ut Alphabetum in aliqua Gente primum inveniatur necesse est, ut plurima, magna, gravia, utilitatis summae, clare, perspicue, et celeriter plurimis sint tradenda; cuiusmodi sunt Codices Religiosi, et Politici. Nam si communicanda sunt pauca, vires memoriae sunt satis, si arcane et cryptice, Alphabetum est ineptumet inopportunum; si levia negliguntur, si paucis, sermone et nunciis necessitati satisfacimus.

### Art. II.

*Alphabetum primum a Gente, quae Lingua Temurica uteretur, inveniendum et adhibendum fuit.*

Nam elementa *Alphabeti* vocalici, a quo *Alphabetum* scriptum omnino pendet, clara, simplicia, facilia sunt in *linguis Temuricis* ob usum quotidianum metagrammatismi, sive traiectionis literarum: at in *Linguis Physiophonicis*, vel data opera *factis*, vel *corruptis* abstrusa sunt, implexa, obscura, confusa. Adeo ut facta necessitate scribendi, ille qui utitur *linguâ Temuricâ* statim

scribat et notet *Alphabetum vocalicum* perfecte sibi cognitum: at Heteroglossus, quacumque sollertiâ praeditus, quacumque necessitate scribendi factâ, diutius haerebit confusus in vocibus suis districandis, ignarus adhuc verorum elementorum pronuntiationis humanae.

## A R T. III.

### *Quae forma Literarum Alphabeticarum dicenda sit rationalis, et quae irrationalis.*

1. Illa primum dicenda est *forma rationalis* et probabilis *Literarum*, quae proposito et fini essentiali Alphabeti ipsius respondet; quae scilicet sit plana, facilis, quae brevi et celeriter possit confici, et addisci, non vasta, implexa, difficilis, abstrusa, quia Alphabeto, ut innuimus, plurima plurimis, brevi, et celeriter volumus communicare. Quamobrem omnes *Literae Alphabeticae* Zoomorphae, vel cuiuscumque implexae et difficilis formationis, sunt omnino irrationales.

2. At quoniam clare et celeriter etiam *Semata*, et *Signa* informia possunt describi, illa tantum Literarum Alphabeticarum *forma* dicetur *rationalis*, et probabilis, cui erit nexus et relatio aliqua, sive cum ipso *Elemento vocalico* suo, sive cum *Organo genitore*, sive cum *Nomine*, quo appellatur et distinguitur. Nexus praestantissimus habebitur per *Grammatodynamin*, si scilicet invenimus *Schema*, quo ipsa vis et *potestas Elementi* sive *literae vocalicae* exprimatur. Nexus utilissimus, si selectis aliquot *Schematibus* planis, notis, facilibus Literam eorum *initialem* hoc ipso *schemate* significemus, et *Nomine* obiecti sui appellemus. Nexus doctus, si *Schemate orga-*

*ni genitoris* conabimur literas notare et significare. Prima literarum forma spectat ad *Scientiam Alphabeti*: secunda utilissima ad *legendum*: tertia ad *pronuntiandum*. De Alphabetis Grammatodynamicis nemo adhuc, quem sciverim, egit. De Alphabetis Onomatoschematicis plures, sed imperfecte et tenuiter. De Alphabetis Organomorphis prolixe et operose, sed levi utilitate Helmontius, De Brosses, Moussaud etc.

## A r t. IV.

*Alphabetum primum fuisse Onomatoschematicum, sed ex planis et facilibus Schematibus factum; tenendum est.*

Ut homines illiterati primum ad literas addiscendas perducerentur, aliquâ formâ literarum rationalis et probabilis fuit necessaria. At forma *Grammatodynamica* sublimis et ardua est, et parum apta tironibus; *Mimographia pronuntiationis*, sive forma Literarum ex *Organo genitore* et ipsa ardua et abstrusa est, et quod gravius, imperfectissime tantum potest per plana et facilia Schemata repraesentari. Restat forma *Onomatoschematica* unice tironibus apta, et ceteris adeo praeferenda. Nam ubi *Elementa vocalica* figuris certis et schematibus adiunxeris, facillime discernuntur, et mente servantur. Nec profecto aliam rationem puerorum Praeceptores noverunt, ut discipuli sui facile et celeriter *Alphabetum* addiscerent, quam literas per aliqua *Schemata* appellare, ut C *lunam mediam*, L *perticam*, M *tripodem* dicant, et ita porro. Quod si liceret invenire *Schemata*, quorum *Nomina* inciperent ab eadem illa litera, quam *Schemata* indicant, tum longe

facilius et celerius addisceretur et servaretur *Alphabetum.* Atqui id omnino praestant Literae *Onomatoschematicae.* Si ergo *Alphabetum* primum carere aliquâ formâ rationali et probabili non potuit ; si forma *Onomatoschematica* tironibus longe aptior et opportunior est , quam ceterae ; *Alphabetum* primum fuisse *Onomatoschematicum* dicendum est , et figuris quidem planis et facilibus , non abstrusis et implexis constans.

## Art. V.

### *Alphabetum primum viginti circiter Literis constitisse tenendum est.*

1. Nam primo *Viginti* circiter sunt *Literae verae*, perfectae, fundamentales, et quibus pleraeque Gentes cultiores utuntur. Ceterae, quae dicuntur literae, sunt vel harum varietates, vel mixtiones, et compositiones.

2. Secundo, quia *Lingua Temurica* ex Alphabeto genita, ut dicemus Tractatu nostro de Linguis, non potuit fieri ex literis vel multo pluribus, vel multo paucioribus *Viginti.* Nam si dantur tantum 15 vel 16 literae, voces radicales, sive *Radices* non poterunt sufficere ad Linguam copiosam constituendam; si dantur 25 vel 30 copia est maior, quam par est.

3. Tertio, quum *Linguae Temuricae* sint etiam *Grammatodynamicae*, et *Grammatodynamis* vera dari non possit in tenuibus, et levibus varietatibus, sed in claris tantum et distinctis literis constituenda sit, quae numerum viginti haud multum excedunt; colligendum est *Alphabetum* primum viginti circiter literis constitisse.

## CAPUT II.

# *De Alphabetis Homophonis, et Polydynamicis.*

### ART. I.

*Alphabeta Polytypica et Homophona, sive plurimis typis diversis, adeoque homophonis constantia, sunt irrationalia, et illegitima.*

Formam Literarum alicuius *Alphabeti* semel vel bis posse legitime aliquantulum immutari, ut *Orthographiae* et *Calligraphiae* consulatur, negari non potest. Magna enim utilitas ex illa levi Typorum variatione colligitur, et quod magnam parit utilitatem, hic legitimum est, et rationale. At quoniam pluribus Typis diversis et homophonis additis non modo nulla utilitas, nullum emolumentum colligi potest, sed necesse est saepissime lectorem ambiguitate, aequivoco, et errore agitari, et vario labore vexari; *Alphabeta Polytypica* et *homophona*, ut illud est nuper propositum a Champolliono, irrationalia et illegitima dicenda sunt.

### ART. II.

*Alphabeta Polydynamica adhiberi et recipi impossibile est.*

Nam ubi literis sive omnibus sive pluribus eiusdem Alphabeti sunt variae et diversae potestates, adeo ut eidem *Semati* X. sit ex. gr. potestas C, G, K, Q: eidem *Semati* Y, sit vis B. V. F. P., et ita porro: omnia, verba quae iis describuntur fiunt aequivoca, ambigua, indeterminata.

Adeo ut ubi vocem aliquam his Typis scripserimus, nullo pacto nec efferre, nec nosse recte poterimus, quia plurima sunt, quae aeque possent exprimi. Et propterea si impossibile est certo et determinato modo typos incertos, et indeterminatos efferre, impossibile est uti hac ipsa *Scriptura*, eamque servare et adhibere diutius. Ut autem haec *Scriptura* sit impossibilis, haud requiritur, ut omnes Typi sint *Polydynamici*, ut in *Systemate Hieroglyphico Seiffarthi*, sed sufficit, ut aliqua pars *Typorum* sit huius modi, ut in *Systemate Champollioni*. Nam ut nos haereamus in aliqua voce, ut non capiamus datum vocabulum, non est necesse omnes literas esse vel ambiguas vel corruptas, sed plerumque unam tantum aut alteram sufficere.

## CAPUT III.

## *De Alphabetis Schematicis.*

### ART. I.

### *Alphabeta Onomatoschematica et Poly-homophona sunt impossibilia.*

1. Primo, quia sunt etiam Polydynamica, quum pleraque animalia, plantae, vasa, artium instrumenta pluribus nominibus gaudeant, adeoque pluribus initialibus literis sint praedita, ex qua pluralitate fit aequivocum, ambiguitas, et impossibilitas rectae lectionis.

2. Secundo, quia in diversis Oppidis, Urbibus, Provinciis eiusdem etiam Regni et Imperii eadem obiecta, eadem animalia, plantae, vasa, diversis nominibus gaudent, et propterea, si quem ego Craterem tu Pelvim diceres, figuram Crateris mei tu non C duceres, sed P, quo tota lectio turbaretur.

Nec dici potest hîc poni unam eamdemque linquam in Regno vel Imperio. Nam ponere id absurdum est. Si quidem etiam modo inter nos, qui revera eâdem Linguâ utimur, eodem Codice religioso et Civili, et ingenti Bibliotheca communi: in singulis fere oppidis sunt plures voces propriae, plura vocabula peculiaria. Quid ergo erit ubi haec omnia deerunt potentissima unitatis adiumenta? Ubi nulli Codices communes, nulli Libri communes, nulla necessitas sermonis vere communis? Ut deesse necesse est his qui tam absurdo et puerili alphabeto velle uti ponuntur?

3. Quin data etiam identitate Linguae et vocabulorum, una pronuntiationis diversitas, una literarum permutatio, et immutatio tantam ambiguitatem *Scripturae* induceret, ut nullus penitus usus esse posset huiusce Alphabeti.

4. Quarto quod a provincia ad provinciam, ab oppido ad oppidum quandoque ipsa animalia et plantae, saepissime vasa, instrumenta artium ita sunt varia, et diversa formâ et figurâ, ut ignari fallantur. Si ego igitur pingerem instrumenta Civium meorum, ut tu tuorum, etiamsi eiusdem essent usus, minime mutuo nos intelligeremus.

Quamobrem nulla umquam Gens esse potuit, quae huiusmodi Alphabeto uteretur. Et si qui sunt, qui Aegyptios adhibuisse profiteantur, ignari sunt horum studiorum, et manifesto falluntur.

## A r t. II.

*Alphabeta Schematica et derivativa non Literatis viris, sed Pictoribus, et Calligraphis debentur.*

Vir Literatus, qui celerrimas cogitationes suas celerius etiam vellet scripto tradere et figere *Ca-*

*cigraphus* quidem est, vel *Tachygraphus*, numquam vero, ut scribat vocem *meus*, *mihi*, *tuus*, *suus*, quaeret quatuor Monstrorum figuras et quaesitas operose expinget, et novem ut scribat *Capitulum*. Id numquam praestare potuerunt nisi *Calligraphi* et *Pictores* famelici, et *Amanuenses* otiosi, qui libros veteres describentes, ut oculos varietate delectarent *Literas monstrosas* invenerunt, et celebrarunt. Quod adeo verum est, ut uni tantum *Tituli* Librorum, unae Literae initiales his formis sint expressae. Quorum librorum Mss. ingentem numerum nos ipsi evolvimus, et in Catalogo huius Regiae Bibliothecae, in quem conficiendum etiam modo incumbimus, adnotavimus.

## CAPUT IV.

## *De Alphabetis brevioribus et contractis.*

### ART. I.

*Nulla Gens paullo amplior et excultior utitur Alphabeto vocalico viginti literis breviore.*

1. Nam, quamvis certum sit ex una parte Literas radicales et fundamentales Generis humani esse circiter viginti, et ex his nonnullas a singulis fere Gentibus repudiari, aeque certum est varietates, et quasi gradus, et mixtiones earum literarum esse plurimas, et ex iis plures esse necessario distinguendas et secernendas in Scriptura. Quamobrem quum sint plusquam sexaginta varietates et mixtiones notabiles et insignes literarum primitivarum, et conatus pronuntiationis, et impetus loquendi sit iugis, et vehemens in Gentibus

cultioribus hinc; fieri non potest, quin apud eas Elementa vocalica sint vel longe supra viginti, vel ad minimum viginti.

2. Et re quidem vera quum data opera ingentem numerum Alphabetorum vocalicorum ex eorum Scripturâ, Grammaticâ, vel ex Relationibus Viatorum considerassem, singula inveni viginti literis ampliora, nullum omnino brevius et contractius.

### A R T. II.

*Alphabeta scripta viginti literis breviora tribui nequeunt ruditati et ignorantiae primorum Conditorum.*

Nam qui scit recte discernere in Lingua sua 15. vel 16. Literas, omnino sciet discernere etiam viginti et triginta, et condere Alphabetum perfectum. Non enim requiritur maior sollertia, et scientia profundior ad discernendas triginta literas, quam quindecim, quin longe minor. Nam si data Lingua constat revera 30 literis vocalicis, et Conditor Alphabeti ipsas triginta notat, clara et perspicua erit omnis lectio. Quum contra, si notabit et signabit tantum 15. literas, ubi vocalicae sint 20. vel 30. sua Scriptura erit ambigua et aequivoca, et saepius impossibilis. Neque porro, qui voces Linguae in Elementa sua recte et accurate dividit, rudis et ignarus dici potest. Verum quidem est Alphabeta tempore saepius augeri, sed augumentum plerumque fit de varietatibus tenuibus, vel de literis compositis, quae necessariae non sunt, vel potius, quia Alphabeta vetera fuissent cryptica et breviora, ut modo dicemus.

## Art. III.

*Alphabeta scripta Gentium excultiorum, quae quindecim, vel sexdecim circiter literis constent, data opera et profundo consilio ex longioribus fuisse contracta et breviata tenendum est.*

Nam si omnibus Gentibus excultioribus sunt plusquam sexdecim literae vocalicae, et si fieri non potest, ut Alphabeti Conditor ex imperitia et ruditate loco viginti quatuor ex gr. literarum scribat tantum sexdecim; si revera has tantum scribit, fecisse id data opera, et profundo aliquo consilio tenendum est.

Et profecto ad condendas Linguas secundum leges Hieroglyphices, ut in Voce condita habeantur tres, vel quatuor, vel plura etiam verba Linguae Matris et veteris unâ conflata ad profundam et miram significationem obtinendam, omnino necesse est vetus Alphabetum contrahi, pluribus literis homiophonis uno tantum signo repraesentatis. Exempla autem non pauca huius contractionis Alphabeti veteris et primigenii, adeoque formationis Hieroglyphicae Linguarum desumta ex Linguâ Latinorum, Graecorum, Etruscorum, Parsorum, et Sinensium sacrâ in Opusculis nostris practicis adducimus, alia ad Scientiam spectantia, Deo dante, dicturi vel indicaturi in tractatu de Linguarum veterum origine.

## CAPUT. V.

# *De Scriptura Alphabetica difficiliore et abstrusiore.*

### ART. I.

### *Recensentur modi, quibus Alphabetum alicuius Gentis fiat abstrusum et difficile.*

1. Primo, si literae parum discrepent formâ: si leviter tantum earum differentia indicetur. Tum enim egemus diligentiâ, quae fatigat, et quae quum facillime desit, prolabi nos in errores necesse est.

2. Secundo si adhibentur plures nexus et plexus literarum, vel literae notaricae. Tum enim requiruntur vires memoriae longe maiores, et maior vis attentionis.

3. Tertio, si peculiaribus signis et literis scriptis notentur varietates leves et differentiae tenues eiusdem literae puta C., ut *Cha*, *Ka*, *Kha*, *Cia*, *Ciha*, *Chia* etc. adeo ut numerus Consonantium plurimus evadat. Tum enim magnae difficultates parantur pronuntianti, legenti, et interpretanti.

4. Quarto, si literas vocales modo nullis signis, modo signis magnis et perfectis, modo per minora, modo per apices supra vel infra positos significemus, vel ipsis consonis tenui signo applicemus. Nam et magnâ attentione et longo studio opus est, ne erremus.

*

## Art. II.

### *Indicantur Auctores Alphabeti abstrusi et difficilis.*

Nulli alii esse possunt Auctores *Alphabeti abstrusi*, quam Sacerdotes Castici: tum ut profani sua numquam scire possint, tum ut ipsi sciant negotia profanorum. Quum ipsi ex sua institutione otio abundent, haud magna difficultate addiscere poterunt Alphabeta etiam ad usum profanum destinata. Si haec essent facilia, profani ope Sacerdotum non egerent. At quum fecissent difficilia, necesse est ad Sacerdotes confugere, qui eo pacto et eorum secreta sciunt, et pecunias corradunt. Hinc *Alphabeta difficiliora* nota hactenus sunt *Aegyptium Demoticum*, quia Regimine Castico Aegyptii recti fuerunt, et *Indica* Brachmanica, quia Indi etiam modo simili Regimine gubernantur.

# HERMENEUTICES

## HIEROGRAPHICAE

## LIBER SECUNDUS

### DE NATURA SCRIPTURAE VETERUM GENTIUM SYMBOLICAE ET HIEROGLYPHICAE, SIVE POLYSCHEMATICAE, SIVE POLYSEMATICAE.

### SECTIO I.

### DE NATURA EMBLEMATUM, THEOGRAMMATUM, ET HIERODRAMATUM VETERUM GENTIUM, SIVE LEXEOGRAPHICA, SIVE IDEOGRAPHICA.

### CAPUT I.

*In Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis distinguendae sunt duae species Scripturae Schematicae invicem diversae; Emblematica, Theographica, Hierodramatica una, quae ad hunc locum spectat; et Oratoria, Interpretativa, Analytica, Sticherea altera.*

#### ART. I.

*Indicantur characteres, quibus hae duae species Scripturae invicem discernuntur.*

Schemata prioris generis distinguuntur a Schematibus posterioris generis:

1. Primo naturâ et figurâ, quum Schemata prioris generis sint semper Animantia sive humana, sive bruta, sive mixta; Schemata secundi generis sint aliarum etiam formarum.

2. Secundo magnitudine et statura, adeo ut Schemata prioris generis sint maiora, grandiora, secunda minora et breviora; quamobrem illa possint et debeant dici *Megaloschemata*, haec contra *Microschemata.*

3. Tertio distinguuntur habitu et gestu: *Schemata* prioris generis sunt semper habitu colloquentium, conversantium, et ostendunt quasi se vivere, et repraesentare entia viventia, rationalia, quae agant, petant, auscultent. Secundi generis *Schemata* sunt adposita, quasi signa, symbola, ut res immotae, obiecta inanima, etiam si sint schemata animalia; adeoque priora dici possunt et debent *Dramatica*, *Scenographica*, *Synthetica*, secunda contra *Analytica* et *discreta* dicenda sint.

4. Quarto discernuntur compositione. Priora enim sunt fere semper composita, pluribus symbolis exornata, multo apparatu insignia. Secunda vero simplicia, unicis fere et peculiaribus suis Schematibus constantia.

5. Quinto distinguuntur dispositione. Priora enim Schemata, ubi plura sunt, ut plerumque, fere semper obvertunt mutuo vultus, et sese respiciunt, ita ut Drama unum et Scenam unam, adeoque Monogramma efficiant. Contra vero Schemata secundi generis, omnia plerumque quasi una via procedunt, et pergunt ordine et successione, vultibus, ubi sint, dorsum praecedentium respicientibus.

6. Sexto tandem quantitate, et numero. Nam Schemata prioris generis etsi spatium ingens implere possint monographica sunt et oligographica, et pauca Themata possunt inde trahi immediate, etsi animo possint plura suppleri, ut fit quotidie in Dramatibus nostris Historicis: at Schemata secundi

generis efficiunt Scripturam continuam, prolixam, Stichercam, Polygraphicam, qua saepius plures Stichi, plures versus, et integrae Stelae implentur.

A R T. II.

*Scriptura Megaloschematica Aegyptiorum est Emblematica, Theographica, Hierodramatica.*

Nam *Hiero-Emblemata*, et *Theogrammata* non possunt haberi, nisi plura Symbola et *Troposchemata* aggregentur in *Agalma*, et nisi inde fiat *Megaloschema*. Ita ut datâ insigni compositione alicuius figurae sive Humanae, sive Belluinae, sive mixtae, illico certum sit hoc *Polyschema* esse *Hiero-Emblema*, vel *Theogramma*. Atqui huiusmodi plane sunt plurima *Megaloschemata* in Monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum.

Porro *Megaloschemata* Aegyptia vel formam *Deorum*, vel *Regum*, vel *Sacerdotum* habent, et, quemadmodum diximus, habitu sunt mutuo colloquentium et conversantium. Atqui ex his Personis fiunt *Hiero-Dramata*. Ergo adgregationes *Megaloschematum* Aegyptiorum sunt *Hierodramata* huius Gentis.

A R T. III.

*Scriptura Microschematica, Sticherea, et Analytica Monumentorum Hieroglyphicorum habenda est oratoria, elocutrix, interpretativa, exegetica.*

Nam si *Theogrammata*, *Hierogrammata*, et *Hierodramata* indicant Personas, Subiecta, Substantias, Entia praestantia, Deos, Reges, Sacerdotes,

de quibus est agendum et tractandum, utique in Stichis microschematicis de his ipsis Diis, Regibus, Sacerdotibus est agendum et tractandum, et characteres, vires, potestates, facta, laudes, elogia eorum sunt in eis narranda et exponenda. Quod profecto, si opus esset, auctoritate etiam veterum Scriptorum firmari posset. Quamobrem Scriptura Hieroglyphica et Sticherea Aegyptiorum oratoria et exegetica habenda est.

## CAPUT II.

## *Hiero-Emblemata, Theogrammata, et Hiero-Dramata veterum Aegyptiorum, Syrorum, Graecorum, Latinorum, Scandinavorum, Indorum Brachmanum, et Buddistarum habenda sunt maxima ex parte Lexeographica.*

### ART. I.

*Hiero-Emblemata, Theogrammata, et allegorica Hiero-Dramata veterum Gentium sollerti studio, diligenti curâ, certâ arte fuisse a Sacerdotibus condita tenendum est.*

1. Nam religione summa, superstitione incredibili, cultu perpetuo, obstinatione pervicacissima *Theogrammata* illa, et illa *Hiero-Emblemata* Gentes amplissimae, potentes, excultae, doctae sunt veneratae. Atqui cultus pertinax, diuturnus, constans, certus Simulacrorum et Iconum Sacrarum oriri non potuit, nisi ex profunda persuasione, quod Formae illae, Figurae illae, Symbola illa, Ornatus illi essent Diis suis intelligibilibus grata, accepta, et ad pacem eorum impetrandam et ser-

vandam prorsus idonea: et propterea certâ arte, et lege, et certo criterio ab Auctoribus suis fuisse condita. Nec leve est easdem veteres Gentes existimasse, quod Simulacra et Icones Deorum fuissent ab ipsis Diis inumbrata, vivificata, inhabitata, et adeo esse potentissima apotropaca, et pignora publicae prosperitatis certissima. Praeterea, quae temere, levique consilio fiunt, facile, brevi, et necessario immutantur, abolentur, corrumpuntur, quum necessario sint plerumque inepta, rudia, inopportuna, damnosa. Atqui *Simulacra* et *Emblemata* Deorum Veterum Gentium constantia incredibili per plurima saecula servata sunt; omnino igitur tenendum est multo studio, gravique cura ea condita fuisse.

3. Tandem *Theogrammata Hiero-Emblemata*, et quaecumque *Icones Deorum* magnorum non a vili Popello, non a tenui Plebecula, non a Vulgo veterum Gentium condebantur, constituebantur, servabantur; quin Plebs, Vulgus, Popellus, quam longissime, ut profanus, et impurus a quacumque Sacrorum cura arcebatur et proiiciebatur. Sed ea condebant, curabant, servabant vel Tribus hereditariae, quae ab ipsis Diis vera generatione ortae, et conditione humanâ maiores putabantur, vel Familiae peculiares nobilissimae, Sacratissimae, vel Collegia Optimatum praecipuorum vel Civium sapientia, potestate, divitiis maximorum. Quamobrem dubitari non potest, quin Veteres Gentes per Sapientissimos et praestantissimos Cives suos elementa Scientiae suae Theologicae *Theogrammatibus* et *Hiero-Emblematibus* sollerti studio et gravi cura condiderint.

## Art. II.

*Si Theogrammata, et Hiero-Emblemata veterum Gentium sollerter et studiose sunt composita, intimus utique nexus et certa relatio est invenienda inter Symbola atque Ornatus Theogrammatum, et reliquas partes Hierologiae Typorum divinorum.*

1. Nullus est fere Typus Theologicus, nullus est Deus veterum Gentium, cui non adsit suus sacer *Adparatus*, cui non sit sua *Hierologia*, quae ex quinque plerumque partibus et elementis constat. Scilicet constat 1. ex Nominibus divinis, ex vocibus, quibus datus *Typus Theologicus* a reliquis discernitur et distinguitur. 2. Ex cognominibus, sive nominibus munerum, et officiorum. Nam nullus Deus esse potest nisi curando, satagendo, tuendo mortalium. 3. Ex ritibus et ceremoniis cultus et venerationis suae; nullus enim erit Deus, qui satagere mortalia putetur, et careat aliquo cultu, et certis ceremoniis, quibus honoretur. 4. Ex Mythis et Fabulis sacris, quia plerumque natura Typi Theologici non potest plene nosci datis tantum nominibus et cognominibus, adeoque necesse est dari et Narrationes sacras, sive Crypticas et Arcanas, sive manifestiores, quibus illa natura explicetur et exponatur. 5. Et tandem ex Figuris et Formis aliquibus corporeis, quibus Typus ille significetur, et colatur, ex Symbolis, ex Schematibus, ex Ornatibus, quibus *Agalma* sacrum et *Theogramma* componitur. Si igitur necessario dandum est Symbola et Schemata *Theogrammatum* studiose et sollerter fuisse condita: si nulla sapientia, nulla sollertia esse potest ubi

nullus adest nexus, nulla relatio intima, nullum vinculum harmonicum; si partes *Hierologiae* referri mutuo necesse est, ut Cultus aliquis certus et constans haberi possit: tenendum utique est *Symbolis* et Ornatibus *Agalmatum* divinorum et *Theogrammatum* esse certam relationem, et certum nexum cum Nominibus, Cognominibus, et Mythis divinis. Et si, ut innuimus, omnes veteres Gentes animari vivificari insideri ab ipsis Diis Agalmata et Simulacra sua profunda persuasione tenebant, utique id tenebant, quod ipsi characteres, ipsae proprietates, ipsae potestates, ipsa natura, ipsa nomina Deorum suorum illis Symbolis, illis Schematibus, illis Formis exprimi et servari putabantur.

## ART. III.

*Schemata et Symbola Theogrammatum, et Hierodramatum Theologicorum, et Hiero-Emblematum veterum Gentium Ideographice sumta nullum nexum rationalem, nullam idoneum relationem cum ceteris Hierologiae partibus ostendunt.*

Datis enim ex una parte *Nominibus*, *Cognominibus*, *Characteribus* Theologicis, et *Mythis* Typi divini, et ex alia *Symbolis*, *Schematibus*, et *Emblematibus* suis, impossibile est per *Ideographiam* sufficientem, et plenam relationem et nexum mutuum et intimum invenire et decernere. Si *Osiris* est Rex Tartari, Iudex mortuorum, quid cedo *Ideographice* uncinus et flagellum frugum? Et si haec ei tribuuntur ut agriculturae Praesidi, quae cedo erunt eius Symbola, ut Rex mortuorum, et cur illa Symbola Agriculturae ei, ut Iudici

mortuorum tribuuntur? Si *Apollo* Delphicus est Augur, Vates, quid, cedo, *Ideographicé* nuditas, caesaries, laurus, arcus, pharetra, sagittae? Quid Pegasus et Hippocrene? Si *Mercurius* est Legatus, Missus, quid *Ideographice* aries, gallus, testudo, bursa, caduceus? Si percurrimus ceteros Typos, in omnibus eamdem obscuritatem, vel potius absurditatem Ideographicam deprehendimus. Nec unus adhuc extitit, qui alicuius Typi divini *Hierologiam* per leges *Ideographicas* plene et absolute solvere et explanare adgressus fuerit.

## A r t. IV.

*Pleraque Schemata et Ornatus Theogrammatum, et Hiero–Emblematum veterum Gentium haberi non possunt Ideographica.*

1. Nam, ut modo vidimus, Symbola Theogrammatum, et Hiero–Emblematum Ideographice explicari, et intelligi nequeunt, et contra *Agalmata* divina *Ideographice* condita sunt *Ideographice* evidentia et explicari et intelligi facile et clare possunt, et debent: quia non alia Symbolis huiusmodi *Ideographicis* possunt exprimi, quam characteres Deorum ethici, et eorum potestas cosmocratica, quae, ut ostendimus Libr.I.Sect.II. cap.5. pag 36. ipsis schematibus et formis physicisnotis, et certis sunt exprimenda.

## A r t. V.

*Theogrammata et Hiero–Emblemata monstriformia Aethiopum, Aegyptiorum, Indorum, Sinensium, Iaponiorum, Tibetanorum haberi non possunt Ideographica.*

Nam, ut superius Lib.I. Sec.II. cap.5. p.35. demonstratum est, quorumcumque Deorum Typus

*Ideographicus* esse non potest, nisi humanus. Unus enim Typus humanus potest esse symbolum rationis, voluntatis, sapientiae, scientiae, potestatis, imperii, quae singulis Diis tribuuntur. Adeoque si isti Populi belluinam vel mixtam formam purae et sincerae Humanae praetulerunt, ob rationes ab *Ideographicis* longe diversas fecisse tenendum est.

### A r t. VI.

*Theogrammata et Hiero-Emblemata veterum Gentium habenda sunt in omnibus fere partibus suis Lexeoschematica.*

1. Primo, quia certum est quaevis Deorum *Agalmata*, quaevis *Iconogrammata* Theologica, quaevis *Hiero-Emblemata* posse per *Lexeoschemata* condi, data Lingua Temurica, et ea esse non posse nisi simillima *Agalmatibus*, et *Theogrammatibus*, et *Hiero-Emblematibus* veterum Gentium.

2. Secundo, quia si *Theogrammata*, et *Hiero-Emblemata* Veterum haberi non possunt *Ideographica*, necessario habenda sunt *Lexeographica*, quum hac in re nulla alia via media fit, et reliqua inter duas.

3. Tertio, quia si *Theogrammata* et *Hiero-Emblemata* Veterum haberi non possunt *Ideographica*, quod Symbola et Ornatus illi *Ideographice* sumti sunt obscurae, et ambiguae sententiae, imo absonae, absurdae, ridiculae saepius; et *Symbola* et *Troposchemata Lexeographica* omnino ita sunt absona et absurda *Ideographice* sumta, utique dicenda sunt *Lexeographica*, et quidem summa arte et sollertia confecta Symbola et Orna-

tus *Theogrammatum*, et *Hiero-Emblematum* veterum Gentium, saltem maxima ex parte.

Id autem nos data opera ostendere conati sumus in *Problematibus*, et *Theorematibus Hierographicis*.

## CAPUT III.

## *Dramata Liturgica, et Scenae rituales Aethiopum, Aegyptiorum, Syrorum, Graecorum, Italorum, Indorum, Scandinavorum, Parsorum magna ex parte, et quoad omnes fere partes suas et symbola, Lexeoschematica habenda sunt.*

### Art. I.

*Ritus sacros et ceremonias religiosas veterum Gentium certo consilio, magna diligentia, profunda cura compositas et conditas fuisse tenendum est.*

Per hos enim ritus, per has ceremonias se pacem Deorum impetrari putabant, omnem prosperitatem, omnem felicitatem in se, in suos, in Patriam accersere, mala omnia averruncari, et in hostes deferri pertinacissime tenebant. Per horum rituum neglectum, per harum ceremoniarum vel minimarum omissionem iram Deorum vehementissime accendi, et omnibus malis se fieri obnoxios rebantur. Quamobrem superstitione incredibili, diligentia et sedulitate summa Ceremoniae illae semper peractae, et non semel, ut levissimus aliquis ritus servaretur, honores amplissimi et ipsa vita proiecta. Et quoniam impossibile est haec

omnia fieri, si temere, inconsiderate, et levi vel nullo consilio illi Ritus fuissent constituti, tenendum omnino est certo proposito, gravi cura, longo examine ritus illos et ceremonias illas fuisse conditas.

Quod eo magis tenendum est, quia vel Auctores, vel Administri horum Rituum, non quivis ex Vulgo, non quivis ex Plebe, sed Cives delectissimi tantum, probatissimi, praestantissimi essent.

## A r t. II.

*Inter nomina, cognomina, potestates, characteres, facta, gesta Deorum veterum Gentium et Ceremonias sacras, et Ritus Liturgicos certum nexum et certam relationem intercessisse tenendum est.*

In uno enim nexu Rituum et Characterum divinorum, eoque intimo et profundo potest haberi summa illa Superstitio, et persuasio veterum Gentium. Si nomina et Characteres Deorum in illis Ritibus et ceremoniis quodammodo vivunt et sunt, persuasio illa possibilis est; ablato nexu, relatione detracta, amissa sunt omnia, et Ceremoniae illae fiunt actus entium irrationalium, et absurdorum. Atqui Veteres rebantur mirifice Deos delectari illis Dramatibus et Scenis, et indignari si negligerentur. Ergo aeque rebantur esse conformes illos Ritus naturae, characteribus, et vitae Deorum suorum; atque adeo intimum nexum intercedere inter nomina, cognomina, facta Deorum suorum, et Ritus Liturgicos.

## ART. III.

*Dramata Liturgica veterum Gentium Ideographice sumta vel sunt obscura saepius, et inexplicabilia; vel absona et absurda.*

Quis, obsecro, Saturnalia, Bacchanalia, Lupercalia, Metroa, Mithriaca, Panathenaea, et id genus alia, *Ideographice* et plene interpretabitur? Quis sententiam plenam, continuam, congruentem naturae et characteribus praecipuis Deorum illorum inde extrahere quiverit? Immo quis esse poterit, qui in illis Dramatibus et Ritibus plurima absona, abnormia, et irrationalia non deprehenderit, si Ideographice sumserit? Quin ipsa Dramata Ritualia Nuptiarum, Nativitatum, Foederum, Funerum etc. sunt magna ex parte *Ideographice* inexplicabilia, obscura, abnormia. Nec dici potest mores et ritus Gentium omnino immutari, et in alios diversissimos converti: nam Mores, qui immutantur et perduntur, non sunt saepius *Ideographici*, et Ritus qui Natura duce, quae non mutatur, instituuntur, vel non pereunt, vel semper clare et perspicue intelliguntur. Ita etsi nos modo non demus amplius operam Palaestrae, totum vero processum Athletarum possumus recte nosse et explicare. Si ergo veteres mores et ritus sunt *Ideographice* inexplicabiles vel absurdi, omnino tenendum est non fuisse conditos *Ideographice*.

## A r t. IV.

*Dramata Ritualia et Liturgica veterum Gentium magna ex parte habenda sunt Lexeoschematica.*

1. Per *Lexeoschemata* posse condi quaevis *Dramata Ritualia* et *Liturgica* certum est. Nosque in Theorematibus Hierographicis suppeditabimus, Deo dante, elementa ex. gr. Pompae Bacchicae, et Cybelicae.

2. *Dramata Ritualia*, et *Liturgica*, quae per *Lexeoschemata* conduntur, saepius *Ideographice* sunt vel obscura et inexplicabilia, vel absona, et absurda, eo plane pacto, quo obscura et inexplicabilia, absona et absurda *Ideographice* sunt *Dramata Liturgica* veterum Gentium.

3. Tandem si dubitari nequit *Dramata Liturgica* veterum Gentium studiose et sollerter fuisse condita, si impossibile est esse absona, absurda, inexplicabilia *Ideographice Dramata*, quae fuissent condita ex legitimis symbolis *Ideographicis*: si Dramata Ritualia Veterum *Ideographice* sunt absurda; si *Lexeographice* esse possunt rationalia et recta: si *Drama*, quod non est *Ideographicum*, necessario habendum est *Lexeographicum*: utique tenendum est *Dramata Liturgica* veterum Gentium esse *Lexeographica.*

## CAPUT IV.

## *Dramata funebria Etruscorum, ea nempe, quae in Urnis inscriptis cernuntur, habenda sunt maxima ex parte Lexeoschematica, Epigraphica, et Cryptica.*

### ART. I.

*Quae dicantur Dramata Lexeoschematica, Epigraphica, et Cryptica.*

Si quis datis aliquot vocibus Linguae popularis et communis, puta nomine, praenomine, cognomine, titulis, epithetis certae Personae, ex his vocibus sive nova interpunctione, sive per homiophoniam, aliquot Voces schematicas et figurabiles Linguae secretioris et arcanae, puta Sacrae et Religiosae, inde deducat, et sibi proponat: tum ex his Vocibus schematicis Linguae secretioris *Drama* conficiat, cui illam Epigraphen praefigat; *Drama* hoc dicetur *Lexeoschematicum, Epigraphicum*, et *Crypticum.* Et quidem *Lexeoschematicum*, quia ex Schematibus Vocum et Verborum constat: *Epigraphicum*, quia ex *Epigraphe* deductum est, et tum Verba, tum *Drama Epigraphi* illi respondent: *Crypticum*, quia non refertur ad illa Verba, quae leguntur, sed ad Verba alia ignota, et arcana, quae arte tantum et sollertia possunt deprehendi et nosci.

## A r t. II.

*Dramata funebria Etruscorum haberi non possunt lusus inanes, et vana commenta Artificum.*

Nulla enim in re magis superstitiosi, imo pavidi extiterunt Veteres, quam in Religione Manium. Ideoque non modo fieri non potuit, ut Artifices *Dramatum* circa res Defunctorum vanis figmentis et inanibus Schematibus luderent: sed etiam contra certissimo tenendum est, quidquid in illis *Dramatibus* esse expressum, vel ad nomina et memoriam Defunctorum servandam, et ad laudem et gloriam facere; vel ad expiationem, purificationem, et ad placamina eorum, vel Deorum Inferorum, in quorum potestate eos esse putabant, spectare.

## A r t. III.

*Nulla Dramata funebria Etruscorum haberi possunt plane Historica et Cyriographica.*

1. Nam primo *Gens Etruscorum* videtur neglexisse et parvipendisse *Iconogrammata humana, Pragmatogrammata*, et *Dramata Historica.* Etsi enim per sex saecula plures viros praestantissimos Romanae Reipublicae, et Imperio edidisset, ita ut potuisset Signis, et *Dramatibus* Historicis Civium suorum suas praecipuas Aedes, et Hypogaea exornare, quum monumenta diversi generis ad nos plurima pervenissent, tam paucae sunt Icones Virorum insignium certorum, tam pauca Dramata, quae certo dici possint historica, ut vix, aut ne vix quidem adduci in exemplum possint, et vix aliqua memoria digna videantur.

2. Quod Gesta et Facta illustria in fronte Urnulae pedalis, et plerumque fictilis apte numquam fere effingantur.

3. Quod in *Dramatibus* funebribus *Etruscis* desunt plerumque Personae principes, Protagonisticae, quae centrum et fundum Dramatis Historici constituant.

4. Quod intima compositio *Dramatis Etrusci* est historice improbabilis, et omnem verisimilitudinem facti socialis excludit. Personae *Dramatum* funebrium sive prostratae, sive substratae, sive latentes, sive furiose in se irruentes, sive atrocissime praeliantes ita sunt collocatae et dispositae, ut in omnem probabilitatem historicam plerumque evidenter peccent.

5. Quinto quod eadem *Dramata* pluribus et diversis *Inscriptionibus* funebribus respondeant, et *Epigraphae* aliae et diversae praefixae sint eidem vel simili *Dramati*. Quod omnino est antihistoricum, et a *Cyriographia Pragmatica* humana alienum.

6. Sexto tandem, quod in *Dramatibus* istis funebribus frequenter appositae sint *Lasae*, sive *Genii*, et Daemones inferi *Etruscorum*, quod in *Dramatibus Historicis* absurdum.

## A r t. VI.

*Dramata funebria Etruscorum haberi nequeunt, quoad maximam partem Mythographica, et ad Fabularem Deorum historiam spectantia.*

1. Primo quia *Etrusci* caruerunt *Systemate Mythico*, Corpore aliquo Fabularum Theologicarum: nec series ulla Fabularum divinarum, quae dici possit *Etrusca*, praeter omnino paucissimas,

sive Monumentorum fide, sive Scriptorum veterum testimonio potest adstrui. Quin ex defectu Monumentorum, ex silentio Veterum, et cuiuscumque Traditionis, et ex paucitate et Crypticismo Symbolorum et Schematum determinantium, quibus Icones et Statuae Deorum *Etruscorum* exornantur, omni iure et necessario colligitur caruisse *Etruscos* insigni aliquo et amplo Corpore *Fabularum Theologicarum*, ut Romanos ipsos caruisse, praeter ceteros, singillatim testatur Dionysius Halicarnasseus.

2. Secundo quia *Etrusci* numquam adoptarunt et receperunt Systema Mythicum Graecorum, et corpus Fabularum Hellenicarum. Si id enim fecissent, omnino Typos divinos omnes Graecorum et eorum Symbola, et Ornatus recepissent, quod omnino non fecerunt *Etrusci* praeter Minervam, et Herculem. Quin *Etrusci Crypticismi* sui *Symbolici* adeo tenaces extiterunt, ut cum Typos divinos Graecorum, et quaedam *Dramata Mythica* adoptassent, necessitate temporum adacti, addere potius voces et nomina maluerunt, quam *Symbola* et Ornatus. Recipere autem *Mythos* et Fabulas, et reiicere *Symbola*, Schemata determinantia, et Ornatus sacros impossibile est, quum intimus nexus sit inter utraque.

4. Tertio, quia si *Etrusci* in pluribus *Dramatibus*, quae a Graecis sunt mutuati, nomina Deorum inscripserunt, et id non fecerunt in *Dramatibus* funebribus, utique id factum, quod non essent *Dramata* Graeca. Et si negari non potest in Urnis funebribus *Etruscorum Dramata* Raptus Proserpinae, et Liberationis Andromedae fuisse insculpta; negari omnino potest, ea fuisse ab Hellenibus inventa, et primum insculpta: et affirmari

contra potest vel esse *Etrusca*, vel Gentis alterius utràque vetustioris. Nec inde fit, ut sit iam *Systema Mythicum Etruscis*, quod quatuor vel quinque *Dramata* Fabularia sive propria, sive a Gente vetustiore recepta possint numerari. Alius profecto numerus Mythorum, alia quantitas Fabularum, alius nexus mutuus requiritur, ut *Systema* et Corpus Mythicum, quod fuit Graecis, Indis, Scandinavis, constituatur.

4. Quarto, quia vestes et ornatus *Typorum*, quibus *Dramata* funebria conficiuntur, sunt *Etrusca*, Romanis simillima, non Graeca. Atqui in Rebus divinis Prototypi sunt plerumque fideliter imitandi, et expingendi, quum vestes, arma diversi generis vel formae possint longe aliam interpretationem, et sententiam Dramati inferre.

5. Quinto, quia desunt saepius Typi principes, protagonistici, quia desunt Dii, Heroes certi, quibus Drama tribuatur: quia Mythice explicari certo et clare non possunt. Et qui *Mythice* tentant ex vetere praeiudicio decepti, et temere, et frustra faciunt, aeternum mutuo de *Dramatis* interpretatione pugnantes et digladiantes.

6. Sexto, quia etiam *Mythice Dramata* sunt improbabilia. Pugnae illae Cadmeae, pavores illi, consternationes illae, Monstra illa, nec in *Dramatibus Mythicis* recte constant; quum *Dramati Mythico* insit ipsa sua intima probabilitas, et ordo congruus typorum, et factorum.

7. Septimo tandem, quia frequenter adsunt *Lasae*, et *Genii* Defunctorum, quae nec in *Dramatibus Mythicis* recte et rite possunt apponi, nisi ubi res ipsa postulet, et requirat.

## Art. V.

*Dramata funebria Etruscorum, quibus Ritus et Ceremoniae Religiosae videntur exhiberi, haud haberi possunt ut Dramata Etruscae Liturgiae pura et Cyrioschematica.*

Nam obstat illa ipsa intima absurditas compositionis, omnia *Dramatis* elementa haud mutuo cohaerent, semper sunt aliquae Personae non idoneae, semper facta improbabilia peraguntur, numquam dici potest Scenam ex ipsa veritate Liturgiae fuisse expictam, numquam *Drama Etruscum* haberi potest, ut *Cyrioschematice* expressum.

## Art. VI.

*Pleraque Dramata funebria Etruscorum habenda sunt Lexeoschematica et Epigraphica.*

Nam si *Cyrioschematica* non sunt, si *Historica* non sunt, *si Mythica* plerumque non sunt, si *Commenta* vana et ludibria inania esse non possunt; si ex datis Typis et Formis praepositis necessario fuerunt desumenda, et nulli Typi, nullae formae propius spectare Defunctum potuerunt, quam quae ex sua *Inscriptione*, ex suo Lemmate emortuali, ex suis nominibus peti et deduci poterant, *Epigraphica* utique esse *Dramata* funebria *Etruscorum* dicendum est.

## Art. VII.

***Si Dramata funebria Etruscorum sunt Epigraphica, omnia in eis apte congruunt, et apposite conveniunt.***

1. Nam primo *Dramata Epigraphica* nec sunt vana commenta, et ludibria Artificum, nec sunt Scenae *Cyrioschematicae*, *Physiographicae*, non sunt *Dramata* vere *Historica*, vere *Mythica*, vere *Liturgica*, ut esse Dramata funebria *Etruscorum* modo probavimus. Sed secundum voces *Epigraphicas* possunt esse omnia haec singillatim, et plura ex his mixta, et confusa. Si Auctor *Dramatis Epigraphici* detegit in Epigraphe nomina alicuius Dei vel Semidei, potest concinnare *Drama Mythicum*; si nomina Viri illustris, potest aliquod eius gestum expingere, et *Drama Historicum* repraesentare; si verba Liturgica, potest *Ritum* et ceremoniam sacram exhibere, et si verba *Mythica* et verba Liturgica, vel verba variorum et diversorum rituum, potest confingere *Drama* mixtum, et confusum; ut esse plura Etrusca superius adnotavimus.

2. In *Dramatibus Epigraphicis* erant plura absona, absurda, obscura, et compositio erit intrinsece improbabilis, et abnormis. Nam saepius fit, ut necessario voces *Epigraphes* respondeant obiectis diversis, adversis, disparatis, et auctor *Dramatis* in compositione liberrimus in probabilitatem historicam peccet, tum adversitate elementorum, quae tractat, tum sua libertate, tum ut prodat consilium suum, et indicet *Drama* illud esse *Poeticum*, et artificiose quidem, sed non ex Cyrioschematibus compositum.

3. In *Dramatibus Epigraphicis* adponi possunt semper *Lasae* et *Genii* Defunctorum, quia *Drama* vere et proprie ad Defunctum spectat, cuius nomina, cognomina, titulos Schemata illa exhibent Cryptice.

A r t. VIII.

*Removetur Obiectio prima.*

At dices: Si *Dramata Urnarum Etruscarum* respondere debent *Inscriptioni* praefixae, quî factum est, ut plures Urnae ad nos pervenerint *Inscriptione* sua carentes? Respondeo: Si verum est esse Urnas numquam inscriptas, id factum, quod plura essent *Dramata Theologica Mythica, Liturgica*, quae haud egerent *Inscriptione*, ut apponerentur. Nec nos dicimus vel tuemur universa prorsus *Dramata* funebria esse *Epigraphica*, sed pleraque. Dixi: si verum est servari *Urnas*, quae numquam fuerunt inscriptae. Nam saepius opercula Urnarum, in quarum fronte positae *Inscriptiones*, perierunt, et saepius *Inscriptiones* ipsae evanuerunt, ut quandoque ex tenuissimis, sed certis vestigiis, evidenter colligimus.

A r t. IX.

*Removetur Obiectio altera.*

At regeres: Si ex dato Themate *Drama* funebre ab *Etruscis* conditum fuit, quomodo iisdem vel simillimis *Dramatibus* respondent *Inscriptiones* plane aliae et diversae? Respondeo id factum, quia plurima Verba sunt diversi soni, sed similis potestatis. Si Auctor *Dramatum Etruscorum* ex

quatuor vel quinque *Inscriptionibus* datis deduxisset voces heterophonas quidem, sed homodynamicas, vel homiodynamicas, quae ex. gr. significassent *Virum strenuum, fortem, validum, bellicosum, animosum;* uno eodemque *Dramate* ob homiodynamin potuisset omnes repraesentare. Possunt ergo eadem *Dramata* dissimilibus *Inscriptionibus Lexeoschematice* respondere.

### Art. X.

*Removetur Obiectio tertia.*

At quî fieri potuit, dices insuper, ut simillimae *Inscriptiones* apponerentur diversis et aliis Dramatibus? Quia data *Inscriptio* potest saepe alio modo interpungi, et potest adeo suppeditare diversa *verba*, et alia propterea et diversa *Dramata*. Possunt insuper adhiberi diversa homiophona, et inde deduci diversa *verba*, et inde condi diversa *Dramata*. Simillimae igitur *Inscriptiones* Linguae communis et popularis possunt respondere aliis et diversis *Dramatibus* Linguâ secretiore confectis per diversam interpunctionem, vel diversa homiophona.

### Art. XI.

*Removetur Obiectio quarta.*

Regeres quarto: Si *Dramata* funebria *Etruscorum* fiunt ex dato *Lemmate*, Urna parari non potuit nisi post mortem. Atqui id est longe improbabile; quin pluribus est aperte falsum, saltem quoad maximum numerum. En autem ut brevi hunc nodum solvam. Ponamus praecipuum *Figulum Volaterranum* Tabernam Urnarum velle

parare. Is omnium primum Nomina, Praenomina, Cognomina, Titulos, Epitheta praecipuarum Familiarum sibi comparabit, ut faciunt etiam modo inter nos, qui *Stemmata* Familiarum parant. Hinc sive propria sapientiâ, sive ope aliorum Sapientum adiutus, *Verba Schematica* Linguae sacrae et secretioris, ope interpunctionis, vel homiophonorum ex illis Nominibus et Titulis deducet: inde *Dramata* condet, et Urnas parabit. Defuncto aliquo *Etrusco* consanguineus, affinis, heres *Epigraphe* concinnata, ad *Figulum* accedet, et Urnis pluribus inspectis et examinatis illa seligetur, cuius *Drama* satius et melius *Epigraphi* congruit, et in illâ Urnâ Epigraphe adlata praescribetur et praefigetur. Hoc pacto et Urna ante mortem paratur, et *Epigraphicum* revera et *Crypticum* est *Drama* Urnae, et ad Defunctum revera spectat.

## A r t. XII.

### *Removetur Obiectio quinta.*

Sed si *Lingua Etrusca* obscura prorsus est et ignota, quo, cedo, criterio, quo pignore interpretatio habebitur certa et explorata? Etiam incertâ et ignotâ *Lingua* populari et communi *Etruscorum* potest haberi Criterium certum et rationale Interpretationis *Dramatum* funebrium *Epigraphicorum*. *Dramata* enim non referuntur recta ad *Inscriptionem*, non sunt ipsa verba *Epigraphes*, quae sunt in *Dramate* legenda. Sed verba alterius *Linguae*, quae ex interpunctione et homiophonia vocum *Inscriptionis* datae exsurgant. Scilicet si quis datis *Inscriptionibus* plurimis *Urnarum Etruscarum* ita illas dividat et in-

terpungat, ut omnes voces fiant homophonae, vel homiophonae vocibus certae et notae *Linguae*, et hae voces omnes vivere, ut ita dicam, et repraesentari deprehendantur in *Dramate*, maximum criterium utique probabilitatis, vel exploratae adeo veritatis hoc pacto habebitur, et omnino ad rationalem persuasionem satis et super. Tentamen nostrum in haec Hieroglyphica *Etruscorum Epigraphica* loco suo, Deo adiuvante, dabimus.

## CAPUT V.

### *Emblemata et Symbola Nummorum veterum habenda sunt magna ex parte Lexeographica.*

#### ART. I.

*Typis et Symbolis Nummorum antiquarum Gentium Origines, affinitates, et Stemmata ipsarum Gentium; Emblemata Deorum suorum praecipue Indigetum, monitus, et providentiam Numinum, mores et instituta earum nobiliora fuisse significata tenendum est.*

Nam si tanta est plerumque artis praestantia in illis Typis, si tanta est pulcritudo et concinnitas formarum, si tanta varietas et numerus Symbolorum, ut dubitari non possit, quin magna, insignia, praeclara per illa tradantur: et si nil charius et antiquius Civitati vel Genti, quam Origines et Nomina sua, et illustriora instituta aeternitati, ut ita dicam, commendare; si nil praestantius quam monitus et providentiam Deorum suorum aliis notam facere: haec utique, et his similia, sunt in Typis et Symbolis Nummorum veterum invenienda.

## Art. II.

### *Plurima Emblemata et Symbola Nummorum veterum haberi non possunt Ideographica.*

Nam primo condere *Ideographice* in Nummis *Stemmata* perspicua Originum, affinitatum, monitorum divinorum, et institutorum praestantiorum saepius impossibile. Praeterea si Stemmata et Symbola Nummorum *Ideographice* sumimus, vel obscura sunt, et inexplicabilia, vel interpretationes carent legitima auctoritate, vel potius absonae sunt et absurdae. Et profecto quamvis ad excolendam Nummorum disciplinam accesserint plurimi Viri longe solertissimi, et omni literatura refertissimi, nemo tamen ex his adhuc inventus est, qui decem tantum Nummos cuiuscumque Civitatis, cuiuscumque Regis, vel Imperatoris per leges *Ideographices* totos et plene nobis explicaverit. Quin, si negari non potest in Nummis potissimum Imperatorum Romanorum plura Ideographice exprimi et significari, ex ipsis Nummis Imperatorum maximum et invictum argumentum desumitur, quod plura etiam in eis non sint originis *Ideographicae*. Ad *Emblemata* enim et Typos horum Nummorum saepe sive *Verba* sive *Lemmata* adposita sunt, ut vis, potestas, et natura ipsorum Emblematum et Typorum fiat certa et nota. Atqui saepius fit, ut *Emblemata*, *Typi*, et *Symbola* Nummorum Imperialium non modo non cohaereant, nec mutuum nexum ostendant, sed fere adversentur *Vocibus* et *Lemmatibus* suis: et contra *Emblemata* et *Typi* vere *Ideographici*, data *Voce* vel *Lemmate* determinante, illico fiant et necessario certa et evidentia, ut Libro primo saepe

animadvertimus. Ergo omnia *Emblemata* et *Symbola* Nummorum Romanorum, et adeo aliarum Gentium, esse *Ideographica* impossibile est.

### A r t. III.

***Plurima Schemata et Emblemata Nummorum veterum habenda sunt Lexeographica.***

1. Primo, quia si non sunt *Ideographica*, et nulla alia via media est; utique habenda erunt *Lexeographica*.

2. Secundo, quia possunt condi *Lexeoschematice* quaecumque *Emblemata*, quicumque *Typi Numismatici*, et quot lubeat.

3. Tertio, quia *Typi* Nummorum naturae adhuc incertae mixti sunt *Typis* et *Emblematibus* Deorum certorum, quorum naturam *Lexeographicam* iam superius demonstravimus.

Nos autem in *Problematibus* nostris *Hierographicis Lexeoschematice* tentavimus aliquot Nummos Judaicos, aliquot Graecos, aliquot Italicos.

### A r t. IV.

***Interpretationi Nummorum Lexeoschematicae adversari non potest, quod eadem Civitas diversis Typis et Emblematibus usa fuerit; vel quod diversae et dissitae Civitates adhibuerint Typos et Emblemata vel eadem vel similia.***

1. Nam si in *Nummis* possunt recte exprimi variae Tribus, variae Familiae, ex quibus *Civitas* coaluit, si Conditores plures, si plures fuerunt Typi divini, varia et multiplicia esse poterunt *Em-*

*blemata et Symbola* eiusdem Civitatis, et ea possunt esse omnia *Lexeographica.*

2. Civitates porro et Gentes loco dissitae poterunt iisdem vel similibus Emblematibus vel Symbolis uti, vel quia consanguineae et affines, vel quod utantur iisdem Typis divinis, et similibus moribus, vel quod adhibeant eamdem Linguam et *Scripturam Symbolicam*: adeo ut volentes exprimere eamdem sententiam in eadem vel similia Symbola incidant.

## CAPUT VI.

## *Hiero-Emblemata, et Hierodramata Graecorum et Latinorum praesertim Physica, Ethica, Politica post constitutam et propagatam Bibliothecam suam condita, quoad plures suas partes et elementa, Ideographica habenda sunt.*

### ART. I.

*Indicantur caussae, ob quas apud Graecos et Romanos constitutâ suâ Bibliothecâ magis Scriptura Ideographica, minus Scriptura Lexeographica expeti et adhiberi debuit.*

1. Prima caussa fuit usus frequentissimus omnis generis *Troporum* et *Metaphorarum Ideographicarum* apud Poëtas, Oratores, Rhetores, et Sophistas; et adeo apud universum Populum, qui eorum libros pulcherrimo stilo compositos avidissime complectebatur. Quamobrem necessitas facta est etiam Pictoribus, Sculptoribus, Fictoribus, ut

*Ideographica* ipsi quoque adfectarent, et a Natura minus, ut ita dicam, dissentirent. Et hinc revera factum est, ut *Theogrammata*, et *Hiero-Emblemata* Graecorum et Latinorum, etsi *Lexeographica*, non ostendant tamen plerumque illam absurditatem Ideographicam, quae in *Theogrammatibus et Hiero-Emblematibus* Aethiopum, Aegyptiorum, et Indorum saepe deprehenditur.

2. Altera caussa fuit institutio et propagatio Sectarum Philosophicarum. Quum enim Philosophorum propositum et studium omne in eo esset positum, ut nexus verus Rerum, et naturales obiectorum relationes decernerentur, numquam amare et curare *Scripturam Lexeographicam* potuerunt, utpote quae non nexus et relationes, sed contrarietates et absurditates *Ideographicas* quaereret et probaret. Et hinc factum fuisse teneo, ut Schola Orphica *Temurosopha*, et ex qua plures Poëtas Theologos, et Agalmatopoeos prodiisse dubitari non potest, Bibliothecâ Graecâ constitutâ, obscura, despecta, et quasi ignota iacuerit. Et Pythagorica etsi plura ex Orphicis resecuisset, quia plura retinuit, et maxime *Temurosophiam*, ut nos Explicatione *Selectorum Symbolorum Pythagoricorum* Appendice ad *Hieroglyphica selecta* demonstravimus, parum duravit, et brevi fere evanuit.

3. Tertia caussa fuit Regiminum Popularium institutio. Populo enim et Vulgo non per *Lexeoschemata* loquendum est, sed per *Metaphoras* et Tropos *Ideographicos*, quibus mire delectatur.

Conatus igitur captandi et affectandi *Ideographica* in *Agalmatibus* et *Dramatibus* suis sacris apud Graecos et Latinos invalescere necesse fuit 1. perfecta Linguâ populari et communi. 2. Libris plu-

ribus Poëtarum et Oratorum propagatis. 3. Scholis Philosophorum Physiotheisticorum dilatatis. 4. et Regiminibus vel Monarchicis vel Popularibus constitutis. Specimen autem interpretationum *Ideographicarum* in explicatione *Hierodramatis* Graeco-Romani, in quo *Nuptias Zephyri* et *Florae* vel *Amoris Uranii* et *Psyches* exhiberi putamus, per hos annos dedimus, eaque modo sunt edita in Volum. II. Actuum Academiae nostrae Herculanensis.

## A r t. II.

*Nulla tamen aetate Graeci et Romani a Dramatibus suis publicis et solemnibus Scripturam Lexeographicam potuerunt penitus eiicere et depellere.*

1. Nam primo necesse fuit servare diligenter, et sancte tueri omnes *Typos Theologicos* receptos, omnia *Theogrammata*, et *Hiero-Emblemata Lexeographica* iam constituta et probata, eaque ingenti numero.

2. Secundo, quia essent semper multa, quae *Lexeographice* quidem possent facile exprimi, *Ideographice* essent prorsus intractabilia.

3. Tertio, quia Collegia Sacerdotalia, et Poëtae doctiores omnes *Temurosophi*, ne desuetudine Ars praestantissima periret, utque intelligentia et interpretatio veterum *Hierogrammatum* et *Emblematum Lexeographicorum* servaretur pura et perspicua, ut depositum illud vetustissimum diligenter et integre custodirent, et posteris traderent, omni aetate nova exempla Scripturae antiquae, omni tempore nova semper *Emblemata Lexeoschematica* procuderunt, et protulerunt. Et hinc factum, ut Romani ipsi, a quibus nemo

similia expectasset, temporibus quoad suas origines recentibus, scilicet paullo ante adventum Servatoris nostri in procudendis *Emblematibus* et *Stemmatibus* Nominum et Cognominum suorum *Lexeographicis* solertissimam operam in suis Nummis Familiaribus posuerunt. Quin post ipsum adventum Domini, etsi temperantius, in Nummis Imperatoriis plura adhuc usque ad quartum saeculum Christianum per *Lexeoschemata*, et per verba Linguae sacrae et arcanae in omnibus Terrae angulis eodem fere Lexico servatae, tentarunt et procuderunt. Nos quidem ex ipsis Romanorum Nummis Symbola aliquot attigimus in *Problematibus Hierographicis*, ad docendum profecto parum, sed ad impellendum satis: ideoque non dubitamus, quin alii multi ad hujusmodi pericula sint accessuri, quique velint Romanorum *Temurosophiam Semiticam* longe pluribus, clarioribus, et praestantioribus argumentis demonstrare. Nec praeterire volo, quod *Typus Zephyri*, cuius *Nuptiarum Drama Ideographice* sumus interpretati, non modo *Ideographice*, sed etiam *Lexeographice*, et quidem solertissime compositus olim fuit, ut in *Problematibus* nostris *Hierographicis* ostendimus.

# SECTIO II.

## DE NATURA SCRIPTURAE HIEROGLYPHICAE AEGYPTIORUM MICROSCHEMATICAE ET POLYGRAPHICAE.

## CAPUT I.

### *Scriptura Hieroglyphica Aegyptiorum Microschematica et Polygraphica haberi nequit Ideographica, sive Characteristica, sive Systematica.*

### ART. I.

#### *Scriptura Microschematica Aegyptiorum haberi non potest Ideographica et Characteristica.*

1. Primo, quia *Scriptura Aegyptia Microschematica* est analytica, discreta, procedit per series et ordines saepius systematicos Schematum diversorum, quae voluntate et ratione adgregantur. At contra *Scriptura Ideographica* et *Characteristica*, ut Cap. 3. Sect. II. Libr.I. animadvertimus, procedere non potest, nisi per *Dramata*, quae ex ipsa Natura vel expinguntur, vel desumuntur, per Syntheses Schematum physicorum saepius Zoomorphorum, et per Scenas obiectorum externorum: quae propterea *Scriptura Ideographica* potius similis sit *Scripturae Aegyptiae Megaloschematicae* et *Dramaticae*, quam huic *Microschematicae* et *Stichereae*.

2. Secundo, quia *Scriptura Aegyptia* est continua, contigua, polygraphica: contra *Scriptura Ideographica* et *Characteristica* procedit tan-

tum per *Monogrammata*, sive per Syntheses Schematum discretas, disiunctas, abruptas, et numquam ita contiguas et continuas, ut Systemata Cogitationum humanarum pleno et perfecto ordine possint exprimi et significari. Nec sunt vires ullae, rationes ullae, per quas *Scriptura* huiusmodi *Ideographica* fieri possit continua, contigua, polygraphica, ut demonstratum est Libr. I. Sect. II. Cap. 3. p. 31. 32.

3. Tertio, quia *Scriptura Aegyptiorum Microschematica* est Theologica, Metaphysica, profunda, ut patet ex usu Theogrammatum, et Hiero-Emblematum, quae sunt per eam interspersa, et ex omnium Veterum Scriptorum constantissimo consensu. Atqui haec vix leviter et tenuiter attingi possunt in *Scriptura Ideographica*, et *Characteristica*, ut ostendimus Lib. I. Sect. II. Cap. 5. et 6. pag. 29. 30. 37.

4. Quarto, quia in *Scriptura Microschematica* adhibentur plurima Schemata Cryptica, obscura, Physiomathematica, systematica: et contra in *Ideographica* et *Characteristica* adhibenda omnino sunt Schemata nota, certa, clara, naturae exploratae et manifestae, ut diximus Libr. I. Sect. II. Cap. II. Art. 2. pag. 25. et alibi.

### Art. II.

### *Scriptura Microschematica Aegyptiorum haberi non potest Ideographica et Systematica.*

1. Primo, quia numerus Schematum adhibitorum in *Scriptura Aegyptia* est nimis brevis, tenuis, contractus prae necessitate Ideographicae Scripturae: scilicet in *Scriptura Aegyptia Microschematica*, quae per XV fere saecula obtinuit,

et in incredibili magnorum Monumentorum numero fuit adhibita vix 800 vel 900 Schemata satis invicem distincta, vel diversa numerantur. Atqui in *Scriptura Ideographica* tam diuturna, et tam ampla vix 10,000 Schematum fuissent satis, ut ex iis, quae disseruimus Lib. I. Sect. II. Cap. 7. pag. 43. 46. colligere pronum est.

2. Secundo, quia in *Scriptura Microschematica* Aegyptiorum etsi numerentur 800 fere *Schemata*, 200 ferme revera sunt, quae fundum, substratum, et substantiam *Scripturae* faciant. Haec una adhibentur in omnibus Monumentis, haec una circulo perpetuo redeunt semper in iisdem Monumentis quantumvis amplissimis, haec una omnibus temporibus; adeo ut universam Sacerdotum Encyclopaediam unis illis ferme ducentis *Schematibus* potuisse exprimi et significari probabile videatur; ut factum revera est a Conditoribus Scripturae Sinicae per 200 *Semata*. Nos quidem haud ii sumus, qui Sacerdotali huic Encyclopaediae nescio quam ingentem doctrinae vastitatem velimus tribuere: at etiamsi fuissent exprimenda Ideographice attributa tantum Deorum et characteres; si vires et potestates Cosmocraticae; si dogmata Theologica; si ritus, si ceremoniae describendae; si mysteria indicanda, 5000 *Schemata* diversa haud potuissent esse satis.

3. Tertio, quia eadem Schemata, et maxime ex illis 200 radicalibus et fundamentalibus frequentissime bis, ter, et quandoque quater repetuntur. Atqui in *Scriptura Ideographica* huiusmodi repetitio vel est inepta et absurda, vel impossibilis. Inepta, quia Aegyptii egregio systemate numerico usi sunt, quo uti potuissent etiam in illis repetitionibus, si ageretur de numeris. Si porro

tu velles duplici Schemate pluralem numerum personarum et rerum significari, quid faceres de repetitione ternâ et quaternâ? Si dualem tantum, nae dualibus tota Monumenta implebis. Et id quidem in hypothesi *Scripturae Ideographicae Monoschematicae* et *Monodynamicae*, quae a Monumentis Hieroglyphicis penitus esclusa est tum ob difficultatem suam insuperabilem, tum ob ingentem numerum Schematum, quae essent adhibenda, ut ex dictis Cap. 7. Sect. II. Libri I. p. 45. est necessario colligendum: tum omnium veterum Scriptorum testimonio, qui unanimes tradiderunt Aegyptios Schematibus Polydynamicis, non Monodynamicis esse usos, ut eodem Cap. VII. Art. 2. et 3. pag. 41. 42. etiam animadvertimus. Quod si datur *Scriptura Ideographica* et *Polyschematica*, de qua actum p. 46., tum illa repetitio est impossibilis, quia Schema fundamentale Polydynamicum alio et diverso Schemate, vel aliis et diversis Schematibus, non eodem potest determinari et definiri.

4. Quarto, quod in *Scriptura Aegyptia* plura sunt *Schemata* originis et formationis abstrusae, crypticae, obscurae. Atqui in quacumque *Scriptura Ideographica* possibili *Schemata* saltem pleraque sunt nota, clara, obvia; et si non negamus in *Scriptura Systematica* et *Ideographica* posse occurrere Schemata abstrusa, ardua, obscura, contendimus tamen haec procudi, proferri, et probari non posse, nisi exhaustis claris, notis, usualibus; quod profecto in Aegyptia, qua tantum 200 radicalia, et 600 circiter determinantia adhibentur, omnino non fit: quum in quacumque Regione et Gente exculta adsint plusquam 5000 obiecta clarae, notae, et perspicuae formationis, et quae possent facile et utiliter adhiberi.

5. Quinto, quod data versione vel quacumque interpretatione Monumenti Hieroglyphici impossibile est discernere nexum *Ideographicum* inter *Schemata* Monumenti, et *Verba* interpretationis, quod numquam fieri potest in quacumque *Scripturâ Ideographicâ* possibili : maxime si esset longa et prolixa, et qua plura obiecta physica et corporea, plura Dramata socialia, et Pragmatogrammata indicarentur, et exhiberentur. Nam haec ex parte saltem capientur et intelligentur illico, non dico a Viris sollertissimis, et praestantissimi ingenii, sed ab ipsis puerulis, et adolescentulis. Quamobrem, si quis posset Textum Graecum Tabulae Rosettanae, sive totum, sive ex parte per *Schemata Ideographica* secundum quodcumqne Systema repraesentare, esset plane impossibile, quin quivis nexum Ideographicum et relationem mutuam Verborum et Schematum levi labore statim pernosceret et caperet. Atqui contra dato Textu Graeco Tabulae Rosettanae, et Inscriptione Hieroglyphica respondente, impossibile est nexum *Ideographicum* deprehendere inter quatuor tantum verborum Lemma, et quatuor Polyschematum Syngramma. Atqui impossibile est minimum argumentum, minimum indicium relationis *Ideographicae* deprehendere inter *Schemata Obelisci Flaminii*, et *Verba* Graecae versionis tentatae ab Hermapione, et ab Ammiano Marcellino servatae. Ergo impossibile est *Scripturam* Aegyptiorum *Microschematicam* esse naturâ suâ *Ideographicam*, ne *Systematicam* quidem. Vid. Lib. I. Sect. II. Cap. 7. Pag. 44. 45. 46.

## Art. III.

*Qui factum sit, ut plures ex Veteribus Scriptoribus, qui Hieroglyphica attigerunt, ad Ideographicas relationes et congruentias fere semper confugerint.*

1. Id factum primo, quod constitutâ a Sacerdotibus Aegyptiis Scripturâ Sacrâ, Theologicâ, Divinâ, qua omnia mysteria Religionis suae conderentur, qua formae, et figurae Deorum mysticae exhiberentur, vera persuasione et sincero praeiudicio potuerunt sibi persuadere Sacerdotes huiusmodi, quod Agalmatibus, Emblematibus, et Symbolis suis, quibus ipsi Dii auctores et rectores Naturae universae significarentur, leges et ordo Naturae deberent congruere, et adeo nexus deberet intercedere inter illas formas et Schemata, atque Ideas et cogitationes ab illis significatas. Quamobrem ad captandum hunc nexum, sive potius ad adponendum, quia plerumque non erat, vel erat adversus et absurdus, plurimam operam impendere debuerunt: et adeo tradere Graecis, Latinisque omnes *Vultures* esse faeminas, omnes *Scarabaeos* mares, *Feles* ore parere, et alia huiusmodi plurima physica monstra, et absurditates Ideographicas, quae boni Graeci Latinique collegerunt, et retulerunt.

2. Factum id secundo, quia arcanâ et incommunicabili Scripturâ Hieroglyphicâ ob Crypticismum Theologicum, et Casticismum Civilem, ne viderentur absque ulla ratione et fundamento Symbola sua constituisse, utque aliquem rationis et argumenti fucum quaerentibus et interrogantibus facerent, quum interpretationes Lexeographicae pe-

nitissimo arcano essent celandae, una via, una ratio erat reliqua, confugere scilicet ad congruentias *Ideographicas*, etsi plerumque, ut fieri necesse erat, tenues tantum, obscuras, futiles, ridiculas, absurdas proferre valerent.

3. Factum id tertio, quod Graeci, Latinique levem tantum et tenuem, non magnam, et praestantem operam in Scientia Hieroglyphica perdiscenda, et enarranda posuerunt, omnesque fere Religioso pavore correpti, et Crypticismum illum pertinaciter et mordicus servare cupientes, pauca nec magna de natura Hieroglyphicorum retulerunt, contenti saepius ineptias *Ideographicas* Sacerdotum retulisse.

## CAPUT II.

### *Scripturam Aegyptiorum Microschematicam non esse Alphabeticam ex intimis utriusque Scripturae characteribus primum evincitur.*

1. *Scripturam Hieroglyphicam* Aegyptiorum, cuius pars potior est *Microschematica*, plures ex veteribus Scriptoribus dixerunt *Symbolicam, Allegoricam*, *Aenigmaticam*. Atqui haec epitheta absurda sunt, quoad *Scripturam Alphabeticam* quamcumque.

2. *Scripturam Aegyptiam* esse incredibili modo arduam, abstrusam, Crypticam tum Veterum plurimorum testimonio, tum tot irritorum conatuum fide, tum analysi ipsa Stichorum magis profecto certum est, quam ipsi vellemus. Atqui nulla *Scriptura Alphabetica* esse potest vere ardua et abstrusa. Potest quidem fieri malitia et dolo Scri-

ptura Alphabetica satis aspera et implexa, ut est Indica Brachmanorum, utque data opera adnotavimus Sect. VI. Libr.I. Cap.5. p. 99. et 100. Sed nec dici potest vere abstrusa et Cryptica. Nam sufficiunt aliquot dies, ut dato Alphabeto, Grammatica, Lexico, et libro Classico, quis possit inde nonnulla tentare et decerpere, quod in vero Crypticismo fieri nec deberet, nec posset.

3. *Scriptura Microschematica* Aegyptiorum est prorsus intractabilis per quodcumque Alphabetum rationale viginti circiter vel triginta Typorum, nec quarumcumque vocum superpositione integras et rectas eas reddit, et ostendit. Et si Alphabeto centum, vel centum et quinquaginta typorum superpositionem aliquot vocum recipere videtur, hae voces paucissimae ad opus et necessitatem sunt, et ita mulcatae et corruptae ex superpositione exsurgunt, ut vix agnoscantur. Tum Alphabeta ipsa homophonica et polytypica sunt prorsus irrationalia et absurda, ut Libr.I. Sect.VI. Cap. 2. et 3. pag. 93. 95. demonstratum est.

4. *Scriptura Microschematica* Aegyptiorum constat ducentis fere Schematibus Radicalibus, et fundamentalibus, sexcentis vero circiter determinantibus et definientibus. Atqui Alphabetum, quod similibus Typis constet, est absurdum, et condi non potest.

5. Schemata *Scripturae Hieroglyphicae* vel sunt Zooschematica, adeoque difficilis et asperae descriptionis, vel sunt Mathematica aut Physiomathematica, et propterea facilis saepe et planae formationis: atqui utraque haec in eadem Scripturâ Alphabeticâ ut invenirentur numquam fieri potuit. Nam vel Auctor Alphabeti seligere voluit *Zooschemata* ad magnificentiam et pulcritudinem,

et tum omnes literae fuissent Zooschematicae, non tenuis pars tantum: vel aequum existimasset uti figuris planis et facilibus, et tum omnino Zooschemata reiecisset. *Alphabeta* porro *Onomatoschematica* et *Polytypica*, sive *Homophonica* esse impossibilia demonstravimus Libr.I. Sect. VI.Cap. 3.

6. In *Scriptura Microschematica* Aegyptiorum plurima *Schemata* frequentissime repetuntur et immediate bis, ter, et quandoque quater. Atqui ista repetitio in quacumque *Scripturá Alphabeticá* est impossibilis. Nam nulla fuit vel est humana Lingua, quae constitit vel constat plurimis vocibus, in quibus bis, ter, quater litera eadem immediate repetantur. Et profecto id tanti est, ut si unum hoc Criterium naturae suae in *Scripturá Hieroglyphicá* extaret, omnino satis esset, ut quodvis *Alphabetum* ab ea penitus excluderetur.

## CAPUT III.

## *Scripturam Hieroglyphicam Aegyptiorum non esse Alphabeticam ex unanimi veterum Scriptorum consensu certissimum est.*

### ART. I.

*Indicantur Scriptores Gente vel Stilo Latini, qui sive expresse et manifestis verbis, sive per inductionem et illationem usum Scripturae Alphabeticae cuiuscumque naturae a Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis reiecerunt.*

1. Annaeus Lucanus Libr.III. Phars. v.222. etc.
2. Plinius Secundus Histor. Natur. Lib.XXXVI. cap. 7.

3. Cornelius Tacitus Annal. Libr. II. cap. 60. et Libr. XI. cap. 14.

4. Lucius Apuleius Metamorph. Libr. XI. p. 231.

5. Ammianus Marcellinus Histor. Libr. XVII. pag. 109.

6. Rufinus Toranius Libr. II. Histor. Eccles. cap. 29.

7. Servius Honoratus ad Aeneid. III. v. 444.

8. Claudius Claudianus in Rufin. Libr. I. v. 448.

9. Aurelius Macrobius Saturn. 1. Cap. 19. et cap. 21.

10. Martianus Capella de Nupt. Philolog. Libr. I. Pag. 15.

11. Aurelius Cassiodorus Variar. Libr. III. Pag. 109. etc. etc.

## Art. II.

*Indicantur Scriptores Gente vel Stilo Graeci, qui idem plenius, et disertius tradiderunt.*

1. Diodorus Siculus Libr. III. Biblioth. c. 4. pag. 126. Wess.

2. Philo Judaeus Alexandrinus de vita Mosis pag. 606.

3. Artapanus Judaeus Alexandrinus apud Eusebium Praep. Evang. Libr. IX. Cap. 8. p. 432.

4. Antonius Diogenes apud Porphyrium de Vita Pythagorae p. 8.

5. Plutarchus Chaeronensis de Iside et Osirid. p. 355. Et Symposii Lib. IV. pag. 670. etc.

6. Lucianus Samosatensis in Hermotimo §. 44.

7. Justinus Martyr. Apolog. 11. pag. 55.

8. Clemens Alexandrinus Strom. V. pag. 556.

9. Plotinus Aegyptius Ennead. V. Libr. 8. pag. 547.

10. Porphyrius Phoenix de Abst. Libr. IV. p.373. 375. et de Vita Pythag. p.8.

11. Iamblichus Syrus de Myster. Sect. VII. Cap.1. et 2.

12. Eusebius Caesariensis Praep. Evang. Lib.I. Cap.10. et Libr.III. cap.11. 12. pag.115. 117. 126.

13. Sozomenus Cappadox Histor. Eccles. Lib. VII. cap.15. pag.426.

14. Cyrillus Alexandrinus in Julian. lib.IX. p.300.

15. Horus Apollo Aegyptius in Hieroglyphicis.

16. Cosmas Alexandrinus in Cosmograph. Collect. Montfauc. Tom. 11. pag. 161.

17. Damascius Syrus apud Photium Bibliothec. P.1047.

18. Eustathius Thessalonicensis ad Iliad. VI. v. 168.

19. Quibus addi etiam potest Pseudo-Asclepius Aegyptius ab Apuleio Latine versus Pag. 148. etc. etc.

## A R T. III.

*Ibis Litera apud Plutarchum Sympos. IX. 2. et 3. in hac quaestione nostra est nihili facienda.*

1. Nam ex aliis locis eiusdem Viri eruditissimi, et ex aliis pluribus Aeliani, Clementis Alexandrini, et aliorum constat *Ibidem* Sacerdotibus Aegyptiis non literulam Alphabeticam, sed *Hieroglyphicum* summae et profundissimae potestatis extitisse. Inter alia haec Clemens Alexandrinus Strom: V. p.567. αριθμου γαρ, επινοιας, και μετρου μαλιςα των ζωων ιβις αρχην παρεχεσθαι τοις Αιγυπτιοις δοκει: De qua re et nos egimus in *Hieroglyph. Select.* Sect. III. num. 10. p.58. et 59. Et Sect. 1. n. 24. p.19.

2. Praeterea *Ibis* in Monumentis *Hieroglyphicis* admodum raro cernitur, et ubi apparet, vel triplicatus apparet, vel iis symbolis et insignibus ornatus et auctus, ut dubitari non possit, quin ad profundas et graves cogitationes significandas adhibeatur. *Ibis* ergo ne ex hypothesi quidem haberi potest *Litera Alphabetica* in Monumentis Hieroglyphicis. Ex quo factum est ut recentiores Alphabetonomi, ut ut literarum avidissimi quaesitores, Ibidem ex suo Alphabeto penitus eiecerint. Sive error igitur sive sapientia Plutarchi in illis Quaestionibus sit quaerenda, in hac nostra nihil ad nos illa Ibis sive Schematica sive Sematica, nec quae de ea Kircherus in Obelisc. Pamphil. et Oedip. Jablonskius in Pantheo Aeg. Georgius in Fragm. Coptic. Evang. S.Joh. disseruerunt, facere possunt.

## A r t. IV.

*Scripturam Alphabeticam in Monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum Clemens Alexandrinus Strom. V. p. 567. nequaquam agnovit.*

Hoc in loco omnium primum Clemens universam *Scripturam Hieroglyphicam* in duas veluti partes, sive potius species tribuit, quarum primam appellat κυριολογικην δια των πρωτων ϛοιχειων; alteram vero *Symbolicam*, et si vis *Tropicam*, *Allegoricam*, *Aenigmaticam*. Ex hac secunda sive parte sive specie *Scripturae Hieroglyphicae* ita clare et manifeste exclusit *Literas Alphabeticas*, ut nemo adhuc, quem sciverim, in ea illas quaesierit. At quum Clemens de prima specie agens adhibuisset vocem polydynamicam ϛοιχειον, qua aliquando solent etiam *Literae Alphabeticae* significari, iam a Saeculo XVII. Stephanus Morinus

de Lingua primaeva, et deinceps Saeculo XVIII. Angelus Bandinius de Obelisco Augusti, et Georgius Zoega de Obeliscis; et Saeculo hoc XIX. nuperrime ingens Cohors Doctorum Virorum quasi agmine facto de *Literis Alphabeticis* illa verba interpretari maluerunt. At omnes, meo iudicio, perperam et iniuriâ.

1. Primo, quia nulla *Scriptura Alphabetica* cuiuscumque formae potest appellari κυριολογικη. Impossibile enim est *literis alphabeticis* sive verba, sive ideas humanas proprie et κυϱιως exhiberi. Adeoque nefas est Patri doctissimo tantam ineptiam adscribere. Et eo magis quod ista vis et potestas κυριολογικη *primis* quidem non *secundis* literis tribuatur: quae gravior absurditas. Qui vero vocem κυριολογικη sumunt de *sermone proprio* et non metaphorico, qui verbis subsit per illas primas literas, et non secundas descriptus, gravius etiam, si fieri potest, peccant. Nam Clemens agit de *Scripturâ*, de figuris, de typis, et formis, quae describuntur, quae expinguntur, non de verbis et vocibus cuiuscumque Linguae. Tum vero, quum literis iisdem voces propriae et metaphoricae scribantur, absurdum inde colligitur, nempe per primas literas scribi sermones proprios, per secundas allegoricos et metaphoricos.

2. Si πρωτα ςοιχεια sunt literae primae Aegyptiorum, quae cedo secundae? Si omnium voce πρωτος et unus Hermes inventor γραμματων praedicatur, quis secundarum literarum dicendus est Auctor, et eae quae sunt, ubi sunt, quo testimonio probantur? Et si Scriptura quae ex primis exsurgit dicitur Κυριολογικη, quomodo cedo dicetur, quae exsurget ex secundis? Si igitur ex his unae absurditates possunt colligi, πρωτα ςοιχεια Clemen-

tis Alexandrini numquam erunt literae Alphabeticae Aegyptiorum.

3. Si πρωτα ςοιχεια sunt *literae* Graecorum vetustiores et Cadmeae, quia Scriptura facta δια των πρωτων ςοιχειων est Scriptura quae exsurgit ex adgregatione illorum elementorum, utique pars *Scripturae Hieroglyphicae* ex ipsis literis Graecis facta dicenda esset.

4. Qui vero putant πρωτά ςοιχεια Clementis esse literas quasdam insigniores, communes Generi humano, vel pluribus Populis magis notas et receptas, ut XVI circiter Graecorum, Etruscorum, Latinorum, Celtiberorum, Scandinavorum, etiam errant. 1. Quia vox πρωτος hac potestate sumi nequit 2. Quia Alphabetum XVI. literarum est satis commodum, et ubi gravissima a Clemente reticentur, additio paucarum literarum minime necessariarum haud quaquam peculiari voce potuit indicari 3. Quia ineptum est appellari *Cyriologicum Alphabetum* huiusmodi 4. Et etiam ineptius putare agentem de *literis* Aegyptiis confugisse ad nescio quas *literas* communes et praecipuas, ignotas vel incertas, quas nemo Veterum definivit, vel potuit definire; 5. Et quia prorsus exploratum habendum est fuisse Aegyptiis plusquam XX. literas tum prolatas tum scriptas, ut dicemus Sect. III. Cap. IV. Art. 6.

5. Qui tandem tenent πρωτα ςοιχεια Clementis esse nescio quas *literas*, et schemata *polydynamica*; qui nempe putant Aegyptios ex. gr. constituisse *Oculum*, ut signum A. et cuiuscumque Vocalis: *Arietem*, ut signum B. F. P. V. *Catinum*, ut signum C. G. K. *Manum* ut signum D. TH. T. *Leonem* ut signum L. R. longe gravius errant. 1. Quia voci πρωτος huiusmodi po-

testas esse nequit 2. Quia absurdum est appellare *Cyriologicam*, propriam, et quasi univocam Scripturam intrinsece ambiguam et aequivocam. 3. Quia huiusmodi Alphabeta sunt impossibilia, ut adnotavimus Libr. I. pag. 93. 94. 96. 97. et alibi. Et si Auctores huius opinionis arbitrantur veteribus Gentibus, adeoque Aegyptiis, ϛοιχεια, sive literas pronuntiatas extitisse tantum A. B. C. D. L. etc. et minime F. P. V. minime G. K. Q.: minime TH. T. minime R. etc. invicte refelluntur ab Historia pragmatica et vera omnium Alphabetorum veterum, et singillatim Aegyptii, ex testimoniis certissimis pronuntiationis et Alphabetorum oralium plurimarum Gentium recentiorum, et ab ordine et necessitate Humanae naturae, cuius iugi et perenni impulsu et actione ad minimum XX, vel XXX. XL. soni, et ϛοιχεια a Gentibus quibuscumque, etiam et maxime barbaris, proferuntur, ut in cit. Locis iam animadvertimus, et Sect. IV. Lib. III. iterum et pluribus animadvertemus.

5. Cur porro tantâ pertinaciâ in ϛοιχειοις vim et potestatem Literarum scriptarum quaeremus? Atqui ex praestantissimorum Grammaticorum et Philosophorum auctoritate ϛοιχειον est *elementum pronuntiationis* humanae non signum et sema impressum et inscriptum, est litera ore prolata, non descripta et tradita subiecto durabili. Atqui Clemens Alexandrinus eo in loco agit de Schematibus, signis, figuris, de formis scriptis, haud quaquam de literis pronuntiationis, minime de ϛοιχειοις. Ergo apud Clementem Alexandrinum virum longe doctissimum et accuratissimum πρωτα ϛοιχεια esse non poterunt primae Literae Alphabeticae scriptae.

6. Et qua, obsecro, fronte, errorem gravem tan-

to Viro imputabimus, si insuper ϛοιχεια potestate magis probata et recepta sunt figurae, formae, μορφωματα, sive corporum et obiectorum visibilium, sive etiam invisibilium et intelligibilium? Praeterea si sunt ϛοιχεια, et τα πρωτα ϛοιχεια *Metaphysicis*, Ideae nempe et *Formae* rerum *Archetypae*, et primordiales. 3. Si sunt *Physicis*, quibus sunt corporum et substantiarum visibilium *Elementa*, 4. Si sunt *Geometris*, et quidem praestantissima ϛοιχεια: 5. Si sunt *Astronomis*, et ita frequenter, ita solemniter, ut plurima Veterum loca de Coelestibus ϛοιχειοις sint intelligenda. 6. Si sunt *Theologis*, quibus aliquando ϛοιχεια sunt Potestates, et Spiritus, et Vires Mundi Cosmocraticae ϛοιχεια του Κοσμου: 7. Si sunt denique omnibus Disciplinis, omnibus Scientiis sua ϛοιχεια, sua πρωτα, μεγιϛα, ηγεμονικα στοιχεια, ut Isocrates Orat. ad Nicocl. cap. 31. et Artemidorus Oneirocr. lib. IV. cap. 3. p. 203. appellant: Quidni, obsecro, ex his potius potestatibus et significationibus erit potestas et significatio vocis apud Clementem definienda? Quamobrem si omnibus Scientiis, si omnibus Disciplinis sunt sua πρωτα, και ηγεμονικα ϛοιχεια, et Hieroglyphice ex praestantioribus Disciplinis est habenda, quidni *Scientiae Hieroglyphicae* erunt sua πρωτα ϛοιχεια? Et si ϛοιχεια sunt μορφωματα, figurae, schemata, formae; et μορφωματα, figurae, schemata Scripturam Hieroglyphicam efficiunt: Quidni praecipua Schemata, fundamentales figurae, primitiva et nobiliora μορφωματα, quibus tota Scriptura veluti inniti et incumbere videatur sunt eius πρωτα ϛοιχεια, ut reliqua Schemata et minores Figurae iure dici possint δευτερα ϛοιχεια?

7. Quum igitur absurdum sit interpretari illa πρωτα ϛοιχεια pro *Literis Alphabeticis*, et aptum

contra toti Clementis proposito et prorsus congruum interpretari pro Elementis *Scripturae Hieroglyphicae*, pro *Schematibus* fundamentalibus, substantialibus, praecipuis, quibus reliqua innituntur, palam est, Clementem Alexandrinum quodvis *Alphabetum* a Monumentis *Hieroglyphicis* exclusisse, et reiecisse.

## CAPUT IV.

*In Scriptura Aegyptiorum Hieroglyphica nullum Alphabetum fuisse adhibitum ex pleniore analysi verborum S. Clementis Alexandrini* Κυριολογικη δια των πρωτων ςοιχειων *prolixius demonstratur.*

### Art. I.

*In Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis duo genera Scripturae Schematicae sive Hieroglyphicae adhibita sunt.*

Scilicet *Scriptura Megaloschematica*, *Dramatica*, *synthetica*, *oligographica*, et *Scriptura Microschematica*, *analytica*, *continua*, et *polygraphica*: quemadmodum superius Sect.I. Cap.I. pag. 101. ad 104. ostendimus.

### Art. II.

*Scriptura Megaloschematica et Microschematica, Dramatica et Analytica intima sua compositione et natura invicem discrepant.*

1. Primo, quia *Scriptura Megaloschematica* habet tantum *Hiero-Emblemata*, et figuras Deo-

rum, Regum, et Sacerdotum: *Microschematica* vero ceteras omnes formas, figuras, schemata.

2. Secundo, quia *Megaloschematica* habet Dramata et Scenas Personarum Sacrarum, eorum occursus, et societates; *Microschematica* vero habet eorum verba, lemmata, sententias, sermones, et, si vis, de Deorum natura, et characteribus epigrammata, et inscriptiones. *Scriptura Megaloschematica* est quasi *Cyriographia Theologica* et divina, ut paullo post dicemus quia ipsa *κυρια* Deorum Agalmata repraesentat; *Microschematica* vero est Oratoria, disserens de natura, characteribus, et factis Deorum, et Regum.

3. Tertio, quia *Scriptura Megaloschematica*, etsi quoad ornatus, symbola, et intimam formationem Agalmatum Theologicorum sit cryptica et arcana, plura habet *Ideographica* imitata a Dramatibus humanis et Scenis socialibus: at *Scriptura Microschematica* fere tota Cryptica est, abstrusa, et per *Polyschemata* systematice collecta et composita procedit. Alia vide super Sect. I. Cap. I. pag. 102. et seq. et Sect. II. Cap. 1. pag. 131.

### A r t. III.

*Nemo esse potuit, qui ubi dederit aliquam operam Monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum, duplicem hanc speciem Scripturae Schematicae in eis non animadverterit et discreverit.*

Nam in omnibus *Monumentis Hieroglyphicis*, etsi varia quantitate et proportione utraque Scriptura occurrit, et tot sunt characteres, quibus mutuo discernuntur, ut ipsa mediocria ingenia, ubi attendant, necessario eis percellantur. Quamobrem

quum dubitari non possit, quin Clemens Alexandrinus acris et subacti ingenii vir *Scripturae* Aegyptiorum *Hieroglyphicae* aliquam insignem operam dederit, dubitari adeo non potest, quin duplicem illam Scripturae speciem sibi adnotaverit et discreverit.

A r t. IV.

*Megaloschemata Dramatica Monumentorum Hieroglyphicorum sunt potissimum Theogrammata, Hiero-Emblemata, Icones Regum, et figurae Sacerdotum.*

Patet id ex eorum forma, ornatibus, symbolis, emblematibus, ut animadvertimus etiam supra Sect. I. Cap. I. pag. 102. 103.

A r t. V.

*Megaloschemata Dramatica sunt efformata, saltem quoad magnam partem, ex propriis figuris et formis κυριοις obiectorum externorum.*

Nam sunt ipsae figurae Regum, ipsae formae Sacerdotum, qui petunt, orant, venerantur, colloquuntur, etsi Symbolis divinis et allegoricis plerumque auctae.

A r t. VI.

*Theogrammata et Iconogrammata Sacra cuiusvis Gentis possunt et debent appellari Cyriogrammata et Cyrioschemata Theologica.*

Nam si Nomina et Epitheta nobis plerumque temere et parum apte imposita κυρια dicimus; si proprias vestes, propriam supellectilem, quibus brevi utimur: cur non dicentur κυριαι Icones, propria

Simulacra, quae certis Diis, certis ritibus consecrantur, certis rationibus tribuuntur, et summa constantia, et longa saeculorum serie ut propria addicuntur et praedicantur? Quamobrem *Scriptura*, quae constat ex Simulacris et Formis certis Diis consecratis, et addictis, omni iure dicetur *Cyriologica* et *Cyriographica*. Non enim una existit *Cyriographia Physica*, et *Cyriologia Physiographica*, sed est etiam *Cyriographia Symbolica* tum *Politica*, tum *Theologica*, de quibus egimus Libro I. Sect.II. Cap.4. et 5. pag.33. 35. etc.

## ART. VII.

*Scriptura Megaloschematica et Dramatica Aegyptiorum dici potest et debet Cyrioschematica, et Cyriologica.*

Nam si constat ex Figuris Deorum κυριοις, ex formis Regum κυριοις, ex Iconibus Sacerdotum κυριοις, utique dici potest et debet *Cyriologica* κυριολογικη, et *Cyriographica*.

## ART. VIII.

*Megaloschemata Dramatica, sive Cyrioschemata Sacra Aegyptiorum sunt vera Protoschemata Scripturae Hieroglyphicae.*

1. Primo ratione naturae suae Sacrae et praestantioris, quia exhibent formas Deorum magnorum, Schemata Regum, formas Sacerdotum, quibus nil praestantius, nil prius, nil maius esse potuit apud Aegyptios, adeoque πρωτα μορφωματα, πρωτα ϛοιχεια in *Scriptura Hieroglyphica*.

2. Secundo ratione temporis et aetatis. Nam omnium primum invenienda fuerunt *Agalmata* Deorum, omnium primum *Icones* exornandae,

ante omnia *Emblemata* concinnanda, et *Dramata* sacra, Scenae religiosae componendae. Πρωτον scilicet parandae fuerunt Primae Formae, πρωτα ϛοιχεια. Hinc et post plures aetates*, imo plura saecula, fieri potuit gradus ad *Scripturam Microschematicam*, analyticam, et oratoriam, nempe ad δευτερα ϛοιχεια, longe prioribus difficiliora et abstrusiora.

3. Tertio ratione ipsius Grammaticae compositionis in Scriptura. Nam quum *Megaloschemata Dramatica*, sint *Schemata* Deorum, Regum, Sacerdotum, sint *Schemata* Personarum, Substantiarum, Entium, quae facere, agere, vel pati aliqua inducantur: utique sunt plerumque subiectum, et materia, et substantia, super qua *Scriptura Sticherea* et *Polygraphica* exerceatur et versetur, et quasi innitatur et constituatur. Et propterea huius *Scripturae Dramaticae Schemata* ϛοιχεια dicenda sunt πρωτα.

## A r t. IX:

***Megaloschemata Dramatica sive Protoschemata Scripturae Hieroglyphicae dici possunt et debent* τα πρωτα γραμματα.**

Nam si *Hieroglyphica Aegyptia* a Scriptoribus omnibus Graecis, Latinis, Aegyptiis, Syris, Phoenicibus, Palaestinis, qui Graece vel Latine scripserunt appellata sunt quasi recepto et solemni voce γραμματα, vel *literae*; quum demonstratum sit *Megaloschemata Dramatica* esse *Protoschemata Scripturae Hieroglyphicae*, demonstratum quoque erit esse πρωτα γραμματά *Scripturae* eiusdem *Hieroglyphicae*.

## Art. X.

*Megaloschemata Dramatica Aegyptiorum possunt et debent dici τα πρωτα ϛοιχεια:*

Nam si iure dici possunt τὰ πρωτὰ γραμματα, quum γραμματα plerumque sint *literae alphabeticae* sematicae et informes, longe satius dicenda sunt τα πρωτα ϛοιχεια, si ϛοιχεια sunt μορφωματα, ut pluribus animadvertit etiam Salmasius de annis Climact. pag. 577; si sunt imagines, formae, et potissimum physicae et obiectivae, ut ex opportunissimo loco Artemidori Oneirocrit. Lib. I. Cap. 2. p. 6. colligimus. Ergo *Megaloschemata Dramatica* Aegyptiorum facta ex illustrioribus, praestantioribus, vetustioribus Figuris, Iconibus, Imaginibus Deorum, Regum, Sacerdotum erunt omnino τα πρωτα ϛοιχεια; atque adeo *Scriptura* huiusmodi necessario erit Κυριολογικη δια των πρωτων ϛοιχειων.

## Art. XI.

*Si Deorum Simulacra et Agalmata sacra a Taauto Phoenicio quasi solemni et peculiari voce dici potuerunt* ϛοιχεια, et πρωτα ϛοιχεια, *utique Simulacra et Agalmata parata a Taauto* sive *Thotho Aegyptio aequali, et simili ratione dici poterunt* ϛοιχεια, et πρωτα ϛοιχεια.

Eusebius Caesariensis ex Philone Byblio haec excerpit Libr. I. Praep. Evang. Cap. 10. p. 39. προ δε τουτων θεος Τααυτος μιμησαμενος τον ουρανον των θεων οψεις Κρονου τε, και Δαγωνος, και των λοιπων διετυπωσεν τους ἱερους των ϛοιχειων χαρακτηρας. *Ante haec Deus Taautus Coelum imitatus*

*Deorum vultus Saturni, Dagonis, et ceterorum expressit sacros elementorum characteres.* Et quamvis hîc ϛοιχεια referantur ad Stellas, ineptus esset qui cogitaret, *vultus, facies, formas* illorum Deorum simplicissimis typis Stellarum visibilibus, quae nec invicem discerni quidem nec distingui fere possint, fuisse expressas et significatas, sed omnino formis et figuris intelligibilibus quidem, sed zoomorphis, illis figuris, quas profunde Ovidius ipse Metam. I. v. 77. appellavit *formas Deorum*, et quae in Zodiacis Aegyptiis hactenus manent ex parte. Praeterea ipse Eusebius haec paullo post pag. 40. subdit: Ὁ δ'αυτος Φιλων παλιν περι των Φοινικων ϛοιχειων εκ των Σαγχουνιαθωνος μεταβαλων θεια όποια φησι των ἑρπυϛικων, και ιοβολων θηριων. *Ipse Philo iterum agens de Elementis Phoenicum, quae ex Libris Sanchuniathonis converterat, vide quae dicat de Serpentibus, et venenosis Animalibus.* Ex quibus duo sunt evidentia. Primum scilicet ϛοιχεια Φοινικια fuisse Eusebio *formas* et figuras *Deorum* Phoeniciorum: alterum has *formas* et figuras desumtas fuisse a Taauto ex *Serpentibus* aliisque *Animalibus*, scilicet εκ των ιδιων εικονων φυσικων, εκ των ϛοιχειων, ut Artemidorus Lib. I. c. 2. p. 6. appellabat. Tandem ex ipso Philone haec etiam exscribebat Eusebius pag. 36. απο Μισωρ Τααυτος, ὁς ἑυρε την των πρωτων ϛοιχειων γραφην. *A Misore Taautus, qui Scripturam primorum Elementorum invenit.* Nempe primas et originales formas et figuras Deorum, prima *Agalmata*, prima *Emblemata*, quae essent primum fundamentum cultus, prima basis Religionis, prima vera elementa totius Scripturae Sacrae, πρωτα ϛοιχεια. Et quia *Scriptura* ipsa facta est ex κυριοις

formis Animalium, et destinata consecrata, ut κυριας formas Deorum significaret, ideo fuit etiam Κυριολογικη. *Agalmata* igitur et Simulacra Deorum Aegyptiorum, quae efficiunt magna ex parte *Scripturam Megaloschematicam* et *Dramaticam*, dici recte possunt ςοιχεια, et τα πρωτα ςοιχεια.

### ART. XII.

*Secunda pars Scripturae Hieroglyphicae, quam Clemens Alexandrinus Symbolicam appellat, illa ipsa est secunda pars Scripturae Hieroglyphicae Monumentorum, quam nos Microschematicam et Polygraphicam appellavimus.*

Nam characteres et proprietates utriusque ipsae et eaedem sunt. Et si laudes atque elogia Regum Aegyptiorum *Scripturâ Symbolicâ* exprimi testatur Clemens, et nullâ aliâ Scripturâ exprimi potuerunt, nisi *Microschematica* et *polygraphica*, utique *Scriptura*, quam nos istis nominibus distinguimus, est ipsa *Symbolica* Clementis.

### ART. XIII.

*Ergo Scriptura Clementis* Κυριολογικη δια των πρωτων ςοιχειων *est Megaloschematica et Dramatica Monumentorum.*

1. In Monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum duae species *Scripturae Schematicae* et *Hieroglyphicae* sunt adhibitae; nempe *Megaloschematica*, et *Microschematica*; *Dramatica* et *Polygraphica*. 2. Clemens Alexandrinus duas aeque *Scripturae Hieroglyphicae* sive partes sive species agnovit, quarum primam dixit Κυριολογικην δια

των πρωτων ϛοιχειων, alteram *Symbolicam*, *Tropicam*, *Aenigmaticam*. 3. *Scriptura Megaloschematica* et *Dramatica* dici potest et debet Κυριολογικη δια των πρωτων ϛοιχειων. 4. *Scriptura Symbolica* Clementis sive secunda pars *Scripturae* suae *Hieroglyphicae* perfecte congruit cum secunda parte *Scripturae Hieroglyphicae* Monumentorum, sive cum *Scriptura Microschematica* et *Polygraphica*. 5. Ergo necessario prima pars *Scripturae* Clementis Κυριολογικη δια των πρωτων ϛοιχειων erit prima pars *Scripturae Hieroglyphicae* Monumentorum, sive *Megaloschematica* et *Dramatica*, summo iure, profundâ, legitimâ, propriâ singulorum verborum potestate a Viro incomparabili ita appellata.

## A R T. XIV.

*Praeter Clementem Alexandrinum Antonius Diogenes, et Porphyrius duplex Scripturae Hieroglyphicae genus Dramaticum nempe et Analyticum in Monumentis Aegyptiis agnoverunt.*

Porphyrius in vita Pythagorae ex Antonio Diogene de suo Philosopho haec retulit pag. 8. Γραμματων δε τρισσας διαφορας ( εξεμαθε Πυθαγορας ) επιϛολογραφικων τε, και ιερογλυφικων, και συμβολικων, των μεν κοινολογουμενων κατα μιμησιν, των δε αλληγορουμενων κατα τινας αινιγμους. *Triplex quidem Literarum genus addidicit Pythagoras, scilicet Epistolographicum, Hieroglyphicum, et Symbolicum, quorum illud per imitationem Dramata communia imitatur, hoc per allegorias et aenigmata animi sensus exprimit.* Plures docti Viri autumantes haec adversari sententiae

aliorum Scriptorum veterum Antonium et Porphyrium quasi ignaros *Scripturae Aegyptiorum* traduxerunt. Alii mitius de iis iudicantes locum gravissime corruptum sunt arbitrati. Vid. Zoeg. de Obeliscis p. 426. 427. At hi si cogitassent plura *verba*, quae ad difficiles et amplas Institutiones humanas spectant esse saepius ambiguae et aequivocae significationis, diuque incerta potestate fluctuare, ab utroque temerario iudicio sese temperassent.

2. Et primum Clemens Alexandrinus *Scripturam* Aegyptiorum *Vulgarem*, et quam alii iam dixerant *Demoticam*, alii *Enchoriam*, ipse Loc. cit. dixit *Epistolographicam*. Et quia in Regiminibus Casticis Plebs potissimum nullas vel fere nullas Epistolas scribit, et quia nullae Aegyptiorum Epistolae inventae adhuc sunt, ut plurimi contra Libelli Iuridici, ob nullam aliam rationem Scripturam huiusmodi potuit Clemens *Epistolographicam* appellare, nisi quod forma Literarum esset ita inconcinna, deformis, et praeceps, ut illa esse solet literarum, quae cursim et raptim in Epistolis describuntur. Quamobrem, quidni Antonius ob ipsam hanc rationem potuit appellare *Epistolographicam*, non *Vulgarem*, de qua nihil ad rem, sed *Hieraticam* et Sacerdotalem *Scripturam*, qua innumerae Papyri funebres fuerunt descriptae, et quam intererat nosse, et quae videretur constare literis cursivis, rudibus, abnormibus, tachygraphicis, ut illae fere sunt quae summa rapiditate et praecipitantia in Epistolis Amicorum describuntur? Quod si est, ut esse longe verisimile est, Antonius et Porphyrius a ceteris non dissentient.

3. Praeterea Clemens et alii cum eo omnem

*Scripturam Schematicam* Aegyptiorum appellant *Hieroglyphicam*, neque ideo culpandi sunt: at in hac Scriptura non omnia sunt Sacra, vel aeque Sacra. Et si prior *Scripturae Hieroglyphicae* species, si *Scriptura Megaloschematica* et *Dramatica* ipsis formis Deorum, ipsis Agalmatibus divinis constat, si quis hanc unam appellaret *Hieroglyphicam* culpari non posset, quia ea una revera constat ἱεροις simulacris, ἱεροις schematibus. *Scriptura* autem *Hieroglyphica* Antonio et Porphyrio illa est, quae adhibet *Schemata* κοινολογουμενα κατα μιμησιν; ea nempe, qua videntur agere, facere, quae homines agere videntur, orare, petere genuflectere, imperare, colloqui, complecti. Atqui haec ipsa expinguntur in *Scriptura* Aegyptiorum *Megaloschematicâ* et *Dramaticâ*. Ergo Antonius, et Porphyrius hanc Scripturam penitus noverunt, malueruntque singillatim dicere *Hieroglyphicam*, ob peculiarem ei, ut putabant, Sanctitatem, et quia haec vox ἱερογλυφικη fluctuabat adhuc quasi incertae potestatis, et ad libitum poterat adhuc trahi a Scriptoribus harum rerum ad sententiam suam.

5. Secunda vero pars Scripturae *Hieroglyphicae*, *Microschematica* nempe et *Polygraphica*, et quae Clementi est *Symbolica*, *Tropica*, *Aenigmatica* aeque est *Symbolica* et *Aenigmatica* Antonio, et Porphyrio, nec consensus etiam verborum potest esse plenior. Et si laudandus est Clemens, quod etiam *Cyrioschematum* meminerit, haud culpandus Antonius, qui neglexerit, quum essent paucissima numero, et naturae plane alius et diversae a Symbolicis, et ipse raptissime haec attingeret. Antonium ergo Diogenem, et adeo eius exscriptorem Porphyrium duplex genus Scripturae Hieroglyphicae novisse penitus, et commode distinxisse tenendum est.

## Art. XV.

*Consensus Scriptorum veterum de natura non Alphabetica Scripturae Hieroglyphicae Aegyptiorum est invictae prorsus et certissimae auctoritatis.*

1. Primo, quod Testes sint plurimi, et eo sane numero, quo de quacumque re vel maximi et summi momenti certissimam fidem facerent.

2. Secundo, quod sint plerique Viri docti, eruditi, sollertes, rerum Aegyptiarum et aliarum Gentium periti.

3. Tertio, quod sint diversae aetatis et temporis, nempe a saeculo Pro-Christiano, ad sextum Christianum.

4. Quarto, quod sint variarum Gentium, et Regionum: Aegyptii ipsi, Syri, Phoenices, Hebraei, Graeci, Latini, adeo ut ab una prorsus veritate eorum consensus potuerit procedere.

5. Quinto, quod agitur de re levi, facili, obvia, quam ex colloquiis cum Sacerdotibus Graeci et Romani, aliique poterant, immo debebant necessario et facile colligere, et Sacerdotes ipsi, salvo Crypticismo, poterant aperte fateri, imo debebant, ne a quaerentibus et ab interrogantibus frustra et diutissime obtunderentur.

6. Sexto, quod Graeci et Romani occupata armis Aegypto, impositisque Regibus Gentis suae non solum facillime potuerunt, sed omnino debuerunt scire elementa et fundamenta saltem prima *Scripturae Hieroglyphicae*. Quum enim ius publicarum *Inscriptionum* esset Regium, et supremae potestatis proprium, essetque insuper iusta suspicio, quod superbissimi Hierophantae odio do-

minationis externae vel diras et imprecationes ponerent, vel lemmata describerent, quibus tumultus et rebelliones excitarent, fieri necesse fuit, ut sub Lagidis et Caesaribus constituerentur Graeci, Latinive docti, probati, fidique, qui *Inscriptiones Sacerdotum*, si quas hi vellent ponere, examinarent et cognoscerent diligenter: adeoque necesse fuit ut saltem ab his vera sententia de natura Scripturae Hieroglyphicae emanaret ad vulgus, quae tradi poterat, quocumque Arcano obstante.

## A r t. XVI.

*Quî factum sit ut de Scriptura Aegyptiorum Hieroglyphica non multa, et copiose, sed pauca, et breviter Veteres tradiderint.*

1. Factum primo, quod mores Aegyptiorum, vita, habitus, instituta, ceremoniae nimis discreparent ab illis Graecorum et Latinorum. At quae nexu, analogia, similitudine carent, vel negliguntur, vel spernuntur, vel leviter adtinguntur.

2. Secundo, quia Scriptura esset abstrusissima, et incredibilis difficultatis, et quae nisi affectu animi vehementi, firmissima voluntatis pertinacia, et ope praeceptorum praesenti, diuturna, adsidua superari non possit. Atqui in animis et mente Graecorum et Romanorum numquam potuerunt cumulari vires effectrices et genitrices studii *Hieroglyphici* veri et profundi.

3. Tertio, quod Crypticismum suum Theologicum et arcanam suam sapientiam, scientiam suam *Hieroglyphicam* abditissimam Hierophantae Aegyptii usque ad perfectam suam extinctionem pertinacia inenarrabili servarunt, ut ex Porphyrio, Iamblicho, Iuliano, Proclo, Damascio, aliisque constat.

4. Quarto, quod Graeci et Romani etiamsi fuissent ipsis Hierophantis in Scientia *Hieroglyphica* doctiores, numquam de *Hieroglyphicis* nisi parce, leviter, et breviter disseruissent, ipsi iidem Arcano faventes, Religioso pavore perterriti: quod etiam animadvertimus paulo supra pag. 137. Et quomodo ab enarrandis Mysteriis suis patriis, et propriis suis Religionibus pertinacissime abstinuerunt, ne tectum domus eos obrueret, vel abyssus vivos deglutiret: utique ab attingendis arcanis Religionis Aegyptiae a Diris et Execrationibus teterrimis totius ordinis Sacerdotalis, et a furore Isidis iratissimae peiora et graviora timere debuerunt. Ne plenam igitur et perspicuam explicationem Scientiae *Hieroglyphicae* traderent nobis Graeci, Latinique omnia prorsus et vi insuperabili obstiterunt. Sed caveamus ne Viris praestantissimis simus iniquiores. Nam ex eorum Libris tantam lucem, tanta adiumenta ad definiendam naturam Scripturae Hieroglyphicae possumus colligere et adservare, quae ad quamcumque persuasionem rationalem inducendam sint satis et super, ut ipsi nos paullo post abunde, ut speramus prolatis certis pignoribus, probabimus.

## CAPUT V.

### *Scripturam Aegyptiorum Microschematicam esse Lexeographicam ex characteribus et proprietatibus suis intimis demonstratur.*

#### Art. I.

*Primo, quia nec Ideographica, nec Alphabetica haberi potest.*

Nam tres tantum scribendi modi nobis sunt in hac nostra Oeconomia, ut initio huius Operis animadvertimus. Vel enim *Ideas* et *cogitationes* nostras recta et immediate *Signis* adiungimus, vel integra *Verba*, vel *Elementa pronuntiationis* nostrae: Adeo ut si datâ *Scripturâ* aliquâ *Polygraphicâ* certum sit eam non esse *Ideographicam*, nec *Alphabeticam*, aeque certum sit habendam esse *Lexeographicam*. Atqui demonstratum est *Scripturam* Aegyptiorum *Microschematicam* et *Stichercam* nec *Ideographicam* esse, nec *Alphabeticam*: Ergo omnino habenda est *Lexeographica*.

#### Art. II.

*Secundo, quia ex Veterum Scriptorum consensu, ex ipsa intima Scripturae analysi, et ex elementorum omnium consideratione est cryptica, arcana, abstrusa, ardua.*

Omnes fere Scriptores veteres, qui *Hieroglyphica* attigerunt sive expresse, sive tacite, sive paucis, sive multis verbis *Scripturam* Aegyptio-

rum *Hieroglyphicam* arcanam, arduam, abstrusam dixerunt: Et Recentiores omnes a restitutis Literis ad nos non poterant evidentioribus argumentis illam longe difficillimam demonstrare, quam ipsis tentaminibus et coniectionibus suis. Atqui impossibile est *Scripturam Ideographicam* omnium oculis quotidie subiectam esse penitus abstrusam et inexplicabilem: Et si pleraque *Emblemata* Recentiorum *Ideographica* non intelliguntur, non fit, ut alibi etiam monuimus, quod *Scriptura* sit ardua et abstrusa, sed quod sit imperfecta, sed quod sit ambigua, obscura, indefinita, quod non sit vera *Scriptura*, sed lusus ineptus, et nullius solidae firmitatis. At *Scripturam Aegyptiam* a vetustissimis usque temporibus veram, propriam, certam, et definitae, ac necessariae sententiae Scripturam extitisse ex immani eius Copia, ex summa diuturnitate, ex Veterum Scriptorum auctoritate, ex interpretationibus pluribus ab ipsis Aegyptiis factis est plane evidens et exploratum.

2. Praeterea *Scriptura Alphabetica* est natura sua facilis plana et clara, et si malignitas Castica potest abstrusiorem reddere et difficiliorem, non potest tamen ita leges invertere et immutare, ut statim non agnoscantur, et deprehendantur, quod etiam superius animadvertimus pluribus Cap. II. pag. 137. 138.

3. Atqui contra possunt condi *Scripturae Lexeographicae* penitus arduae, abstrusae, difficiles; ut demonstratum est Lib. I. Sect. IV. Cap. 3. pag. 62. ad 65. et Sect. V. Cap. 4. pag. 84. ad 86. Ergo *Scriptura* Aegyptiorum *Microschematica* quia vere et omnino ardua et abstrusa, habenda est *Lexeographica*.

A r t. III.

*Tertio, quia Scriptura Hieroglyphica Aegyptiorum Microschematica illa ipsa Scriptura Lexeoschematica est, de qua nos prolixe disseruimus* Libr. I. Sect. IV. Cap. 3. 4. 5. pag. 62. ad 74: *et quam Crypticam atque abstrusam appellavimus.*

Nam omnes leges, omnes proprietates, omnes characteres utriusque Scripturae ipsae sunt et eaedem. Nosque secundum has ipsas Leges, hos ipsos Canones Tabulam Rosettanam *Hieroglyphicam* fere totam iam sumus interpretati, et Latina versione tentatam typis edidimus. Ergo *Scriptura Hieroglyphica* et *Microschematica* Aegyptiorum habenda est *Lexeoschematica*.

## CAPUT VI.

*Scripturam Hieroglyphicam Aegyptiorum esse Lexeoschematicam, eamque Crypticam et abstrusam, plures ex veteribus Scriptoribus distincte et perspicue tradiderunt.*

A r t. I.

*Annaeus Lucanus.*

Libro III. Pharsaliae v. 210. haec leguntur:
*Phoenices primi, famae si creditur, ausi*
*Mansuram rudibus vocem signare figuris:*
*Nondum flumineas Memphis contexere Biblos*
*Noverat; et saxis tantum volucresque feraeque,*
*Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*

*

Scilicet, Lucano Auctore, Phoenices fuerunt primi, qui sonos oris fugientes, elementa pronuntiationis humanae, ϛοιχεια, signis *manentibus*, literis duraturis, iisque *rudibus*, nempe amorphis, non *Schematicis* figere conati sunt. Ante eos Aegyptii *Linguas*, sive *sermones*, et *vocabula* Linguae suae Saxis per *Schemata* saepe *Zoomorpha Magico* sive arcano et *cryptico* modo insculpebant.

Lucano igitur *Hieroglyphica* Aegyptia non erant *Elementa Vocum*, et *Literae Alphabeticae*; non *Signa Idearum* et cogitationum directa; Sed omnino *Voces Linguae* certae *Magico* modo insculptae, erant nempe *Lexeoschemata Cryptica*.

## Art. II.

### *Cornelius Tacitus.*

Haec leguntur Annalium Libro XI. Capite 14. *At novas Literarum formas addidit, vulgavitque* Claudius. *At primi per figuras Animalium Aegyptii sensus mentis effingebant, et antiquissima monumenta Memoriae humanae impressa Saxis cernuntur: Et Literarum semet inventores perhibent. Inde Phoenices, quia mari praepollebant, intulisse Graeciae* etc. Tum Libr. II. Cap. 60. *Mox visit Germanicus veterum Thebarum magna vestigia, et manebant structis molibus Literae Aegyptiae primam opulentiam complexae: Iussusque e Senioribus Sacerdotum Sermonem Patrium interpretari, referebat habitasse quondam septingenta millia aetate militari.... Legebantur et indicta Gentibus tributa* etc.

Primum ergo tenebat Tacitus *Hieroglyphica Aegyptia* non esse literas Alphabeticas, quia diserte et distincte illa ab his secernit. Tum tenebat non esse *Ideoschemata*, quia *Ideoschemata* non *leguntur*, nec *sermonem patrium* servant: Et si superius dixit *per figuras animalium sensus mentis Aegyptios patefecisse*, verum dixit etiam de *Scripturâ Lexeoschematica*, quia in quacumque *Scriptura* semper fundamentale propositum nostrum et consilium est, animi sensus, et cogitationes mentis intimas manifestare et patefacere, sive mediate sive immediate. Tacitus ergo tenuit *Scripturam Hieroglyphicam* Aegyptiorum esse omnino *Lexeoschematicam*, quae nempe et proprie *legi* potest, et *patrius sermo* vere potest eâ contineri.

## A r t. III.

### *Lucius Apuleius.*

Libro XI. Metamorph. pag. 230 haec scribit: *Senex comissimus .... de opertis Adyti profert quosdam libros literis ignorabilibus praenotatos, partim figuris cuiuscemodi animalium, concepti sermonis compendiosa verba suggerentes, partim nodosis et in modum rotae tortuosis, capreolatimque condensis apicibus a curiosa profanorum lectione munitos.*

Agere autem hîc Apuleium etiam de *Scriptura Hieratica* palam est. In hac enim Signa revera sunt intorta et involuta, et capreolatim tortuosa. Et quum agatur de *Mysteriis* et rebus sacris, haec quidem Scriptura non Demotica et profana poterat adhiberi. Non fuisse autem Apuleio *Ideographicam* hanc *Scripturam* inde aperte colligitur, quod eius

signa appellet *Apices* sive *Literas*, quae vox de *Schematibus* vel *Sematibus Ideographicis* usurpari non potest: Tum affirmet esse *munitam a lectione profanorum*: Atqui *Signa Ideographica* nec *leguntur*, nec *muniri* ab aliorum intellectione possunt. Nec *Alphabeticam* fuisse Apuleio hanc *Scripturam Hieraticam* inde perspicuum est, quod eius *Signa* appellet *literas ignorabiles*, quum nullius humani *Alphabeti* Literae, quae paucarum horarum spatio saltem ex parte aliqua possunt addisci *ignorabiles* appellari queant: Nec *Scriptura* ulla *Alphabetica* est, quae possit *muniri* a *curiositate Lectorum*. Atqui contra Signa et Semata *Scripturae Lexeographicae* revera *leguntur*; et iure dici possunt *Literae*, ut dicetur pag. 176. post: Tum *signa Scripturae Lexeographicae* possunt esse *Cryptica* et *ignorabilia*, et ipsa *Scriptura* potest a quacumque *curiositate Lectorum muniri*. Ergo *Scriptura* de qua hîc agit Apuleius, fuit omnino *Lexeographica*. Atqui leges fundamentales Scripturae Hieraticae et Hieroglyphicae Aegyptiorum easdem esse animadvertemus Sect. IV. Cap. I. Ergo non tantum Scriptura Hieratica Aegyptiorum, sed etiam Hieroglyphica Lucio Apuleio habenda fuit omnino Lexeographica. Quin non de unâ Scriptura *Hieratica* loquutus est hîc Apuleius. Nam pars Librorum Mysticorum expressa potissimum erat *figuris quorumdam Animalium*; Atqui Scriptura *Hieratica* penitus caret *figuris* sive Schematibus claris animalium, nec servat nisi paucissima, obscura et tachygraphica; Contra vero et plura sunt et evidentia animalium Schemata in *Scriptura Hieroglyphica*: Ergo et de hac loquutus est Apuleius: Et quoniam *Schemata* illa Animalium, quae dicuntur

*Literae ignorabiles*, et per quae *concepti sermonis compendiosa verba suggeruntur*, nec *Ideographica* esse possunt, quia *Schemata Ideographica* non sunt *literae*, non sunt *ignorabilia*, non *suggerunt verba*, et *lemmata compendiosa:* nec *Alphabetica*, quia *Literae Alphabeticae* non sunt *ignorabiles*, nec *suggerunt verba compendiosa:* omnino dicenda sunt *Lexeographica*, quae iure dicuntur *Literae*, quae vera *verba* suppeditant, iure *ignorabilia*, et per quae possunt *suggeri verba compendiosa* Temurice concinnata, et *Lemmata* quaecumque. Igitur testimonio et auctoritate Lucii Apuleii Philosophi doctissimi, et in Mysteriis Aegyptiis initiati, *Scriptura Hieroglyphica* Aegyptiorum fuit *Lexeoschematica*, eaque *Cryptica* et abstrusa.

### Art. IV.

### *Ammianus Marcellinus.*

Historiarum Libro XVII. pag. 109. haec legimus: *Formarum autem innumeras notas, Hieroglyphicas appellatas, quas Obelisco undique videmus incisas initialis sapientiae vetus insignivit auctoritas. Volucrum enim ferarumque etiam alieni Mundi genera... promissa vel soluta Regum vota monstrabant. Non enim ut nunc Literarum numerus praestitutus et facilis exprimit quidquid humana mens concipere potest, ita prisci scriptitarunt Aegyptii, sed singulae literae singulis nominibus serviebant, et verbis nonnumquam significabant integros sensus.*

Ergo Ammianus Marcellinus exclusa prorsus quacumque *Scriptura Alphabetica*, et etiam *Ideographica*, unam *Lexeographicam*, eamque

*abstrusam* et *crypticam* in Monumentis *Hieroglyphicis* Aegyptiorum agnovit. Et quum affirmet unis quandoque *verbis* integras sententias Aegyptios condidisse, et id exsequi nisi per *Temuras* et *Homiophonias* impossibile sit, utique Ammianus veram et sinceram *Lexeoschematicam* constitutionem *Scripturae Hieroglyphicae* perspectam habuit. Et si in *Scripturâ Lexeoschematica* iure *Vultur* רחם RCM significat *Naturam*, sive *Mundanum Uterum* רחם RCM, ut animadvertimus ad nostra *Hieroglyphica Aegyptia* Sect. I. n. 7. pag. 6. 7. Et si *Rex*, qui moderatur, *regit* דבר DBR Populos *verbo* praecepto דבר DBR, rite significatur *Ape* דברה DBRE, ut apud Horum ab eadem *Ape* ipse *Populus* rectus, et qui facit iubentis *verbum* דבר DBR indicatur: Vid. *Hieroglyph. citat.* num. 41. pag. 30: utique Ammianus, qui haec exempla adducit et probat, habebat et probabat *Lexeoschematicam Scripturam Hieroglyphicam* veterum Aegyptiorum.

### A r t. V.

### *Rufinus Aquileiensis.*

Libro II. Hist. Eccles. cap. 29. P. 258. scribit: *Signum hoc nostrum Dominicae Crucis inter illas, quas dicunt ἱερατικὰς idest Sacerdotales literas habere Aegyptii dicuntur, velut unum ex ceteris literarum, quae apud ipsos sunt, elementis. Cuius literae sive vocabuli hanc esse asserunt interpretationem: Vita futura.*

Si ergo *Cruce ansata* significari *voces* et vocabula ex ipsorum Aegyptiorum traditione tenebat Rufinus, utique Rufinus, et traditionis Auctores *Scripturam Hieroglyphicam* Aegyptiorum habuerunt *Lexeoschematicam*.

## A r t. VI.

### *Servius Honoratus.*

Ad versum 444. Libri III. Aeneidos, quo Virgilius de Sibylla ait:

*Fata canit, foliisque notas, et nomina mandat.*

*Quaecumque in foliis descripsit carmina Virgo Digerit in numerum* etc. Haec adnotat: *Tribus modis futura praedicit, aut Voce, aut Scripto, aut Signis, idest quibusdam Notis, ut in Obelisco Romae videmus: vel ut alii dicunt Notis literarum, ut per unam literam significet aliquid.*

Quamobrem si *Scriptum* aut *Scriptura Alphabetica a Notis* sive *Schematibus Hieroglyphicis* discernitur, utique Servio *Scriptura Hieroglyphica* non fuit *Alphabetica*. Et si *Carmina* sunt quaecumque in *Foliis Virgo descripsit*, adeoque ipsae *Notae*, ut huiusmodi *Scriptura* non potuit esse *Ideographica*, ita habenda ea fuit omnino *Lexeographica.*

## A r t. VII.

### *Diodorus Siculus.*

Historicus hic laboriosissimus, qui diutius cum Sacerdotibus Aegyptiis est versatus, et qui de Hieroglyphicis datâ operâ Lib. III. Bibliothec. Cap. 4. pag. 176. Wess. disserere adgressus est inter cetera haec scribit: Ου γαρ εκ της των συλλαβων συνθεσεως η γραμματικη παρ᾽ αυτοις τον ὑποκειμενον λογον αποδιδωσιν, αλλα εξ εμφασεως των μεταγραφομενων, και μεταφορας μνημῃ συνηθλημενης. *Haud*

*enim ex syllabarum adpositione Grammatica Ars apud eos subiectum sermonem reddit, sed ex profunda potestate Schematum, quae ex aliis in alia sunt immutata, et ex metaphorá et tropo, quae memoriae vi summa difficultate sunt deducenda.* Adeoque quum Diodorus *Scripturam Hieroglyphicam* factam profiteatur non syllabarum adgregatione, et sermonem subiectum ex *emphasi Schematum* esse deducendum, quam aperte, quam longe quodcumque genus *Scripturae Alphabeticae* reiecerit nemo non videt. Et quum in *Scriptura Ideographica* esse non possit λογος ὑποκειμενος, et multo minus esse possint *Schemata* μεταγραφομενα, nec λογος μνημη συνηθλημενος, *Scripturam Ideographicam* fuisse ex *Hieroglyphicis* a Diodoro reiectam palam est. At contra *Scriptura Schematica*, cui sit λογος ὑποκειμενος, ipsa est *Scriptura Lexeoschematica.* Ergo *Scriptura* Aegyptiorum *Hieroglyphica* Diodoro fuit *Lexeoschematica*, eaque cryptica et abstrusa, et illa ipsa de qua egimus Lib. I. Sect. IV. Cap. 3. pag. 62. et sequ. Nam λογος ὑποκειμενος est deducendus ἐξ εμφασεως:Atqui *Emphasis* alicuius Vocis, vel *Schematis* est potestas quaedam et vis secreta, occulta, longe maior eâ, quae apparet, quae saepe fallat, illudat, aliud figura aliud re significans: quod ipsum accidit in *Scriptura Lexeoschematica* et *Cryptica.* Praeterea μεταγραφομενα ea dicuntur, quae quum essent aliquo modo antea scripta, vel scribenda, postea immutantur, et alia ac diversa inducuntur. Atqui in *Scriptura Crypticá* et abstrusa pleraque obiecta, quae sua propria figura, suo vero Schemate fuissent exhibenda, per figuras aliorum et diversorum obiectorum repraesentantur, et fiunt adeo μεταγραφομενα: Ergo ipsam hanc *Scri-*

*pturam* indicat Diodorus: Eoque manifestius indicat, quod frequentissimum significet usum tropi et metaphorae, quae alia esse non possunt in *Scriptura Lexeographica*, nisi *Temurae*, et *Homiophoniae*. Et quoniam Verba et *Lemmata*, quae subiecta sunt *Polyschematibus Lexeographicis* et *Crypticis*, non possunt deduci nisi summo labore, et industriâ, nisi quis centurias fere vocabulorum recitare illico pro opportunitate sciat, nisi praesenti ope, auxilio continuo felicis memoriae utatur; quoniam *voces* huiusmodi sint omnino μνημη συνηθλημεναι, certum est Diodorum perfecte novisse characteres *Scripturae Lexeoschematicae* et *Crypticae*, eosque *omnes Scripturae* Aegyptiorum *Hieroglyphicae* summo iure tribuisse.

## A r t. VIII.

### *Plotinus Aegyptius.*

Vir iste profundae et sollertis mentis Ennead. V. Libr. 8. pag. 547. haec de Hieroglyphicis scripsit. Δοκουσι δε μοι και οἱ Αιγυπτιων σοφοι, οἵτε ακριβει επιςημη λαβοντες, ειτε και συμφυτῳ, περι ὡν εβουλοντο δια σοφιας δεικνυναι· μη τυποις γραμματων διεξοδευουσι λογους και προτασεις· μη δε (τυποις) μιμουμενοις φωνας και προφορας αξιωματων κεχρησθαι· Αγαλματα δε γραψαντες, και ἑν ἑκαςον ἑκαςου πραγματος αγαλμα εκτυπωσαντες εν τοις ἱεροις την εκεινου διεξοδον εμφυναι. ὡς αρα τις και επιςημη, και σοφια ἑκαςον εςιν αγαλμα, και ὑποκειμενον, και αθροον: και ου διανοησις, ουδε βουλευσις. ὑςερον δε απ' αυτης αθροας ουσης ειδωλον εξειλιγμενον εν αλλῳ ηδη, και λεγων αυτο εν διεξοδῳ, και τας αιτιας δι' ἁς τουτο εξευρισκον· ὡς το καλως ὁυτως εχοντος του γεγενημενου θαυμασαι. *Videntur autem mihi Sapientes*

*Aegyptiorum, sive accurata scientia, sive naturali sagacitate, ubi voluerunt Sapientiam suam manifestare, non adhibere typos literarum, ut traderent sermones, et propositiones; nec uti typis imitantibus voces, et pronuntiationem axiomatum; sed describentes Agalmata, et in singulis agalmatibus singula factorum agalmata exprimentes, typis suis hanc viam tradendi sacra ingressi sunt. Sic profecto quaedam scientia et sapientia fit unumquodque Agalma, et quod eo subiectum est, et quod inde colligitur: neque est cogitatio quaedam, vel consilium. Postea vero ex ipsa scientia collecta et congregata Idolum evolutum in altero fit, et loquens id in transcursu et causas, per quas id invenerunt; ita ut pulcre se habentibus, quae facta sunt, admiratio subeat.*

2. Quam aperte et perspicue Plotinus a *Scriptura* Aegyptiorum *Hieroglyphica* Scripturam *Alphabeticam* excludat quisque videt, nec res commentario egere potest, quum scripserit μη τυποις γραμματων κεχρησθαι. Exclusisse pariter *Scripturam Ideographicam*, sive *Characteristicam*, sive *Systematicam* patet primo ex illis verbis: ου διανοησις, ουδε βουλευσις: Atqui *Scriptura Ideographica*, et *Characteristica* est tota per διανοησιν facta; *Systematica* vero per διανοησιν, et βουλευσιν. Secundo quia expingere vel insculpere ἑκαςα αγαλματα ἑκαςου γραγματος est *Ideographice* impossibile, et falsissimum, quoad monumenta Hieroglyphica, in quibus haud multa sunt, prae eorum vero numero, πραγματα insculpta.

3. Ergo Plotino esse non potuit nisi *Lexeoschematica Scriptura* Aegyptiorum *Hieroglyphica*. Hoc quidem in loco videtur Plotinus sin-

gillatim agere de *Scriptura Megaloschematica*, qua *Agalmata* sive *Simulacra* tum Humana, tum Belluina, tum Mixta variis Symbolis et Schematibus summo studio saepius ornata conspiciuntur; Sed quum *Syngrammata Scripturae Microschematicae* ex pluribus Symbolis et Schematibus concinnata, et quasi exornata possint aeque appellari *Agalmata*, *Scripturam Microschematicam* non fuisse exclusam certum est; eoque magis quod Plotinus meminerit λογους και προτασεις, quae nonnisi in Scriptura *Microschematica* poterunt inveniri: Et hinc primum patet Plotinum habuisse *Lexeoschematicam Scripturam* huiusmodi, quum λογοι et προτασεις nonnisi per *Lexeoschemata* possint haberi; et diligenter est animadvertendum, illa verba nempe μη δε ( τυποις ) μιμουμενοις φωνας, και προφορας αξιωματων non referri ad *Scripturam Lexeoschematicam*, sed *Alphabeticam*. Nam τυποι μιμουμενοι φωνας sunt literae *Alphabeticae*: et φωναι και προφοραι minime sunt verba, et vocabula Linguarum, sed sunt immo soni, et clamores, et literae oris humani in pronuntiatione vocabulorum: adeoque *Literis Alphabeticis*, non *Lexeoschematibus* exprimendae, et describendae.

4. Secundo in *Agalmatibus Lexeographicis*, ubi ea rite recteque sunt confecta, revera profunda επιςημη και σοφια clauditur, ut vix quis ab admiratione temperare se possit, ut ex pluribus locis Tabulae Hieroglyphicae Rosettanae iam a nobis tentatae arguere quis poterit. Et in his *Agalmatibus* distinguitur το υποκειμενον a τω αθροω.

5. Tertio in una *Scriptura Lexeographica* ἑκαςα αγαλματα ἑκαςου πραγματος possunt exprimi, et insculpi.

Plotinus ergo Aegyptius Lexeoschematicam ab-

strusam et profundam habuit *Scripturam* Aegyptiorum *Hieroglyphicam.*

## Art. IX.

### *Clemens Alexandrinus.*

*Scriptura* Aegyptiorum *Microschematica* et *Polygraphica*, ut demonstratum nuper est, Clementi Alexandrino dicitur *Symbolica*; eaque ex eius sententia constat *Schematibus Cyriologicis*, *Tropicis*, et *Aenigmaticis*. At quum *Schemata Cyriologica* non possint esse nisi paucissima, et *Aenigmatica* a *Tropicis* nec natura nec essentia discrepent, palam est fundum *Scripturae Hieroglyphicae* et *Symbolicae* fuisse Clementi *Scripturam Tropicam*, et *Allegoricam.* Quomodo autem Aegyptii efformassent *Hieroglyphica Tropica* his verbis manifestat Scriptor praestantissimus Strom. V. p. 556. Τροπικως δε, κατα οικειοτητα, μεταγοντες, και μετατιθεντες, τα δ' εξαλλαττοντες, τα δε πολλαχως μετασχηματιζοντες χαραττουσιν. *Tropice vero, secundum opportunitatem, Schemata transducentes, vel transferentes, vel immutantes, vel saepius in diversa Schemata permutantes scribunt.*

His autem verbis quamcumque *Scripturam Alphabeticam* excludi, nemo ita habes esse potest, qui statim non advertat et sentiat. Et qui aliquando characteres et proprietates *Scripturae Ideographicae* cuiuscumque generis animo est contemplatus, *Scripturam Ideographicam* cuiuscumque generis his verbis longissime amoveri statim percipiet et videbit. Contra vero si leges et conditiones *Scripturae Lexeoschematicae* et abstrusae in mentem revocaverit statim sentiet et noscet

has esse ipsas, quas Vir praestantissimus numeret et describat.

1. Nam omnium primum, qui *Lexeoschematice* scribere volunt, obtinent *Schemata* μεταγοντες data verba, scilicet inflectentes, adducentes in aliam et diversam significationem. Qui ex. gr. volunt scribere *Lexeoschematice verbum* דבר DBR directe et immediate numquam efficient, at si μεταγουσι in דברה DBRE, nempe in *Apem*, tum fieri potest, et recte; quia *Apem* דברה DBRE pro *verbo* דבר DBR pingent, sed profecto μεταγοντες.

2. Secundo loco *Schemata* opportuna obtinent μετατιθεντες data *Verba*, scilicet traiicientes Literas, quibus componuntur, per *Temuram* et *Metagrammatismum*, ut si volentes pingere *Verbum* דבר DBR, quod fieri nequit, pingant temuram eius nempe torquem רבד RBD.

3. Tertio modo Scriptores *Lexeoschematici* obtinent Schemata idonea εξαλλαττοντες, scilicet *Verba* data in alia et diversa per *Homiophoniam* immutantes, adeout pingant *Taurum* שור SCVR, ut significent *Cantum* שירה SCIRE, quia *Voces* sunt homiophonae.

4. Quarto tandem modo ubi *Voces* datae sunt Schematicae, et *Scriptura* est *Cryptica* et abstrusa, Schemata obtinent μετασχηματιζοντες, scilicet ipsa *Schemata* et figuras naturales *Vocum* in alias et diversissimas immutantes. Adeo ut si שכינה SCKINE, templum, domus esset expingenda, quod *Cyrioschemate* fieri recte posset, haudquaquam ipsâ domus, ipsa Templi figurâ utentur, sed pingent Gladium, ensem שכין SCKIN, quod haec vox sit illi homiophona.

Atqui Clemens Alexandrinus has ipsas *Voces* μεταγοντες, μετατιθεντες, εξαλλαττοντες, μετασχη-

μαтιζοντες, et ipsam hanc formationem *Scripturae* tribuit Scripturae *Tropicae* et *Heroglyphicae* Aegyptiorum. Ergo *Scriptura Tropica* et *Hieroglyphica* Aegyptiorum *Lexeoschematica* et *Cryptica* fuit summo viro Clementi Alexandrino.

## Art. X.

*Omnes Scriptores Graecos, qui Hieroglyphica Aegyptia appellarunt* γραμματα, *et omnes Latinos, qui dixerunt Literas, quique fuerunt plurimi, fecisse ea Lexeographica tenendum est.*

Nam numquam fieri potuit, ut *Schemata Ideographica* dici potuissent γραμματα et *Literae:* Nec elementa Alphabetica his vocibus significasse ipsimet illi Scriptores Graeci, Latinique clare et perspicue testati sunt. Ergo *Schemata* et Signa quibus *Verba* essent significata, appellarunt *Grammata* et *Literas*, tum quod revera *legerentur*, tum quod in Polyschematibus essent revera ut elementa lectionis, et quasi Literae et γραμματα verbi deducendi. Ergo Graecos iam ab Herodoti aetate, qui *Hieroglyphica Aegyptia* γραμματα appellavit, veram et genuinam naturam *Lexeographicam Scripturae Hieroglyphicae* Aegyptiorum novisse et tenuisse dicendum est.

## SECTIO III.

SCRIPTURAM AEGYPTIORUM MICROSCHEMATICAM, NE EX PARTE QUIDEM ESSE ALPHABETICAM, EX FALSITATE ALPHABETI HIEROGLYPHICI ANGLO-GALLICI NUPER PROPOSITI LUCULENTIUS DEMONSTRATUR.

### CAPUT I.

### *Alphabeto Hieroglyphico Anglo-Gallico nuper proposito desunt ipsa Data hypothetica et necessaria formationis.*

#### ART. I.

#### *Quae dicantur Data hypothetica et necessaria Alphabeti quaesiti.*

*Ignota* nisi per *Nota* fieri nota non possunt, et absque *Datis Quaesita* non obtinentur. *Alphabetum* igitur sive apte sive inepte *quaesitum* eget *Datis* suis, sine quibus impossibile est gigni et constitui. *Alphabeta ignota* et *quaesita* sive tota, sive ex parte, obtineri non possunt, nisi *Voces datae* sint certo numero, quae *superponantur* Synthesibus quibusdam *Literarum*, in quibus illae ipsae *Voces*, vel simillimae contineri putantur: Adeoque tot *Voces* in antecessum sunt dandae, puta quinque, decem, quindecim, viginti, quinquaginta, etc. quot omnino necessariae sunt ad plenam *Alphabeti* quaesiti formationem.

Si vero aliquis extractis per *Superpositionem* trium vel quatuor *Vocum* quindecim vel sexdecim Literis, Hieroglyphicis, ceteras obtinere velit ope *homophoniae Onomatoschematicae*, tum tot *Nomina Schematica* Linguae certae debet pro-

ferre et constituere, atque in antecessum dare, quot Literas *Schematicas* ipse vult proferre et statuere. Ideoque si quis vellet nobis suadere ex mille circiter *Schematibus Hieroglyphicis* Aegyptiorum esse fere centum quadraginta veras *Literas Alphabeticas* factas ex *Onomatoschematibus Copticis*, utique absoluta necessitate cogitur proferre ipsa centum quadraginta *Nomina Schematica* ex Lexico Coptico, quae sunt *Data* necessaria formationis, et sine quibus ipsa Literarum determinatio est plane impossibilis, ut plane impossibile est haberi effectum et productum absque Caussa producente, et efficiente.

## Art. II.

*Ut Alphabetum 140 circiter Schematum, quot sunt in Alphabeto Anglo-Gallico, per Superpositionem Verborum obtineatur, necesse est dari circiter 70 Vocabula certae Linguae.*

Nam quamvis *Superpositione* primarum *Vocum*, omnes vel fere omnes *Literae* adsumantur, et recipiantur, post quintam, sextam, decimam etc. *superpositionem* una tantum, et raro altera Litera poterit adsumi et excipi, ceteris ob identitatem absorptis. Et propterea longe probabile est in tam immani Typorum numero rationem Literarum 140 *productarum* ad voces *datas* et *productrices* exprimi posse per formulam $\frac{140}{2} = 70$. Et propterea si *Alphabetum Anglo-Gallicum* deductum est *Superpositione Vocum datarum*, ut omnino deductum fuisse paullo post ostendemus, septuaginta circiter *Voces* totidem vel *Ellipsibus*, vel *Syngrammatibus Hieroglyphicis* fuerunt superponendae, ut *Alphabetum* huiusmodi obtineretur.

## A r t. III.

*Nullo in loco Alphabetonomi selegerunt, produxerunt, et probarunt septuaginta illas Voces omnino necessarias ad generationem Alphabeti sui* 140 *Typorum.*

Auctores *Alphabeti Hieroglyphici* de tribus tantum vocibus, vel, si vis, quatuor, quasi *Datis* Alphabeti sui egerunt, et prolixius egerunt. Vid. *Precis* pag. 21 ad 38: Nempe de *Ptolemaeo*, *Berenice*, *Cleopatra*, et si vis *Alexandro*: De ceteris vero omnibus nec locutio, nec nutus, nec indicatio: quum strictissimi officii fuisset singularum prorsus *Literarum*, omnium plane *Typorum* genesim et formationem a primo ad centesimum quadragesimum distincte et singillatim evolvere et constituere.

## A r t. IV.

*Si Alphabetum Anglo-Gallicum deductum est ope Superpositionis, caret Datis suis necessariis formationis.*

Nam si ad generationem *Alphabeti* 140 Typorum ope *Superpositionis* necessaria omnino sunt circiter 70 *Vocabula*, quae *superponantur*, ut 140 *Literae* et Typi colligi possint et constitui, et ex his *Vocabulis* non sunt *data* ab Alphabetonomis nisi tria tantum, vel quatuor ex quibus non exsurgunt nisi quindecim fere literae, et eae quidem prorsus hypotheticae, et nullius insuper usus et utilitatis: ergo 125 Literae *Alphabeti* propositi, adeoque totum ipsum *Alphabetum*, caret necessariis *Datis* formationis suae.

*

## Art. V.

*Impossibile fuit Alphabetonomis Anglo-Gallis seligere et comparare septuaginta Voces Aegyptias genuinas, vel ab Aegyptiis receptas, quae potuissent haberi, ut Data certa Alphabeti legitimi.*

Nam pronuntiatio pura, et Orthographia sincera *Vocum* Aegyptiarum veterum est hactenus plane vel incerta vel ignota. At ignotâ pronuntiatione sincera, et genuinâ Orthographiâ *Vocum dandarum*, plenum et legitimum Gentis *Alphabetum* condere impossibile est. Utque ineptum et falsum *Alphabetum Hebraicum* ille conderet, qui nominibus propriis Hebraicis uteretur, ut sunt in Versionibus Graecis et Latinis; ut *Alphabetum Gallicum* falsum et ineptum ille confingeret, qui illud efformaret ex nominibus propriis Gallorum, quae ex Guicciardino, vel Davila colligeret; eadem necessariâ paritate tenendum est, non posse condi nisi falsum et ineptum *Alphabetum* aliquod *Aegyptium* ex *Vocibus*, quas Graeci Latinique pronuntiatione, et literis suis, et post plura saecula descripserunt. Quod si obiicis *Alphabetum Demoticum* ipsorum Aegyptiorum nuper constitutum, et iure a pluribus receptum; respondeo probari non improbari hoc exemplo quae modo diximus. Nam post tredecim integros annos, ex quo constitui coepit Alphabetum istud, adhuc est longe imperfectum, vix 15 vel 16 literae satis certae possunt numerari, nec potuit adhuc per illud unus versiculus *Scripturae Demoticae* plane et certo legi. Tum *voces datae* ad illud condendum omnes fuerunt certae et necessariae,

et accesserunt analogiae et similitudines plures ad probabilitatem inducendam, quae omnes tentantibus *Alphabetum Hieroglyphicum* desunt.

ART. VI.

*Si Alphabetum Anglo-Gallicum centum quadraginta Typorum constitutum volunt ope Onomatoschematum Copticorum, utique erant in antecessum dandae et praestituendae centum quadraginta voces Copticae, quibus illa 140 schemata et literae significarentur, et constituerentur.*

Nam si ad generationem *Literae Onomatoschematicae* est omnino necessarium Nomen *Schematis* sui, cuius *Nominis* initialis est ipsa illa *Litera*, utique absque illo *Nomine Litera* non dabitur, et si *Nomina* certae Linguae non praestituuntur, *Alphabetum* condi non potest. Si *Manus* significat *literam* T, quia *Manus* Coptice dicitur *Tot*: si *Securis* significat *literam* K, quod *Securis* Coptice dicitur *Kelebin*: si *Noctua* significat *literam* M, quia *Noctua* Coptice dicitur *Moulagi*; utique prius sunt *Nomina* illa *Tot Manus*, *Kelebin Securis*, *Moulagi Noctua danda*, et praestituenda, et proferenda, quam relatio inter *Literam* et *Schema* constituenda, quam *Manus* dicenda T. t: *Securis* K. c. *Noctua* M. m. Et propterea si quaeruntur centum quadraginta *Literae Onomatoschematicae*, 140 prorsus *Nomina* certae Linguae sunt antea *danda* et praestituenda. Et quoniam *Alphabetonomi* autumarunt *Linguam Copticam* esse Linguam *Hieroglyphicam*, et proferre voluerunt *Alphabetum* centum quadraginta *Typorum*, utique antea proferre absoluta neces-

sitate debuissent seriem 140 *Nominum Copticorum*, a quibus 140 illae *Literae* et *Schemata* gignerentur, et efficerentur.

## Art. VII.

*Nullibi Alphabetonomi produxerunt et statuerunt 140 Nomina Coptica, quae responderent 140 Schematibus et Literis a se constitutis.*

Etsi Champollionus non semel, non bis, non decies, sed centies in variis opusculis suis professus altissime fuerit habendum esse ut Axioma iam exploratum, iam certissimum, quod *Alphabetum* suum esset omnino *Onomatoschematicum*, et *Schemata* selecta respondere totidem *Nominibus Copticis*, ex huius modi tamen *Onomatoschematibus* numquam valuit proferre plusquam decem vel duodecim; etsi, ut innuimus, de his loqueretur frequentissime per integrum septennium, et strictissimi officii sui fuisset singula percensere minutissima diligentia a primo ad centesimum quadragesimum. Atqui 10, vel 12, et si vis 20, et si vis 30 *Nomina* huiusmodi habenda sunt nihili prorsus, ubi agitur de Alphabeto centum quadraginta Typorum. Et *nihili*, inquam, quum Alphabetum, cui sint 10 tantum Typi, vel 20, vel 30 huiusmodi, est nullius plane usus in Monumentis Hieroglyphicis Aegyptiorum, et adeo vere *nihili* est. Penes ceteros autem Alphabetophilos Gallos, Anglos, Italos ne vox quidem, vel nutus de his *Onomatoschematibus Copticis* occurrit.

## Art. VIII.

*Si ergo Alphabetum Hieroglyphicum Anglo-Gallicum constitutum volunt ope Onomatoschematum Copticorum, ipsa Data essentialia formationis et generationis suae prorsus desunt.*

Nam 140 *nomina Coptica*, a quibus ex eorum hypothesi, illi Typi erant intima necessitate definiendi, nullibi, ut dictum est, nec a Champolliono, nec a ceteris Gallis, nec ab Anglis, nec ab Italis acerrimis Alphabeti fautoribus fuerunt umquam vel prolata, vel indicata.

Qui autem regerunt fragmenta tantum et reliquias Linguae Copticae ad nos pervenisse, ex quibus possibile saepius non sit colligere *Nomina* et Epitheta respondentia singulis Schematibus Hieroglyphicis Monumentorum, non sentiunt se absurda et inepta loqui. Nam non agitur quaestio habeant necne Hieroglyphica Aegyptia nomen et vocabulum respondens in Lingua Coptica: sed quaeritur an ignoto Nomine Coptico, an Nomine Coptico minime producto et constituto possit quis *Schema* aliquod *Hieroglyphicum*, ut *Onomatoschema Copticum* praedicare: scilicet an ex *Nihilo* possit *Alphabetum* constitui. Atqui ex *nihilo* condi non potest nisi Alphabetum *nihili*.

## Art. IX.

*Impossibile fuit, et adhuc erit Champolliono, et ceteris Alphabetophilis producere Centum quadraginta Nomina Coptica respondentia 140 Schematibus Hieroglyphicis, quae literas sibi constituerunt.*

1. Primo, quia numquam poterunt inveniri in lingua Coptica indocta, populari, et plebeia plurimae voces, eaeque idoneae, aptae, perfecte respondentes *Schematibus Hieroglyphicis Crypticis* et *Physiomathematicis* summa sollertia et profunda ratione inventis et compositis a Sacerdotali Tribu Aegyptiorum.

2. Secundo quia Champollionus, et ceteri eius Doctrinae Asseclae, cum nobis omnibus, hactenus ignorarunt naturam physicam, constitutionem intimam, et usum socialem plurimorum *Schematum Hieroglyphicorum.* Atqui ignotâ *Schematis* naturâ, ignoto obiecto, ignota sunt aeque *Nomina*, ignota *Onomatoschemata*, desunt radicitus *Data* formationis *essentialia*, et impossibilis adeo est prorsus formatio ipsius Alphabeti. Quum, ex. gr. Champollionus scribit in suo *Precis : un fruit, ou une fleur avec sa tige recourbée.* P. 23. *Deux plumes, ou deux feuilles.* P. 26. *Cassolette a parfum.* P. 50. *La ligne brisée.* P. 42. *L'enroulement, ou lituus* P. 44. *le trait recourbé* P. 44. *les deux sceptres, ou batons affrontés.* P. 47. Vid. P. 88. 101. 111. 194. 218. 219. 341. etc. etc. haecne poterunt certis, fixis, notis vocabulis Copticis respondere, si ipsa incerta, dubia, vaga, falsa sunt saepius?

3. Tertio, quia nomina Coptica plurimorum

*Schematum Hieroglyphicorum*, quae Champollionus *literas* fecit, longe alias et diversas *literas* indicant, ac illas, quas Alphabetonomi tuentur, et servant : adeo ut *Alphabetum* propositum haudquaquam *Onomatoschematicum Copticum*, sed vere et proprie *Anti-onomatoschematicum* sit appellandum. Nam :

*Caput* Coptice *Aphe*, *Gio* esset A. *Giangia* Champolliono est H. h.
*Oculus Bal* esset B, Champ. est A. vel S.
*Brachium Schobsch* esset *Sch*. Ch. est A.
*Crus Sebi* esset S. Ch. est B.
*Pedes Ni-fat* essent F. Ch. T.
*Accipiter Bais* esset B. Ch. est A.
*Anser Kenesoi* esset K. Ch. S.
*Coturnix Eri*, esset E. Ch. A. O.
*Aries Oili* esset O. Ch. B.
*Leo Moui* esset M. Ch. L. R.
*Serpens Hof* esset H. Ch. T.
*Scarabaeus Scialuks* esset Sc. Ch. est T. D.
*Cidaris mitra* Scripi, Klaft esset Sc. K. Ch. N.
*Pluma penna Kasch* esset K. Ch. A.
*Falx Sefi* esset S. Ch. D. T.
*Forceps Esciau* esset E. Ch. Th.
*Vasculum Lik*, *Moki* esset L, M. Ch. N.
*Aratrum Hebi* esset H. Ch. M.

*Pelvis Makro*, *Miran* esset M. Ch. G. K. et ita porro etc. etc. Haec enim satis sunt et super ut ostendant nulla esse Alphabeto proposito *Data* generationis, immo esse ita penitus et evidenter adversa et opposita, ut propius miraculo videatur potuisse Champollionum centies universae Europae inclamare *Alphabetum* suum factum ex *Onomatoschematibus* Copticis, et inventum adhuc neminem, qui Lexicum aliquod Copticum percur-

rerit, et apertissimae falsitatis eum arguerit. Quin hîc non est praetereundum, quod etiamsi Alphabetonomis, quod fieri nequit, concedamus, posse nempe ex Lexico Coptico educi centum quadraginta *Nomina*, quae respondeant centum quadraginta *Schematibus* a se constitutis, nil inde omnino eos ad propositum suum iuvari. Nam plurima ex his *Schematibus* duobus, tribus, quatuor *Nominibus* gaudent, adeoque, si fiunt *Typi Alphabetici Onomatoschematici* uno eodemque tempore plures *Literas* significabunt, et Alphabetum exsurget *Polydynamicum.* Atqui *Alphabeta Polydynamica*, ut etiam *Onomatoschematica Polyhomophonica*, esse absurda et impossibilia Libr. I. Sect. VI. Cap. 2. et 3. pag. 93. 96. demonstravimus.

## CAPUT II.

## *Datum Superpositionis, quod Alphabetonomi, ut Axioma habuerunt: scilicet in Ellipsibus Hieroglyphicis invenienda esse nomina Regum Aegyptiorum Demotica Alphabetice scripta, et irrationale et falsum est.*

### ART. I.

*Nulla esse potuit necessitas Sacerdotibus Aegyptiis scribendi Alphabetice in Monumentis Hieroglyphicis nomina Demotica Regum suorum.*

1. Nam si, fatentibus ipsis Alphabetophilis, plurima *non Alphabetice* et recte scripserunt Aegyptii, si *non Alphabetice* scripserunt nomina

Deorum suorum, si *non Alphabetice* scripserunt sive tota nomina, sive partem nominum etiam Regum suorum, qua cedo necessitate, ut nescio quae alia scriberent, *Alphabetum Hieroglyphicum* condidissent? Accedit quod si Sacerdotes Aegyptii voluissent in Scriptura sua omnino imitari sonum, omnino exhibere utcumque pronuntiationem *Nominum* Regum suorum, si voluissent proferre voces *Homiophonas nominibus* Regum suorum, praesto erant *Homiophoniae Lexeoschematicae*, non quidem absolutae perfectionis, sed satis idoneae et opportunae ad memoriam servandam et excitandam: Et quod caput est, et quid est sedulo animadvertendum, Homiophoniae istae Lexeoschematicae fuissent longe potiores, longepraestantiores *Scriptura Alphabetica*, quam hi modo *Alphabetonomi* obtrudere nobis adlaborarunt. Nam fac aliquem velle exprimere *Lexeoschematice* vocem *Claudius*, si pingeret *Os oris* כלא KLA *clamare*, *Vasculum* כלי KLI, et *Herbam* דשא DSCA, haberet CLA-DSCA: quae vox si non est ipsum *Claudius*, haud multum discrepat. At si scribis *Literis Alphabetonomorum*, tu poteris legere: *Klotis*, *Krodis*, *Crudus*, *Gladius*, *Gratius*, *Cladis*, et ita porro per alias plures voces, quae immaniter et absone discrepant a voce *Claudius*, atque ambiguam et incertissimam eam faciunt. Saltem igitur secundum praxin Alphabetonomorum non modo nulla potuit esse necessitas Sacerdotibus Aegyptiis scribendi *Alphabetice nomina Demotica* Regum suorum; sed omnia absterrere eos debuissent ab ineptissima et absurda institutione.

## Art. II.

*Nomina Demotica Regum Aegyptiorum nec Alphabetice nec Symbolice in Ellipsibus Hieroglyphicis poterunt umquam inveniri.*

1. Primo, quia *nomina Demotica* Regum Aegyptiorum sunt fere semper unica, solitaria, ut *Amasis*, *Ramesses*, *Amenophis*, et *Ellipses Hieroglyphicae* sunt fere semper binae, fere semper adsociatae, semper fere duplices, *Anserinae* scilicet, et *Apianae*, ut plurimum. Adeoque si Auctores *Laterculorum* Regum Aegyptiorum *Ellipses Hieroglyphicas* exscripsissent, omnino utraque *Lemmata*, utraque nomina, cognomina, epitheta, titulos servassent, sive semper, sive saepius. Atqui id numquam est factum. Ergo numquam fieri potuit, ut *nomina Demotica* Regum Aegyptiorum ex *Ellipsibus Hieroglyphicis* educerentur, et transcriberentur.

2. Secundo, quia *Nomina Demotica* Regum Aegyptiorum fere omnia discrepant inter se, et haud multa sunt, quae ter et quater repetantur, ut *Amenophis*, *Ramesses* etc. Atqui si colligitur ingens numerus *Ellipsium* iugatarum invenietur plurimas esse sive *Anserinas*, sive *Apiarias*, vel easdem, vel levi tantum discrimine invicem distinctas: adeo ut, si *Nomina Regum* fuissent inde desumta, numerandi omnino fuissent ex. gr. decem *Amases*, quindecim *Amenophes*, viginti *Ramesses*; et profecto, si memini, ipsi Alphabetonomi, etsi *Laterculis* invitis, iam numerarunt decem *Ramesses*: Atqui ut dicebamus *Nomina Regum* Aegyptiorum in *Laterculis* fere semper discrepant inter se: Ergo desumi non potuerunt ex *Ellipsibus Hieroglyphicis*.

3. Tertio, quia pleraequae *Ellipses Hieroglyphicae*, quae sunt certo plusquam *ducentae*, ne per hoc *Alphabetum* quidem 140 Typorum, et 10 fere Literarum radicalium reddunt *Nomina Demotica* Aegyptiorum Regum, quae sunt pariter plusquam *ducenta*, et quorum pleraque reddere necessario debuissent, si quid probabilitatis *Dato* illi *Superpositionis* inesset. Quum igitur Galli, Angli, Itali intentissimo studio, pertinacissima constantia *Nomina Regum* Aegyptiorum *Demotica* per septennium in *Ellipsibus Hieroglyphicis* quaesiissent, et praeter paucissima, quae nihili sunt, ingentem quantitatem, numerum maximum invenire minime potuissent, tenendum est vel *Alphabetum* falsum, vel illa *Nomina* illis *Ellipsibus* haud inesse: et maxime spectata formâ plurimarum *Ellipsium*, ex quibus *Scriptura Alphabetica* cuiuscumque naturae evidenter excluditur.

4. Quarto, quia si *Nomina Regum Demotica* fuissent *Alphabetice* descripta in *Ellipsibus*, quae omnium oculis, omnium adspectui, quotidie, et iugiter subiicerentur, et centies repeterentur, numquam tam variâ, tam discrepanti, tam incertâ *scripturâ* ad nos pervenissent. Si *Sesostris* nomen *Alphabetice* in centuriis *Ellipsium* fuisset descriptum, quî fieri potuisset, ut alii scriberent *Sesoosis*, alii *Sethosis*, alii *Sothis?* Quomodo *Ramesses* fieri potuisset *Ramestes*, *Harmesses*, *Armes*, *Armeses*, *Armais*, *Rapses*, *Remphis*, *Raphaces*, *Ramphes*, *Rampsinitus*, si *Ellipses* illae omnium oculis subiectae *Ramessis nomen Alphabetice* continuissent et exhibuissent? Vid. Mercati et Zoega de *Obeliscis*. Atqui id spectato rerum humanarum ordine fieri numquam potuit. Et omnis varietas Lectionum tribui nequit vel oscitan-

tiae Scribarum et Amanuensium Graecorum et Latinorum; vel intrinsecae nominum diversitati. Ergo *Nomina Demotica* Regum Aegyptiorum inveniri non possunt in *Ellipsibus Hieroglyphicis.*

5. Quinto, quia *Latercula Regum* Aegyptiorum, quae colliguntur ex Herodoto, Manethone, Eratosthene, Diodoro, Plinio, Eusebio, Syncello, aliisque, ita penitus variare inter se, ita funditus discrepare numquam potuissent, si in *Ellipsibus Hieroglyphicis* illa *Nomina* centies fuissent et Alphabetice repetita, si quisque fere illas *Ellipses* quotidie intueretur, et legeret, quotidie videret, et contemplaretur; per omnes fere urbes et oppida Aegypti. Numquam ergo fieri potuit, ut *Nomina* Regum Aegyptiorum *Demotica Ellipsibus Hieroglyphicis* continerentur.

6. Sexto loco, si dubitari non potest fuisse *Regibus Aegyptiorum* praeter *Nomina Demotica*, profana, comunia, alia nobiliora et praestantiora; si in Regiminibus Casticis Lingua Sacra et Sacerdotalis saepius uti non potest vocibus et verbis, quae impuri homines, plebeii scilicet efferant: si *Reges* erant apud Aegyptios semper *Epiphanice* certorum Deorum suorum, quorum Deorum symbola et *Nomina* adsumebant; si in *Ellipsibus Hieroglyphicis* una praestantissima et sacratissima nomina condi potuerunt; utique, si quid ad *Reges* spectans potuit in *Ellipsibus Hieroglyphicis* condi, utique, inquam, non *Demotica* et profana *Nomina*, sed Sacratissima tantum et Divina potuerunt illis contineri et inscribi.

7. Septimo tandem, quia in uno et eodem Obelisco, semper Diis magnis sacro, sunt saepius tres, quatuor, quinque Ellipses diversae; et quomodo absurdum est eas omnes uni et eidem Regi tribuere, ita aequum et conveniens pluri-

bus Diis dare, qui genuisse Regem, amare, et fovere putentur : quae ex Obelisco Hermapionis Flaminio, et quoad partem ex Tabula Rosettana sunt plane explorata.

## ART. III.

*Una Deorum nomina, uni Deorum magnorum characteres in Ellipsibus Hieroglyphicis Monumentorum Aegyptiorum poterunt contineri et inveniri.*

1. Primo, quia si praestantissima et sacratissima in *Ellipsibus Hieroglyphicis* sunt continenda, et Deorum magnorum *Nominibus* et *Characteribus* nil praestantius et sacratius esse potuit, utique *Deorum nomina* et characteres, et symbola, non aliorum in *Ellipsibus Hieroglyphicis* sunt invenienda. Et profecto in plurimis *Ellipsibus Hieroglyphicis* profunda religionis Aegyptiae Mysteria, arcana Symbola, et quasi Deorum Tesseras fuisse conditas, nemo prorsus, qui his studiis aliquam operam dederit, poterit inficiari. Nam huiusmodi *Ellipses* eo plerumque sunt numero, et ordine dispositae, ea in parte collocatae, iis symbolis, et schematibus exornatae, ut quidquid fere sublimius et sacratius in suis Adytis Sacerdotes habuerint, in illis *Ellipsibus* conditum tenendum sit.

2. Secundo, quia ipsae laudes et elogia *Regum* ex instituto fundamentali Sacerdotum numquam seiungi potuerunt, numquam separari a laudibus et *Nominibus Deorum*, quorum filii et Epiphaniae illi *Reges* haberentur. De qua re tum ipsa natura Casticismi Sacerdotalis, tum Tabula Rosettana, tum versio Hermapionis Obelisci Flaminii, tum Clementis Alexandrini viri longe doctissimi testimo-

nium dubitare nos nullo pacto sinunt. Quamobrem quum *Nomina* et Characteres Deorum summorum sint longe praestantiora *nominibus demoticis* et profanis Regum, illa utique non haec invenienda erunt in ipsis Ellipsibus Hieroglyphicis Monumentorum, quae ad *Regum* laudem et gloriam excitata fuissent.

3. Tertio, quia *Anser* et *Globus* vel *Circulus*, quae saepissime *Ellipsibus Hieroglyphicis* praeponuntur non *Filium Solis*, sed tantum et unice *Filium* significant; Nam ut demonstratum est Libro I. Sect. II. Cap. 2. pag. 25., et Sect. IV. Cap. I. p. 57. *Monoschemata* in quacumque *Scriptura* sunt ambigua et aequivoca, et propterea absolutae necessitatis est, ut addantur *Schemata determinantia*, per quae tollatur ambiguitas. Quamobrem *Ansere* et *Globo* una tantum idea, una vox potuit significari. Atqui *Anser* dicitur בר BR אוזא AVZA, et בר BR est *filius* natus, et אוזא AVZA est homiophonon יצא ITZA pariter filius, et homiophonon עז OZ est fortis praestans: Tum *Globus* vel *Circulus* est דור DVR genesis generatio, vel גלגל GLGL etiam generatio, homo, successio generationum: Ergo *Ansere* et *Globo* indicabitur unice et tantum *Filius*, *natus*: Et propterea si *Anser* et *Globus* sive *filius* et *natus* referuntur ad *Regem*, utique *Pater*, genitor, et *Deus* inveniendus erit in ipsa *Ellipsi*. In *Tabula Abydi* ut haec *filiatio*, et generatio divina clarius exprimeretur addita sunt *duo Brachia* et *Noctua*. Nam *Brachium* primum est זרע ZRO semen, *filius*; *Brachium* secundum, חצן CTZN temura נצח NTZC immortalis perpetui, et *Cubitus* גמד GMD est homiophonon גמר GMR perfecti absoluti. *Noctua* כום KVS, et חום CVS est sanctus pius: *Noctua* est ינשוף INSCVPH,

et נשף NSCPH est afflare, inspirare, indere flando, ut Regis sacra generatio afflatu Dei, qui in *Ellipsi* describitur, peracta significetur.

4. Quarto, quia *Ape*, *ramo*, et *semicirculis* non *Rex* significatur, sed *amatus*, *dilectus*, charus, ut in versione *Tabulae Hieroglyphicae Rosettanae* iam ostendimus. In Tabula vero *Abydi* loco *Apis* גבה GBE apposita est *Cidaris* גבע GBO, vel קבע QBO, quae sunt homiophona: Additumque *Hydroschema* רחצ RCIZ, quod est etiam fiducia, spes, sperare, confidere, quae opportunissima. Quin eâdem in *Tabulâ Noctua* et *duo Brachia*, quae apposita fuerant alteri *Ellipsi* ad significandum *filium* et *natum* apposita iterum sunt sollertia incredibili ad significandum *dilectum* et *amatum*. Nam *Noctua* est כוס KVS temura homiophona חשק CSCQ *amare*, fovere, complecti; נ·שק N-SCQ osculari, oscula libare. *Noctua* קפופא QPHVPHA, קפף QPHPH fovere, ut Gallina ova fovet. *Noctua* בואה BVAE, אבה ABE temura homiophona velle, desiderare, amare. *Duo* autem *Brachia* sunt bis יד ID, nempe ידיד IDID, atqui ידיד IDID est *amatus*, *dilectus*, charus. Et propterea si haec *Symbola* sunt propria *Regis*, *Deus*, qui *Regem* fovet erit in *Ellipsi*, *Deus*, qui *amat*, omnino continebitur *Ellipsi*. Ergo uni *Dii* magni Aegyptiorum, non *Reges* et Principes poterunt in *Ellipsibus Hieroglyphicis* contineri et inveniri. Et propterea *Datum* illud *Superpositionis*, quod Alphabetonomi, ut certissimum Axioma posuerunt, nempe *Nomina Regum* Aegyptiorum *Demotica* invenienda esse *Alphabetice* scripta in *Ellipsibus Hieroglyphicis* est falsum, ut dicebamus, et irrationale.

## CAPUT III.

# *Alphabeti Hieroglyphici nuper propositi nulla sunt Producta rationalia.*

### Art. I.

### *Quae dicantur Producta Alphabeti quaesiti, quae Producta rationalia, quae Producta Alphabeti genuini et legitimi.*

Constituto iam et perfecto *Alphabeto*, quod quaerebatur, ut dicebantur *Data Verba*, quae ipsum *Alphabetum superpositione* gignebant et producebant, ita dicuntur *Producta Alphabeti Verba* et Lectiones, quae ab ipso *Alphabeto* Monumentis et Scriptis admoto educuntur et *producuntur*: Et quoniam *Data* sunt caussae et productores *Alphabeti*; Lectiones vero *productae* sunt effectus, sunt ideo a *Datis* diligenter *Producta* secernenda, ne in summam absurditatem incidamus confundendi causas cum effectibus. Et propterea, si *Alphabetum* 140 *Schematum* obtineri non potuit nisi *Datis* 70 *Vocibus Superpositionis*, hae 70 Voces *Datae* sunt secernendae diligenter a *Productis*, si sunt, huiusce *Alphabeti*, ne causas, ut dicebamus, cum effectibus ineptissime confundamus.

2. *Producta* porro *rationalia Alphabeti quaesiti* ea tantum Vocabula dicenda sunt, quae clarae, certae, receptae significationis sunt, vel quae Etymo manifesto adiuvantur, ut contra *irrationalia* et *falsa* habenda sunt, quae in Linguâ certâ significationem claram non habent, nec Etymo rationali poterunt adiuvari.

3. Illud tandem est animadvertendum *Producta Alphabeti legitimi* et genuini esse semper clara, semper certa, semper constantia, et numero *Monumentorum* respondentia: Si aderunt *decem Monumenta* decem legentur per *Alphabetum legitimum*, si centum, legentur *centum*, si *mille*, *mille.* Et id probatum reapse est per *Alphabeta genuina* universae Terrae. Quin ea est Veritatis vis, ut data etiam sive media, sive tertia parte *Alphabeti genuini*, media saltem, vel tertia pars Monumentorum datorum clare et certo legatur. Adeoque illud *Alphabetum*, cui non erunt plurima *Producta* clara, certa, evidentia, erit necessario spurium et falsum.

## Art. II.

*Simulacra notarum Lectionum, quae protulit Champollionus, vix ad 70 poterunt numerari.*

1. Simulacra Nominum Deorum Aegyptiorum ex. gr. *Neb*, *nev*, *nub*, quae voces sunt simulacra Dei *Kneph*; *Anbo, Anpo,* quae sunt simulacra *Anubis* etc. etc. sunt circiter viginti.

2. Simulacra nominum *Pharaonum* Aegyptiorum, ut *Amnf* pro *Amenophis*, *Hkr* pro *Achoris* etc. sunt circiter duodecim.

3. Simulacra nominum Regum *Lagidûm*, et Personarum, quae ad eos spectant, ut *Prapus* pro *Philippus* circiter octo.

4. Simulacra nominum *Caesarum* Romanorum, ut *Tmaatans Domitiani* circiter viginti.

Essent propterea huiusmodi *Simulacra* circiter 60, sunto tamen 70, si aliqua ignarus praeterivi.

*

### Art. III.

*Ceterae Voces, et Lectiones, eaeque innumerae, quae per Alphabetum propositum obtinentur, sunt prorsus irrationales.*

Nam sunt *Voces* absonae, absurdae, nullius certae Linguae, nullius certae Gentis; non Copticae, non Abissinicae, non Arabicae, non Syrae. Quamobrem etsi omnia Monumenta Hieroglyphica per *Alphabetum propositum* solvi possint in cumulos et acervos literarum, ex tot Gallis, ex tot Anglis, ex tot Italis accuratissimis Alphabeti propositi fautoribus nemo fuit, qui voces unius *Lineae Hieroglyphicae* exigere ad certam aliquam Linguam hactenus ausus fuerit. Non etyma iuvant, non analogiae, non homiophoniae, sunt penitus, et absolute irrationales; ut necesse prorsus est illas esse, quae ex caeca, fortuita, et absurda literarum combinatione exoriuntur.

### Art. IV.

*Dato Alphabeto decem vel duodecim literarum pronuntiabilium, datis 140 typis homophonis, et dato ingenti numero Monumentorum Hieroglyphicorum etiamsi Simulacra aliqua notarum Vocum per huiusmodi Alphabetum obtinerentur, semper essent irrationalia, et inepta.*

Nam non possunt gigni, et produci ratione, et potestate legitima, sed producuntur necessariâ literarum combinatione, et earum absurdissima *Polydynami*. Eodem modo, si quis ita contracto *Alphabeto* Latino, ut C, G, Q uno et eodem *typo*

exprimantur, uno L et R, uno D.T. etc. et eodem omnes Vocales, et hinc scriberet *Claudius*, data sunt statim et producta *Clodius*, *Calidius*, *Gladius*, *Clades*, *Crates*, *Crudus*, *Credis*, *Gratius*, *Grates*, *Gradus*, quae sunt omnes legitimae et verae voces Latinae, at omnes hîc illegitimae et absurdae, quia absurdo et illegitimo modo genitae, et quae profecto si quis haberet ut producta rationalia et legitima illius *Alphabeti* contracti, esset omnium hominum absurdissimus. Quum igitur *Alphabeta* huiusmodi sint penitus irrationalia et inepta ad quemcumque usum socialem et communem, ut planius etiam paullo post dicemus, *Simulacra Vocum* notarum, ludibria *Verborum* certorum, quae per ea producuntur, aeque irrationalia et inepta habenda sunt, utpote quae ex una irrationali polydynami Typorum sint producta. Et si nos ipsi Libro I. Sect. VI. Cap. 4. pag. 98. contractionem Alphabeti primigenii Conditoribus Linguarum Classicarum potissimum tribuimus, est sedulo animadvertendum. 1. Primo Contractionem a nobis propositam esse longe temperatiorem, et quae revera apud plures Gentes obtinuerit, quum Alphabetum XVI. literarum sit rationale et commodum: 2. Secundo nos ponere contractionem factam non in Alphabeto communi et recepto, sed in arcano et secreto: 3. Factam consilio profundo, et methodo accuratissima: Et 4. factam etiam ut gnari et docti profundissime instruerentur atque erudirentur, ignari vero et profani fallerentur et deciperentur. Sed hac de re opportuniore loco plura.

Neque porro est hîc praetereundum, quod si quis receptis centum quadraginta *Typis*, quot collegit Champollionus, hìs tamen non illam potestatem Alphabeticam tribuat, quam Anglo-Galli tribuerunt, sed illam quae ex Onomatoschematibus Copticis, quae superius pag. 185. indicavimus, vel ex Semiticis vocibus colligitur, vel si velit ex superpositione aliorum Nominum Aegyptiorum, dummodo ut Champollionus fecit, et ipse omnes Vocales permutabiles faciat, et eodem Typo significet B. F. V. OU. eodem C. G. K. eodem D. TH. T, eodem L. R, ex necessaria literarum combinatione et homiophonia impossibile erit, quin ex innumeris Monumentis Hieroglyphicis, quae experietur, magnum numerum Simulacrorum Vocum notarum omnino colligat.

### A r t. V.

***Nulla alia ratione potuit Champollionus Alphabetum suum Centum quadraginta Typorum constituere, quam superpositione septuaginta circiter Vocum datarum.***

Nam impossibile prorsus fuit Champolliono obtinere centum et quadraginta *Schemata*, per *Onomatoschemata* Coptica, ut ostendimus Cap. I. Art. 9. p. 185. Et una, omnino una *Superpositio* superest ad obtinendas literas *Alphabeti quaesiti*. Et quoniam eodem Cap. I. Art. 2. pag. 178. demonstravimus requiri circiter *septuaginta vocabula data*, ut obtineri possint centum quadraginta *Typi* sive *Literae*, palam est Champollionum ex plusquam trecentis *Ellipsibus Hieroglyphicis*, quae ex Monumentis possunt colligi, selegisse circiter quinquaginta, coniugatis Ellipsibus non numeratis, et

iis *superposuisse Nomina* Regum Aegyptiorum Pharaonum, Lagidûm, et Caesarum Romanorum circiter quinquaginta: Et hinc aliis Syngrammatibus Hieroglyphicis imposuisse viginti fere nomina *Deorum* Aegyptiorum, quibus Alphabetum suum centum quadraginta *typorum superpositione*, et adsumtione gratuita et arbitraria *homophonorum* absolvit.

## Art. VI.

*Ergo nulla prorsus sunt producta rationalia Alphabeti propositi.*

Champollionus adhuc post septennium non protulit nisi *septuaginta* circiter simulacra *Vocum* notarum: quae etiamsi essent propria et vera producta *Alphabeti* sui, cui sunt centum quadraginta *typi*, et decem tantum *literae* radicales, dicenda semper essent irrationalia, quia et numero paucissima, et nimis a genuino et sincero earum sono abhorrentia planeque corrupta, et quia ab una necessaria combinatione literarum potuissent produci, ut modo Art. IV. pag. 197. animadvertimus. Atqui *Alphabetum* Anglo-Gallicum centum quadraginta *Typorum* gigni et formari non potuit nisi *Superpositione septuaginta* circiter *Vocum datarum*, quot sunt illae ipsae, quas protulit Champollionus: Quae ergo is haberi voluit *producta* sunt productores, quae praedicavit ut *effectus Alphabeti* sui sunt caussae et genitores. Et propterea, quia *Data* a Summa Lectionum sunt subtrahenda, ne caussas cum effectibus ineptissime confundamus, ut dicebamus Art. 2. pag. 197. et 70-70 sunt plane $= 0$: necesse est Producta rationalia *Alphabeti* Anglo-Gallici esse prorsus et mathematice nulla.

## CAPUT IV.

## *Alphabetum Hieroglyphicum Anglo-Gallicum probari et recipi non potest.*

### Art. I.

*Primo, quia caret ipsis Elementis fundamentalibus formationis, et generationis suae, quemadmodum demonstratum est supra Capite primo* pag. 177. ad 186.

Ubi caussae non sunt, effectus esse non possunt, ubi *Data Alphabeti* quaesiti aequa, rationalia, idonea non constituuntur, *Alphabetum* ipsum numquam esse poterit. Atqui nemo unus ex Alphabetophilis Gallis, Anglis, Italis producere hactenus potuit *Data* aequa, idonea, et rationalia *Alphabeti* propositi; Nemo unus genesim et formationem, nemo unus genitores et productores centum quadraginta *Typorum* analysi opportuna prodere et demonstrare valuit. Ipsi ergo primi irrationale et nullum *Alphabetum* suum sunt fassi, quia irrationalia et nulla sunt, quae legitimis, aequis, et rationalibus suis caussis carent.

### Art. II.

*Secundo, quia in Ellipsibus Hieroglyphicis Nomina Demotica Regum Aegyptiorum nec Alphabetice nec Symbolice possunt inveniri, ut demonstratum est Capite secundo* pag. 187. ad 193.

Nam hoc pacto amissa etiam sunt *Data* illa prima et fundamentalia *Ptolemaeus*, *Cleopatra*, *Berenice*, elementa *Alphabeti* substantialia; et adeo *Alphabetum* ipsum factum est nullum; Cum-

que *'Alphabeto* penitus corruit et evanuit *Chronologia* illa *Dynastiarum*, et Monumentorum Hieroglyphicorum futilibus et ineptis voculis superstructa, et qua vera Eegyptiorum Historia miserrime corrumpebatur: Reiectisque nominibus usurpatoribus stabunt adhuc legitimis et veris Conditoribus suis immanes illae Moles Aegyptiae, Templa illa mirabilia, et celsi illi Obelisci. Eruntque, non dubito, qui Plinium, aliosque Veteres praestantissimos a contemtu Alphabetophilorum vindicabunt. V. *Precis* pag. 193. etc.

A R T. III.

*Tertio, quia nulla sunt Producta rationalia Alphabeti propositi, ut demonstratum est Capite tertio* pag. 194. ad 198.

Atqui *producta* rationalia *Alphabeti* legitimi et genuini necessario sunt plurima, sunt innumera, sunt necessario evidentia, constantia, perpetua; ut revera *Producta* sunt omnium Alphabetorum legitimorum, quae super faciem Telluris adhibentur, quemadmodum etiam animadvertimus Cap. III. Art. I. pag. 195. Ipsum *Alphabetum Demoticum* Aegyptiorum XVI. tantum Typorum, et a tribus tantum vel quatuor *Vocibus datis* genitum, etsi imperfectum et mancum, etsi unis fere Nominibus propriis admotum produxit hactenus plusquam centum voces vel claras, vel intrinsece probabiles. Ergo *Alphabetum* cui non sint plurima, rationalia, et probata *Producta*, erit necessario irrationale et illegitimum, et *Alphabetum* cui nulla sint *Producta* rationalia erit prorsus hypotheticum, et nullum, ut dicendum omnino est Anglo-Gallicum nuper propositum.

## Art. IV.

*Quarto, quia producta irrationalia et absurda Alphabeti propositi sunt vere et proprie innumera.*

Nam nullum plane est Monumentum *Hieroglyphicum Microschematicum*, cuius duae ex tribus partibus non possint solvi per *Alphabetum* propositum in acervos et cumulos literarum. Et nullum est, ex quo sententia aliqua probabilis, Lemma aliquod rationale possit extundi. Ipsa *Tabula Rosettana Hieroglyphica*, cuius sententia ope Textus Graeci adpositi ex parte saltem certa est, per *Alphabetum Anglo-Gallicum* tota fere in acervos literarum solvitur, et tota inexplicabilis est, tota absurda, tota intractabilis per linguam Copticam, Abissinicam, Arabicam, Syram. etc. nec nobis tantum, sed ipsis Alphabetophilis maxime, qui ne in uno quidem versiculo per septennium certam aliquam linguam, et humana verba agnoscere valuerunt. Atqui una *Alphabeta* irrationalia et absurda possunt constanter proferre *Producta* irrationalia et absurda. Ergo *Alphabetum* propositum est necessario absurdum et irrationale. Quod si quis dixerit Linguam *Scripturae Hieroglyphicae* esse vetustate deperditam, vel gravissime immutatam, et adeo esse plurimum diversam a *Coptica*, vel alia nota quacumque. Respondeo I. *Alphabetum* Linguae vel deperditae, vel gravissime immutatae esse falsum et irrationale, et numquam posse legitime condi: Adeo ut si quis ex Alphabetophilis affirmaret *Alphabetum Anglo-Gallicum* spectare ad Linguam vel deperditam, vel graviter corruptam, ipsemet affirmaret

Alphabetum suum esse prorsus ineptum, hypotheticum, et falsum 2. Secundo, quod Lingua *Hieroglyphicâ* deperditâ, vel gravissime immutata, nemo sani sincipitis ad *Hieroglyphica*, quorum essentia periit, interpretanda accedet, et *Alphabetum* condet Linguae, quae nihili est.

ART. V.

*Quinto, quia obstat invictissime consensus omnium Scriptorum Veterum, qui unanimes a Monumentis Aegyptiorum Hieroglyphicis quodvis Alphabetum reiecerunt.*

Id abunde demonstratum est et prolixe Sect. II. C.3. et 4. p.139. ad 159. Illud modo tantum addam, me non potuisse adhuc capere animo cur tanto ardore et hiatu Alphabetophili contenderint Clementem Alexandrinum verbis illis Κυριολογικη δια των πρωτων ϛοιχειων *literas Alphabeticas* designasse. Nam ponamus Clementem prorsus aperte, prorsus perspicue *Scripturam Alphabeticam* illis, vel similibus verbis ibi designasse, quid tum, quid ad propositum suum inde colligent Alphabetophili? Quum *Scriptura Cyriologica* δια των πρωτων ϛοιχειων sit prorsus loco discreta a *Scriptura Symbolica* et Tropica, prorsus sit sede separata? Quam discretionem et separationem necessariam, ut evidenti argumento ostenderet Doctor praestantissimus inter Elementa *Scripturae Symbolicae* Schemata *Cyriologica* κατα μιμησιν adnumeravit naturae prorsus alius et diversae; unâ tantum ratione permotus, ut accenseret, quod ea Schemata *Cyriologica Schematibus Symbolicis* admiscerentur, et intime adhaererent: Quamobrem si *Scripturam Cyriologicam* δια των πρωτων ϛοι-

χειων a *Symbolica* discrevit, omnino fecit, quod Schemata utriusque numquam in unum *Syngramma*, numquam intime commiscerentur, et dhaererent; sed perpetuo sede et loco discernerentur: Quod plane verissimum est de *Scriptura Megaloschematica*, et *Microschematica* Quarum primam demonstravimus esse Κυριολογικῃ δια των πρωτων ϛοιχειων, alteram *Symbolicam* et *Tropicam* Clementis Cap. IV. pag. 147. ad 155. Atqui in Systemate *Hieroglyphico* Champollioni Literae *Alphabeticae* intime prorsus admiscentur et commiscentur figuris et Schematibus *Symbolicis*. Ergo auctoritas Clementis Alexandrini prorsus adversa, inepte iactatur ut favens.

2. Praeterea *Scripturâ Symbolicâ* et *Tropicâ* Clementis penitus *Anti-Alphabeticâ*, utpote quam efficiebant Aegyptii μεταγοντες, μετατιθεντες, εξαλλαττοντες, et μετασχηματιζοντες, descriptae erant laudes et elogia Regum Aegyptiorum, laudibus et elogiis Deorum magnorum permixta: Adeoque auctoritate Clementis certum est laudes et elogia Regum Aegyptiorum carere quacumque Scriptura Alphabetica. Atqui Alphabetophili toti sunt, ut voces et literas captent in *Elogiis* Regum, toti sunt ut colligant nescio quae *soutn*, *stn*, *snt* v. *Precis* pag. 184. quibus *Regem* et *Rectorem* aiunt in suo peculiari Lexico Coptico significari: Ergo Clementis Alexandrini auctoritas, etiam datâ illâ falsissimâ et absurdâ interpretatione των πρωτων ϛοιχειων, *Alphabeto* proposito penitus adversatur.

## Art. VI.

*Sexto loco, quia dato Alphabeto orali viginti quinque circiter literarum et Alphabeto scripto decem tantum vel duodecim literarum, impossibile sit recte intelligere et capere unum Monumentum Hieroglyphicum.*

1. Fuisse veteribus Aegyptiis Alphabetum orale plusquam XX. literarum certum est. Nam Alphabetum XXXII. literarum fuit Goptitis, quorum parentes et progoni Alphabetonomis sunt ipsi conditores *Scripturae Hieroglyphicae.* Aegyptiis porro Alphabetum fuisse XXV. Literarum Plutarchus est testis: Et fuisse prolixius XX. literis aperte colligitur ex *Scriptis Demoticis.* Graeci et Latini, qui plurimas voces Aegyptias exscripserunt, adhibuerunt in exscriptione plusqam XX. literas. In nominibus Aegyptiis, quae Biblia Hebraeorum servant, adhibitae sunt plusquam XX. literae: Et plusquam XX. literae orales fuerunt semper Persis, Chaldaeis, Syris, Palaestinis, Phoenicibus, Arabibus, Abissinis, a quibus genus Aegyptiorum manare potuit, vel cum quibus revera diutius et intime commixtum fuit.

2. Champolliono contra non sunt nisi circiter decem literae scriptae radicales, quum Vocales omnes sint permutabiles, et possint repraesentari uno tantum et eodem *Typo.* Idem *Typus* significat B. F. V. OU. Idem C. G. K. Idem. D. T. Idem L. R. *Precis* pag. 59. ad 64.

3 Atqui data Gente cui sint circiter XXV. Literae orales, et inter quas adeo sint B. F. V. C. G. K. D. T. L. R. etc. etc. si quis eas Typis tantum, X. vel si vis XII. exhiberet, et per eas Carmen,

Orationem describeret, impossibile plane esset rectam sententiam capere et adsequi. Nam quum literae plures sint polydynamicae, plurimae voces fient aeque possibiles, scilicet indefinitae, indeterminatae, ambiguae, aequivocae, adeoque nullius usus. Neque erit, ut puto, tam tardi ingenii homo, qui contracto Alphabeto Graeco, ita ut eodem typo indicetur β, υ, φ ου, eodem ι, γ, κ, χ; eodem ϑ, τ, eodem λ, ρ, statim non percipiat esse penitus impossibile unum versiculum Homeri, unum versiculum Hesiodi recte et perspicue intelligere et explicare. Ex quo fit Alphabetum propositum esse penitus irrationale, et ideo nullum.

4. Quin ad ipsa *Nomina* propria Deorum, et Regum, et Principum magis etiam, si fieri potest, ineptum est, ut superius innuimus. Nam *Nomina propria* saepe literula immutata non sunt amplius propria, non spectant amplius ad certam personam, naturam suam deponunt. Si scribis *Caesar* literis certis scio quod scribis, sed si possum aeque legere *Cisul*, *Gaiser*, *Gesel*, quo criterio, qua ratione edoctus legam potius *Caesar*, quam *Cisul?* Si possum legere *Tibris*, *Tivris*, *Tiulis*, *Dibris Divlis*, *Diuris*, cur seligam *Tibris?* Si possum legere *Claudius*, *Cladis*, *Clodius*, *Gladius*, *Gratius*, *Grotius*, et ita porro, quo argumento verum seligam, et comprehendam? Quin quomodo comprehendere animo potero ineffabilem absurditatem Gentis amplissimae, quae Alphabetum instituat, ut voces et vocabula sua sacratissima corrupta, ambigua, falsa, inepta exhibeat, et doceat, si levissimâ et facillimâ cura potuit institui Alphabetum rectissimum et perfectissimum? Qui obiiciunt varietatem Dialectorum Aegyptiarum ne-

sciunt, quod in Regiminibus Casticis et Plebs et Dialecti Plebeiae a Sacerdotibus ducuntur nihili; Quod varietas Dialectorum popularium ipsos Sacerdotes ex parte habeat auctores, ut Populum a Lingua sua sacra et liturgica arceant: Adeo Sacerdotes Aegyptii curare poterant in Monumentis Hieroglyphicis L. Memphiticum, et R. Baschmuricum: *Precis* pag. 519: Vel Thebaico modo confundere B. F. V. OU. Precis pag. 60. 62. Qui porro Stilum *Hieroglyphicum* ex. gr. *Obelisci Lateranensis*, vel *Flaminii* comparaverit cum stilo *Obelisci Barberini* probe senserit; an Sacerdotes Aegyptii, etiamsi olim constituissent *Leonem*, *Os oris*, *Malum granatum*, *Circulum*, *Serpentem*, *Mucronem* unâ esse literas L. R. arceri deinceps potuissent, ne ex. gr. *Leone*, *Serpente*, *Mucrone* significarent L tantum: *Ore*, *Circulo*, *Malo granato* R tantum, quo levissimo facto vitam, existentiam, formam Scripturae ambiguae, adeoque nullae conciliarent.

Quoniam igitur hae absurditates in Gentem amplissimam et sollertissimam cadere non possunt, sed bene possunt in *Schemata* quaedam, quae dicere *Alphabetum* maluerunt, hoc profecto dicemus et tenebimus irrationale et absurdum.

Essent adhuc alia plurima, quae in *Alphabetum Anglo-Gallicum* animadverti possint, sed haec ad propositum nostrum sunt satis, maxime si ea etiam mente recolemus, quae Libro I. Sect. VI. pag. 90 ad 96. Et hoc Libro II. Sect. II. Cap. 2. pag. 137. 138. iam adnotavimus.

## SECTIO IV.

**SCRIPTURA METRIOSEMATICA, METRIOTYPICA ET METRIOGRAPHICA, SIVE HIERATICA AEGYPTIORUM: METRIOTYPICA, POLYSEMATICA, ET POLYGRAPHICA SINENSIUM: OLIGOTYPICA ET OLIGOGRAPHICA AEGYPTIORUM, SINENSIUM, ET GEOMANTICORUM MAXIMA EX PARTE HABENDAE SUNT LEXEOGRAPHICAE.**

### CAPUT I.

### *Scriptura Hieratica Aegyptiorum habenda est Lexeographica.*

#### ART. I.

*Recensentur characteres praecipui Scripturae Hieraticae Aegyptiorum.*

1. Primo habenda est *Sematica* et amorpha; Etsi enim in eâ discernantur aliquot *Schemata* et figurae physicae, ut volucris serpentis etc., quia huiusmodi *Signa* sunt plane pauca, corrupta, tachygraphica, et reliqua omnia sunt prorsus informia, nec figuris saltem Mathematicis, vel Physiomathematicis similia; et nomen insuper *Scripturae* ex insigniore et maiore Signorum numero est imponendum, iure eam dicemus *Sematicam* et amorpham. Tum si Apuleius Lib. XI. Metam. pag. 230. de hac ipsa *Hieratica Scriptura* loquens, ut animadvertimus supra Sect. II. Cap. 6. Art. 3. p.166. testatur ideo densis, tortuosis, et implexis *Apicibus* fuisse contextam, ut a *profanorum curiositate* subtraheretur, utique *Semata* non *Schemata*, Signa informia non Figurae

Obiectorum physicorum, quae nec *Apices* sunt, nec *densi*, et *tortuosi*, fuerunt in eâ adhibenda.

2. Secundo est *Metriosematica*, scilicet Syntheses et *Syngrammata Sematum*, ex quibus exsurgit ex mediocri μετρίῳ numero *Sematum* et Signorum constant, nempe ex duobus tantum, vel tribus, quum *Syngrammata Scripturae Hieroglyphicae*, quam diximus *Polyschematicam*, constent saepe quatuor vel quinque *Schematibus*.

3. Tertio est *Metriotypica*, videtur scilicet constare mediocri, haud multum amplo Typorum et Signorum numero. Mihi quidem hactenus non vacavit minutam et absolutam supputationem *Sematum Hieraticorum* instituere: Arbitrarer tamen Typos adhibitos saltem in illis exemplis, quae versavi, haud ultra Centuriam excedere: qui est *mediocris* μετριος numerus, ubi de huiusmodi *Scripturis* agitur.

4. Quarto est *Metriographica*, quia huiusmodi *Scriptura* ad unas fere ceremonias, formulas, et rationes Funebres describendas videtur destinata: Nec hactenus demonstrari potuit, quin aliae Papyri, in quibus evidentia Dramata funebria Hieroglyphica non conspiciantur, ad rationes, et indices, et supputationes Libitinae spectent. Neque ex Apuleii loco potest aliquid adversum argui: Nam Ritualia funebria Initiatis et Mystis erant maxime necessaria. Contra vero si *Scriptura Hieratica* revera *Polygraphica* extitisset, et etiam Coelestia, vel Historica attigisset, inutilem fere *Hieroglyphicam* reddidisset: vel cum eâ in publicis Monumentis fuisset adsociata, quod numquam factum. Tum plures aliae *Papyri Hieraticae* fuissent collectae, ex quibus alia subiecta et alia instituta fuissent ex Dramatibus Hieroglyphicis adiectis saltem conjecturâ desumta. 14

### Art. II.

### *Scriptura Hieratica Aegyptiorum nequit esse Ideographica.*

1. Primo, quia est *Sematica*. Nam, ut saepius monuimus, *Scripturae Sematicae* numquam plene et vere *Ideographicae* possunt fieri.

2. Secundo, quia paucis Signis constat. Quid profecto centum *Semata*, et si vis ducenta ad *Scripturam Ideographicam* etiam *Oligographicam* constituendam? Quid centum *Ideae*, et, si vis, ducentae ad ritus, ceremonias, preces, et excantationes Funebres innumeras significandas?

3. Tertio, quia eadem *Semata* repetuntur bis frequentissime, quod in *Scriptura Ideographica* incongruum et ineptum. Vid. Sect. II. Cap. I. p. 133. 134.

4. Quarto, quia *Syngrammata* duobus tantum, vel tribus Sematibus absolvuntur, quum *Syngrammata Ideographica* pluribus plerumque debeant constare, ut in primo Libro saepe demonstratum est.

### Art. III.

### *Scriptura Hieratica Aegyptiorum nequit esse Alphabetica.*

1. Primo, quia numerus *Sematum* longe maior est numero *Literarum* cuiuscumque Alphabeti rationalis et legitimi.

2. Secundo, quia eadem *Semata* bis et frequentissime repetuntur, et nulla est vel fuit humana Lingua; quae plurimis verbis constet, quae fiant ex immediata duplicatione eiusdem literae: quod

supra agentes de *Scriptura Hieroglyphica* Sect. II. Cap. 2. pag. 139. etiam animadvertimus.

3. Tertio, quia procedit per Syntheses et adgregationes duorum vel trium *Sematum*, quod in *Scriptura Alphabetica* non fit.

4. Quarto, quia aliquot *Schemata* et figurae obiectorum physicorum, ut ut tachygraphica et corrupta inter vera *Semata* et signa amorpha interponuntur, quod in Literis Alphabeticis incongruum et ineptum. Vide quae de Scriptura Hieroglyphica loco cit. p. 138. 139. adnotavimus.

## A r t. IV.

***Scriptura Hieratica Aegyptiorum haberi non potest ut vera et propria Tachygraphia Scripturae Hieroglyphicae Microschematicae.***

1. Primo, quia in quacumque *datae Scripturae Tachygraphia* similitudo fundamentalis Signorum originalium semper et necessario servatur, semper clara et evidens manet; et nisi servatur, et manet, non est amplius *datae Scripturae Tachygraphia*, sed originalis et propria Scriptura. Atqui pleraque *Signa Scripturae Hieraticae* nullam plane similitudinem rationalem, sensibilem, claram gerunt cum *Schematibus Hieroglyphicis*.

2. Secundo, quia in ipsis Papyris funebribus, in quibus *Scriptura Hieratica* adhibetur, etiam et constantissime adhibetur *Scriptura Hieroglyphica*, eaque *Tachygraphica*, et saepius gravissime corrupta: Atqui interim ista *Scriptura Hieroglyphica Tachygraphica* et corrupta absolute discrepat a *Scriptura Hieratica* adiecta et coniuncta: Argumentum invictum, et penitissime evidens radicalis et verae Signorum differentiae. *

3. Tertio, quia *Scriptura Hieratica* constare videtur centum tantum *Sematibus*; *Hieroglyphica* contra ducentis circiter fundamentalibus *Schematibus*, et sexcentis circiter determinantibus.

4. Quarto, quia *Scripturae Hieraticae Syngrammata* duobus tantum, vel admodum tribus *Sematibus* conficiuntur, *Syngrammata* autem *Hieroglyphica* etiam quatuor et quinque *Schematibus* componuntur.

5. Quinto, quia in *Scriptura Hieratica* eadem signa tantum bis repetuntur, in Hieroglyphica vero etiam ter et quater.

Qui ergo iamdiu late et saepius praedicarunt *Scripturam Hieraticam* Aegyptiorum non esse nisi puram *Tachygraphiam Scripturae Hieroglyphicae*, et quam ipsi legerent, ipsi intelligerent, ipsi verterent, ne oculos quidem in *Papyros Hieraticas* aliquando coniecisse videntur.

## Art. V.

*Leges autem primae et fundamentales, constitutio intima Scripturae Hieraticae videtur esse eadem ac constitutio Scripturae Hieroglyphicae Microschematicae.*

Nam utraque procedit per Syntheses et *Syngrammata Signorum*; utraque constat ex *Stichis*, qui ex *Syngrammatibus* exsurgunt; utraque pergit a dextra parte ad sinistram; in utraque *Signa* repetuntur; utraque est nec *Ideographica*, nec *Alphabetica*.

### Art. VI.

*Scriptura Hieratica Aegyptiorum habenda est Lexeographica.*

1. Primo, quia non est *Ideographica*, nec *Alphabetica*.

2. Secundo, quia leges et characteres, quibus constituitur, plene congruunt Scripturae Lexeographicae.

3. Tertio, quia Leges eius fundamentales eaedem videntur ac Leges Scripturae Hieroglyphicae, quam esse Lexeographicam Sect. II. prolixe demonstravimus.

4. Quarto, quia L. Apuleius eam Lexeographicam fecit, ut ostendimus Sect. II. cap. 6. p. 165. 166.

## Caput II.

## *Scriptura Sinensis Communis et Encyclopaedica habenda est Lexeographica.*

### Art. I.

*Recensentur characteres praecipui Scripturae Sinensis Communis et Encyclopaedicae.*

1. Primo Scriptura huiusmodi est *Sematica*, et *amorpha*: Signa enim quibus constat nec ostendunt et demonstrant, nec saltem indicant, vel innuunt plerumque obiecta physica, corpora visibilia, quae significant: Adeo ut datis signis Sinicis Hominis, Oculi, Manus, Oris, Solis, Lunae, Canis, Bovis etc. impossibile sit inspectis tantum Signis divinare, quod illa Signa ad illa potius, quam ad diversa et alia obiecta referantur.

2. Et propterea satius dicenda est *Cryptica* et abstrusa: Nam, ut saepe animadvertimus, sunt plurima obiecta Physica, plurima Corpora circumstantia, quae minimis etiam Lineolis, parvis etiam *Notis* utcumque *Tachygraphicis* possunt adhuc similitudine aliquâ exprimi, et ex parte saltem servari, et repraesentari: Adeo ut, si Conditores *Scripturae Sinicae* voluissent analogias *Ideographicas* captare et servare in Ducentis *Sematibus* suis radicalibus saepius et satis clare omnino potuissent: Atqui pleraque *Signa* radicalia Scripturae Sinicae nullam plane, ut monuimus, similitudinem servant cum suis obiectis: Ergo per crypticas et abstrusas rationes Conditoribus suis illa *Semata* radicalia fuisse condita dicendum est. Adeoque vehementer errare, qui *Semata* et Signa, quibus modo in Scriptura sua utuntur Sinenses, ex nescio qua vetere Scriptura *Schematica* et *Hieroglyphica* cursu temporum orta et depravata putant. Fuisse veteribus Sinis aliquem usum Schematum Hieroglyphicorum demonstratum plane non arbitror. Hic tamen haud negarem. At si haec *Schemata* et Figurae Cyriographicae obiectorum apud Sinenses extiterunt, ex his ipsis fuisse deducta et corrupta, quae modo adhibentur, id pernego. 1. Quia Axioma Classicum Sinis antiqua non immutanda. 2. Quia ex omnibus Monumentis genuinis Scripturae Sinicae, ex ipso apocrypho Monumento *Iu* patet Scripturam Sinicam semper fuisse Sematicam et amorpham 3. Quia impossibile est ex naturali temporum cursu ita penitus a Schematibus Cyriographicis Signa Sinensia distare. 4. Quia compositio *Polysematum* Sinicorum impossibilis est per Schemata, et figuras etiam Tachygraphicas.

3. Tertio est *Metriotypica*; quum enim nu-

merentur plusquam 60,000 *Syngrammatum*, sive Polysematum, *Signa* radicalia, *Typi* elementares, ex quibus omnia Syngrammata componuntur, non sunt amplius quam *ducenta*. Atqui is numerus est *mediocris*, moderatus, μετριος, respectu numeri *Syngrammatum*. Ergo iure Scriptura dicetur *Metriotypica*.

4. Quarto est *Polysematica*: Scilicet plerumque non uno *Signo*, non uno *Semate* sive verba sive ideae significantur, sed omnino plurium *Signorum*, plurium *Sematum* adgregatione et coniunctione: Et quoniam ubi una vox, una idea tribus vel quatuor Signis indicatur; tria vel quatuor *Signa* dicimus multa, ideo *Scriptura* Sinensis, in qua *Syngrammata* saepius constant tribus, quatuor, quinque, sex signis, dicenda est *Polysematica*.

5. Quinto tandem est *Polygraphica*, ea nempe, qua continuo et contiguo ordine possunt plures series Cogitationum humanarum satis clare exprimi et describi; et ab aliis satis perspicue intelligi et comprehendi. Universa profecto amplissimae Gentis Encyclopaedia hac Scriptura condita est.

### A r t. II.

*Scripturam Sinensem Communem et Polygraphicam haberi non posse Ideographicam ex characteribus utriusque Scripturae demonstratur.*

1. Primo, quia Scriptura Sinensis est *Sematica*, et, ut alibi etiam animadvertimus, nulla Scriptura *Sematica* esse potest proprie et plane *Ideographica*. Et *Semata* Scripturae Ideographicae, si

dari potest, semper erunt innuentia et indicantia Obiectum suum, ut monuimus Libr. I. Sect. III. Cap. 1. pag. 49. non diversa, ut Sinensia.

2. Secundo, quia est *Cryptica.* Atqui *Scriptura Ideographica* et Cryptica est absurda et impossibilis. Absurda quia Obiecta physica, Substantiae figuratae aliis et diversis signis, non propriis exhibentur: Impossibilis, quia ubi nullus est verus nexus, nulla relatio naturalis inter Obiectum et Signum, memoria firma et tenax gigni non potest, et Signa idearum physicarum falsa servari animo diu et a plurimis nequeunt.

3. Tertio, quia *Semata* radicalia, *Typi* elementares *Scripturae* Sinicae sunt tantum *ducenti.* Atqui condere *Scripturam Ideographicam* ducentis tantum signis impossibile esse demonstravimus Libro I. Sect. II. Cap. 6. pag. 38. Cap. 7. pag. 43: 46. et Sect. III. Cap. I. Pag. 50. 51.

4. Quarto, quia Semata radicalia Scripturae Sinicae non indicant plerumque res abstractas, generales, ideas simplices, et intelligibiles, ex quibus nempe possent aliae compositae et complicatae efformari: sed significant plerasque res concretas, peculiares, circumscriptas, ut equum, canem, bovem, caput, manus, oculum etc. etc. Atqui ducentis Ideis concretis, peculiaribus, corporeis, condere Scripturam Encyclopaedicam Ideographicam impossibile est; ut Sect. III. Cap. 1. Pag. 49. animadvertimus.

5. Quinto, quia plurima *Syngrammata* Sinensium constant duobus tantum Signis. Atqui in *Scriptura* Ideographica, Ideae compositae, ut rationali modo exprimantur, pleraeque egent maiore Signorum numero. V. loc. cit. pag. 50.

6. Sexto loco, quia plurimis vel potius pleris-

que *Polysematibus* Sinensibus non unica tantum et singularis significatio est, ut plurimis vocibus Graecis, Latinis, et aliarum etiam Gentium, sed omnino varia et multiplex, ut polydynamis plurimarum Vocum Semiticarum, et quae nullo pacto ope *Metaphorae* et *Tropi Ideographici* potest explicari et removeri. Atqui *Polysemata Ideographica* eo plane consilio instituuntur et conduntur, ut *polydynamis* et ambiguitas *Monoschematum* vel *Monosematum* auferatur, ut animadvertimus Libr. I. Sect. II. Cap. 2. Pag. 25. 26. 27. et ut adiectione aliorum Signorum Monodynamis inducatur; Ergo *Polysemata* Sinensia esse non possunt *Ideographica*. Nec dici potest *Polydynamin* factam, quod essent adhuc *Ideographice* ambigua et aequivoca; Nam *Polydynamis* minime sequitur naturam *Ideographicam* Sematum; et si *Polysemata* Sinensia essent adhuc vere et proprie aequivoca et ambigua, ad res certissimas et exploratissimas significandas haudquaquam possent adhiberi: Nec Imperium his Signis posset regi, gubernari, stare, florere, augeri.

7. Septimo tandem, quod si *Polysemata* Sinensia in sua elementa et signa radicalia solvuntur, et *Ideographice* explicantur, sententia inde exsurget vel obscura et incerta, vel absona et ridicula, vel prorsus absurda et impossibilis. Atqui si *Polysemata* essent *Ideographice* composita absolutâ necessitate in eis contineretur clara definitio rei, perspicua descriptio obiecti, evidens enumeratio idearum simplicium componentium; ut iam Libro I. Sect. III. Cap. I. pag. 51. demonstravimus. Ergo *Scriptura* Sinensis quam longissime potius distat et differt a quacumque *Scriptura Ideographica*.

## ART. III.

*Sex illae Regulae, vel Classes secundum quas Scripturam suam conditam fuisse universi Doctores Sinenses tenent, Scripturae Ideographicae haudquaquam possunt convenire.*

1. Prima Regula seu Classis dicitur *Siang-Hing*, sive *Imaginum* et simulacrorum, et continet *ducenta* illa *Semata* radicalia, *ducentos* illos *Typos* elementares, quibus revera plerumque adnexa sunt Simulacra et Imagines obiectorum externorum, quia indicant *Hominem*, *Caput*, *Oculum*, *Manum*, *Os oris*, *Bovem*, *Canem* etc. Atqui haec *ducenta Semata* pauca, concreta, peculiaria, elementa et radices *Scripturae Ideographicae* 60,000 Syngrammatum haberi omnino non posse non semel iam animadvertimus.

2. Secunda Regula dicitur *Tchi-sse*, sive *indicatio Imaginis* et Simulacri, quando scilicet imago certa Corporis et figura Obiecti non ostenditur singillatim, et manifestatur aperte, sed tantum indicatur et innuitur. Atqui haec imperfecta et partialis indicatio et manifestatio in nulla *Scriptura Ideographica* locum habere potest.

3. Tertia *Regula* dicitur *Hoei-i*, et notat *adiectionem Ideae*, coniunctionem formae alicuius Ideographicae, additionem elementi cogitabilis. Atqui praecipere et iniungere id ubi agitur de *Scriptura Ideographica* ineptum est: quum omnia *Polysemata Ideographica* fiant adiectione Idearum, adgregatione elementorum cogitationum humanarum. Igitur haec *Regula* numquam spectare potest ad *Scripturam Ideographicam*.

4. Quarta Regula appellatur *Kiao-in* sive *soni explicatio*: Atqui in *Scriptura Ideographica* nullus locus esse potest *Sono* et *Voci*.

5. Quinta Regula appellatur *Kia-tsiéi*, nempe *Tropus*, *conversio*. Atqui si ageretur de *Scriptura Ideographica* loco plane incongruo indicaretur *Metaphora* et *Tropus*, sine quibus ne unum quidem *Polysema Ideographicum* et *Symbolicum* potest confici et efformari. Dicendum ergo hic non agi de *Tropo et Metaphora Ideographica*, sed de alia et diversa.

5. Sexta *Regula* dicitur *Tchouan-tchou* sive *extensio* et *ampliatio Ideae*: Atqui omnia *Polysemata Ideographica* naturâ suâ habent descriptionem et explicationem Ideae compositae et complicatae, sed numquam habere poterunt amplificationem et extensionem. Nam tum essent falsa et abnormia. Ergo etiam haec Regula spectare non poterit ad Scripturam Ideographicam.

## A r t. IV.

*Scriptura Sinensis Communis et Encyclopaedica ex suis intimis characteribus Lexeographica habenda est.*

1. Primo, quia non est *Ideographica*, nec *Alphabetica*; et in hac nostra Oeconomia sola *Scriptura Lexeographica* reliqua est, quae sit possibilis, ut saepius animadvertimus.

2. Secundo, quia est *Sematica*, Amorpha, Cryptica. Quemadmodum difficulter et aegre, *Ideae* et cogitationes humanae, ita faciliter *Voces et Vocabula* Linguarum *Sematibus* et Signis informibus adnectuntur et retinentur. Cujus facilitatis testes sunt locupletissimi omne

*Scripturae Notaricae* et *Tachygraphicae*, quas tum veteres, tum recentiores Gentes usurparunt olim, et modo usurpant. Adeoque si *ducentis Sematibus* Radicalibus Sinensium *Ideae* adnecti non potuerunt, *Verba* omnino et *Vocabula* certae Linguae adnexa fuisse tenendum est.

3. Tertio, quia Scriptura Sinensis communis et Encyclopaedica, *Scriptura* nempe *Polygraphica*, *Metriotypica*, et *Polysematica* illa ipsa *Scriptura* est *Lexeographica*, *Polygraphica*, *Metriotypica*, et *Polysematica*, quam Libro I. Sect. V. Cap. 4. pag. 84. 86. descripsimus. Iidem sunt characteres, eaedem proprietates omnes, ei secundum hos ipsos characteres, et has easdem proprietates *Centuriam Sinogrammatum*, sive *Polysematum Sinensium* sumus interpretati, et una cum *Tabula Rosettana Hieroglyphica* edidimus.

## Art. V.

*Scriptura Sinensis communis et Encyclopaedica habenda est Lexeographica, quia sex illae Regulae Praeceptorum Sinensium unice et plene Scripturae Lexeographicae congruunt et conveniunt.*

1. Prima Regula *Siang-hing*, sive *Imagines*, et *Simulacra* Obiectorum et Corporum convenit *Sematibus* radicalibus, Signis elementaribus *Scripturae Lexeographicae*, quae omnino respondere debent Vocabulis et Nominibus obiectorum substantiarum utiliorum, quae plerumque erunt omnino corporea et visibilia. Nec est praetereundum in Scriptura Lexeographica ipsa *Signa Idearum* non raro adhiberi; sive *Semata* constituta

sumi interdum *Ideographice*: ut loco suo dictum est.

2. Secunda Regula *Tchi-sse*, sive *indicatio imaginum* et simulacrorum, habetur in *Scriptura Lexeographica*, quum indicata *Voce* sive *Nomine* Obiecti, ut fiat certum et perspicuum additur *Sema* obiecti generici ad quod spectat. Adeoque haec Classis complectitur omnia illa Polysemata Sinensia, quae fiunt ex *Semate Soni*, et *Semate Ideae*, sive Simulacro Obiecti generici, ad quod datum *Nomen* spectat, quemadmodum omnia fere illa *Polysemata* sunt, quae significant *arbores*, *frutices*, *pisces* etc. In his enim *Simulacrum* et Imago indicatur tantum et innuitur, non aperte demonstratur, quia non piscis et arbor generica quaeritur, sed haec arbor, puta *Quercus*, *Aesculus* etc. Iste piscis puta Murena, Accipenser, quae minime sunt in *Semate* generico *Arboris* et *Piscis*, sed sunt quidem in toto Polysemate, tum sono, tum indicatione generica *Arboris* et *Piscis*.

5. Tertia *Regula* sive *Classis Hoei-i*, sive additio *Ideae* indicat illa *Polysemata Lexeographica*, quae determinantur per additionem *Signi Ideographici*, quam rationem Libro I. Sect. IV. Cap. I. pag. 58. diximus *Ideocrisim*. Hoc autem pacto plura revera *Polysemata* Sinensia esse facta levi labore arguitur, nosque in Tentamine nostro Sinico non pauca exempla damus.

4. Quarta *Regula Kiao-in*, sive *soni* et *vocis explicatio* illa *Polysemata* indicat, quae maxime per cumulationem *Homiophonorum* obtinentur. Tum enim *sonus* et *vox* quae quaeritur pluribus modis per *Homiophonos* proponitur et versatur, ut facile inveniatur: Exempla sunt in nostro *Specimine*.

5. Quinta *Regula Kia-tsiei*, nempe *Tropus* et *Conversio* indicat illa *Polysemata*, quae potissimum *Tropo literarum*, *Temura*, et *Metagrammatismo* obtinentur. Exempla in nostro *Specimine* non pauca.

6. Sexta *Regula Tchouan-tchou*, sive *amplificatio* et extensio Ideae habetur, quum *Vox* prodosita, quae indicat *Ideam compositam* non per *Homiophona*, non per *Temuras*, sed per *Ideas simpliciores*, quibus constat, exhibetur. Nam tum *Idea*, quae contracte et simpliciter per *Homiophona* vel *Temuras* poterat significari, per ipsa Elementa sua extenditur et dilatatur. Et revera plurima Polysemata Sinensium habere huiusmodi Ideas explicatas certum est. Nosque nonnulla *exempla* in nostro Tentamine afferimus. *Regulae* igitur et *Classes* Praeceptorum Sinensium perfecte congrunnt *Regulis* et *Canonibus Scripturae Lexeographicae* et *Crypticae*, quos investigavimus Libr. I. Sect. IV. Cap. I. pag. 58. et Sect. V. Cap. 3. et 4. pag. 80. 86.

## CAPUT III.

## *Scriptura Oligotypica et Oligographica Aegyptiorum, Sinensium, et Geomanticorum habenda est maxime Lexeographica.*

### ART. I.

### *Scriptura Oligotypica et Oligographica Aegyptiorum, Sinensium, et Geomanticorum est Theologica, Mystica, Divinatoria.*

1. *Scripturam Aegyptiorum Oligotypicam* et *Oligographicam* sive *Linearem* esse Theologicam dubitari non potest, quia adposita est constantissime ad *Prosopogrammata Theologica* et *Hierodramata*, quemadmodum animadvertimus Libro I. Sect. II. Cap. 3. p. 15.

2. *Scripturam Oligotypicam*, et *Oligraphicam* sive *Linearem*, sive *Globulosam* Sinensium in Libro *I-King* esse Sacram, Theologicam, Arcanam, Mysticam, et Divinatoriam Martinius, Semedo, Freretus, Gaubilius, Mailla, Visdelu, Pauw, et quot quot alii de ea locuti sunt affirmarunt; et revera huiusmodi esse ex prolatis Speciminibus utinam amplioribus est omnino certum.

3. Divinatoriam et Astrologicam esse Scripturam Geomanticorum *Oligotypicam*, et *Oligographicam* palam est:

### A r t. II.

*Nulla Scriptura Oligotypica et Oligographica potest esse Alphabetica.*

1. Nam *Alphabeta* naturâ sua sunt *Polygraphica;* et non constant nisi XX, XXX, XL etc. circiter *Typis*. Atqui *Polysemata Linearia* Aegyptiorum et *Sinensium* sunt plusquam LXX. Ergo non sunt *Alphabetica.*

### A r t. III.

*Polysemata Oligotypica super Analogia quadam Ideographica fuisse primum constituta tenendum est.*

Nam palam est omnes *Scripturas* huiusmodi a *Ditypismo* radicali originem ducere, qui *Ditypismus* a profunda aliqua *Theologica* et *Arithmetica* ratione fuit deducendus. Tum earumdem *Sematum* repetitio, varia magnitudo, positio, situs, collocatio varia possunt satis commode respondere ideis et rationibus *Arithmeticis, Musicis, Geometricis*, ut animadvertimus Libro I. Sect. III. Cap. 2. pag. 54.

### A r t. IV.

***Polysemata Oligotypica, et Oligographica Aegyptiorum, Sinensium, et Geomanticorum habenda sunt maxime Lexeographica.***

Nam congruentiae *Ideographicae* cuiuscumque *Disciplinae* esse nequeunt nisi leves, tenues, obscurae, et propterea ad nexum certum, fixum, constantem instituendum omnino necessaria sunt

*Verba* et *Vocabula* certae Linguae et praestantis: Et ea quidem *Verba* duplicis generis. Prima scilicet *Arithmetica*, *Musica*, *Geometrica*, quae immediate *Polysematibus oligotypicis* respondeant, alia vero *Theologica*, *Liturgica*, *Divinatoria*, quae per Temuras, Homiophona, vel calculos *Arithmeticos* Vocibus primis substituantur.

## SECTIO V.

### SCRIPTURA CUNEOFORMIS CHALDAEORUM, MEDORUM, ET PERSARUM HABENDA EST LEXEOGRAPHICA.

### CAPUT I.

### *Scripturam Cuneoformem Chaldaeorum, Medorum, et Persarum in sacris et mysticis Rebus fuisse adhibitam certum est.*

#### ART. I.

***Aedes Persepolitanae, quarum reliquiae etiam modo spectantur, habendae sunt Sacrae et Religiosae, non profani et civilis usus.***

1. Primo, quia Scalarum, Ostiorum, et Adituum numero et amplitudine consideratâ; forma Conclavium et Vestibulorum inspectâ; numero et situ Columnarum aestimato; habitâque ratione Cuniculorum et Cryptarum subiectarum *Aedes sacrae* et religiosae omnino dicendae sunt; quemadmodum eas dixerunt, vel dicere maluerunt Petrus della Valle, Chardin, Niebuhr, Morier, Ker-Porter, aliique, qui eas diligenter inspexe-

runt, et qui hisce in studiis exercitatissimus fuit Comes Caylus in Act. Acad. Inscript. Tom. XXIX. pag. 125. 126.

2. Secundo, quia *Aedes Persepolitanae* magna saltem ex parte caruisse tecto et laquearibus visae sunt solertissimo Chardino Voyag. T. IX. p. 76. 77. Atqui *Aedes hypaethrae*, ut profano et civili usui Regum et Imperatorum sunt ineptae; ita contra plane congruentes et aptae sunt ad Ceremonias et Ritus exercendos multarum Religionum. *Templum* Salomonis, plura Graecorum et Latinorum *Templa* fuisse magna ex parte hypaethra certum est: et plures *Proseuchas* Judaeorum, et Muhamedanorum *Moskeas* esse hypaethras testes oculati Petrus della Valle, et Chardinus retulerunt. Quin Persarum Magi, quorum Dii praecipui ex Herodoto, Xenophonte, Strabone, Clemente Alexandrino, aliisque pluribus fuerunt Coelum sive aether, aer, Sol, Luna, Ignis, non potuerunt uti nisi Aedibus Sacris hypaethris, quas Strabo XV. p. 733. multa cum proprietate σηκους sive septa appellat.

3. Tertio, quia Palatia Regum veterum, Aedes peculiares summorum Imperantium maxime in Asia, et singillatim in Media et Persia tum ob Regiminis asperitatem et frequentes Populorum rebelliones, tum ob bella externa et hostium ferocium irruptiones, tum ob custodiam ingentium thesaurorum, tum quod ipsi Reges invisibiles et inaccessibiles esse deberent, fuerunt semper ut *Castra* munitissima, semper ut *Arces* moeniis robustissimis praeclusae, semper ut *Turres* inaccessae et praecinctae, in quarum amplis spatiis et latissimis areis essent Aulae cedrinae, Cubicula cypressina, Conclavia auro, et argento ornata: ut dicemus iterum paullo post. Adeoque si harum Ae-

dium et Palatiorum descriptiones ex Cap. 1. libri Iudith, ex Libro X. Polybii, ex XVII. Diodori, ex libr. 1. Mosis Korenensis, tum ex Auctore Libri de Mundo, et aliis pluribus desumserimus, et cum descriptionibus *Aedium Persepolitanarum* conferemus, nil magis diversum et adversum poterimus invenire vel cogitare.

4. Quarto, quia ab Axuma ad Upsaliam, a Meaco ad Ulyssiponem nulla Aedes profana veterum Gentium nisi terrâ obruta, nullum Palatium satis integrum, et praecipuis partibus suis constans privatis et naturalibus hominum necessitatibus destinatum aetatem ad nos tulit; nec in ipsa solitaria et separatissima Palmyra: Contra vero plurium *Templorum* et *Aedium sacrarum*, quas olim Aethiopes, Aegyptii, Indi, Syri, Graeci, Itali posuerunt, magnificae reliquiae etiam modo manent et spectantur. Et si in Thebaide quaedam Aedes, quasi Regum sedes habentur, illud est animadvertendum Reges Aegyptios habitos fuisse ut Filios, et Epiphanias magnorum Deorum, adeoque aequum fuisse, ut *Aedes* quibus in maiestate sua essent spectandi, sive ius dicentes, sive Legatos aliarum Gentium audientes, sive in magnis suis solemnitatibus Populo sese ostendentes, *Templis* essent propiores et similiores.

5. Quinto, quia, ut paullo post animadvertemus, *Dramata* et *Scenae* omnes in Parietibus *Persepolitanis* insculptae omnes sacrae et religiosae habendae sunt, non profanae vel civiles.

6. Quod, si quis obiiceret tot Conclavia et Vestibula, quot in *Aedibus Persepolitanis* discerni possunt, haud *Templo* congruere videri: Is ex forma et magnitudine *Templorum* nostrorum vetera, orientalia, et quae in Gente amplissima es-

sent unica parum apte vellet definire. Atqui *Templa* unica Gentium Casticarum necessario amplissima, et pluribus Conclavibus et Vestibulis constare debuerunt. Nam assignandae *Aedes* Numinibus, Sacerdotibus, iisque plurimis, Sacrificulis, Victimis, Nobilioribus, Optimatibus, Regi, et eius Aulicis, et Populo plurimo.

## Art. II.

*Persona honoratior et praestantior, quae in Parietibus Persepolitanis frequenter conspicitur, non Imperator, non Rex, sed Sacerdos maximus, et summus Antistes Magorum habenda est.*

1. Nam Tunica, Cidaris, et omnis fere reliquus ornatus idem plane est, ac ornatus plurimarum *Personarum*, quae hîc illîc frequentes et vario ordine in *Dramatibus Persepolitanis*, quorum Icones Chardin, Lebrun, Niebuhr, aliique desumserunt, conspiciuntur, et qui esse non possunt nisi Sacerdotes Persarum et Magi. Atqui Imperatores et Reges penes omnes Gentes in solemnitatibus suis longe alia veste et alio ornatu utuntur, ac quicumque honoratissimus et dignissimus Civis. Contra vero in *Ordinibus Sacerdotalibus*, et Coenobiticis una ferme est omnibus vestis, unus fere ornatus; adeo ut supremus *Ordinis Antistes* vix saepius Tunica tantum et Veste a postremo Novitio possit discerni. Quamobrem dubitari nullo pacto potest, quin *Persona* illa *honoratior* sit *Antistes* alicuius *Ordinis Sacerdotalis*, sit *Praesul* Collegii ascetici et *hierarchici*, sit *Archi-Magus*.

2. Quod profecto eo magis tenebimus, et iure

tuebimur, si meminerimus quanto cum fastu, et luxu, quanto cum comitatu et apparatu, quot Cohortibus et curribus et equis stipati semper processerint Reges Persarum a Cyro primo ad postremum Iezdegerdem. Profecto si meminerimus quae fuerit *Pompa* Cyri apud Xenophontem libr. VIII., quae Xerxis apud Herodotum libr. VII. quae Darii Codomani apud Curtium libro III. *Persona* illa *Persepolitana* vix videri poterit tenuis et humilis *Antistes Ascetarum*, vix *Praesul* modestissimus *Magorum*, vix *Archi-magus*.

3. Quin non uno in fastu, et comitatu, et curribus et equis est discrepantia, sed in ipsis vestibus, in ipsa cidari, in ipso ornatu, quae omnia longe diversa fuisse Regibus Persarum tum ex Nummis,. et aliis Monumentis, tum ex ingenti numero testimoniorum veterum, quae Brissonius de Regno Persarum libr. 1. et Mongez in Act. Instit. Gallic. Tom. IV. 1810. collegerunt, est manifestum.

4. Quod, si aliquis est, cui *hastae*, *gladii*, *scuta*, *arcus* haud videantur Sacerdotibus et Ascetis congruentia et idonea: Is meminisse debet non omnem ornatum maxime Sacrum esse *Cyrioschematicum*, sed partem esse omnino *Symbolicam* et *Allegoricam*: Et si nobis Symbolice praecipitur, ut *induamur arma Lucis*, ut *sumamus scutum Fidei*, et *gladium Spiritus*; et si institutum solemne Magorum erat pugnare acerrime et pertinacissime in *Arimanium*, ut *Hormusdis* Imperium reducerent; utique non modo non incongruum, sed plane conveniens huius Sacrae militiae symbola Sacerdotibus tradere: Et si in ipsis *Aedibus Persepolitanis* plures Sacerdotes exculpti sunt ingenti machaera transfodientes fera aliqua animalia

symbola *Arimanii*, potuerunt utique Armis Magi exornari ad pugnas huiusmodi Symbolicas significandas: Quin dicam potius physicas, reales, et veras. Nam Magi tenebantur omnia Animalia noxia, Serpentes, Scorpiones, Lupos, Tigres necare, quod profecto sine armis saepius facere non poterant. Οἱ δὲ Μαγοι, scribit Herodotus libro I. cap. 140, αυτοχειριη παντα, πλην κυνος και ανθρωπου, κτεινουσι. Scilicet: *Magi omnia animalia, praeter canem et hominem, propriis manibus* et armis *necant*. Non modo igitur aequum fuit, sed plane necessarium exhibere Magos armatos.

## A R T. III.

*Dramata et Scenae, quae in Parietibus Persepolitanis sunt exculptae, omnes Sacrae et Religiosae habendae sunt.*

1. Primo, quia *Pontifex* ille, quem diximus, frequens in eis conspicitur, sive sedens, sive stans, sive ambulans.

2. Secundo, quia *Altare* illud characteristicum Magorum, ex quo luculentae et amplae flammae *Ignis Sacri* exsurgunt: adstante summo *Antistite*, et sacro eius *Feruere* conspicitur in sex *Sepulcris*, quae sunt in proximo monte.

3. Tertio, quia *Sacerdotes* adsunt plurimi, et multorum ordinum, et magno agmine. Atqui *Sacerdotes* maxime *Castici* nisi in locis puris sacris religiosis consistere et morari non possunt.

4. Quarto, quia maxima illa *Pompa*, qua munera, oblationes, et victimae varii generis ducuntur, non potest esse nisi Sacra, quod iamdiu plerique affirmarunt et rectissime tenuerunt. Quod si *Sacerdotibus* Personae profanae, et quas nos

saeculares modo dicimus immixtas cernimus, id factum, quod *Festa*, et Solemnitates Sacrae nuspiam ab unis *Sacerdotibus* conficiuntur, sed a profanis maxime, quia pro Populo ipso sunt *Festa* instituta, et nisi Populus adest, nisi *Sacerdotibus* Profani coniuncti sunt, *Festum* nullum et solemnitas Sacra nulla erit apud quamcumque Gentem.

5. Quinto, quia hîc illîc sunt exculpta animalia Sacra *Canis* Symbolum Angeli Psychopompi: *Taurus* symbolum *Tauri Protogoni* ab *Arimanio* necati, et *Leo* symbolum *Mithrae*, vel ipsius Hormusdis: Tum alia *Mythica*, *Symbolica*, *allegorica*, de quibus non est hîc disserendi locus.

## A R T. IV.

### *Inscriptiones Cuneoformes Persepolitanae habendae sunt Sacrae et Theologicae.*

Nam appositae sunt ad muros *Aedium* Sacrarum, ad parietes *Templi* divini, ad *Dramata Sacra* et religiosa, ad *Typos* et formas Mysticas et Theologicas: Et minime dubitare fas est, quin *Inscriptiones illae*, vel ipsas illas *Aedes*, illa *Dramata*, illos *Typos* recta et immediate spectent, vel attingant quidquid cum illis intime adiunctum et connexum est. Et quoniam novimus ex Herodoto, Xenophonte, Diodoro, Strabone, Curtio, Ammiano Marcellino, aliisque pluribus nullum *Sacrum* a *Magis* peractum absque precibus, orationibus, carminibus, επωδαις: Hinc omni iure tenebimus, et Sacras *Formulas*, et Mysticas praecantationes, et sacerrimas επωδας, et ipsam, quam Herodotus appellat θεογονιην, et *precationes conceptas* Ammiani in ipsis illis *Inscriptionibus* contineri.

In his autem Precibus, Hymnis, Carminibus potuisse iniici laudes *Regum* beneficorum, et piorum probabile est: At haec *Regum* Elogia numquam peculiaria et independentia, sed semper cum laudibus *Deorum* erunt intime sociata et immixta.

Praeterea *Inscriptiones Persepolitanae* appositae plerumque sunt ad limina Portarum et Ostiorum, et quod caput est iisdem Cuneis et Angulis hinc inde, et in pluribus Ostiis et Aditibus repetuntur. Atqui huiusmodi repetitio, ut absurda est de Elogiis Regum civilibus, ut inepta de Imperatorum laudibus Historicis et Chronologicis, ita plane conveniens Divinis laudibus, et elogiis Theologicis, et Formulis Liturgicis, et praecantationibus Magicis et averruncis. Tandem si Hierophantae Aethiopes et Aegyptii potuerunt parietes immanium Templorum suorum implere totos Scripturâ suâ Sacrâ, arcanâ, mysticâ, Theologica, utique et Magi Persarum potuerunt mysticas et religiosas *Inscriptiones* parietibus Templi sui insculpere.

## A r t. V.

### *Inscriptiones Cuneoformes positae ad Cryptas Semiramocertae ad Lacum Van etiam Sacrae Theologicae et mysticae sunt habendae.*

1. Regimina Castica absque ordinatissima *Hierarchia*, absque absoluta unitate *Doctrinae* et *Liturgiae*, morum, et habituum consistere firmiter, et servari diu nequeunt. Et quoniam haec unitas *Doctrinae* et morum obtineri non potest absque unitate absoluta Loci centralis, et *Sedis hierarchicae*, ideo necesse omnino fuit singulis ordinibus Casticis constituere *Urbem*, Oppidum, Castrum, Templum aliquod ingens, quo summus

Antistes, et praecipui Doctores et Praeceptores morarentur, qui in Adytis; et Cryptis, et profundis Specubus filios, fratres, nepotes, cognatos suos in Scientiis, Scriptura, Linguâ propriâ et Sacrâ, in Artibus suis possent secure, diu, plene, et perfecte instruere et edocere. Ideo necessaria fuit Benares Brachmanibus, Thebae Hierophantis Aegyptiis, Persepolis Magis Persarum, et adeo Semiramocerta Chaldaeis, et Magis Medorum eorum progonis. Et qui profecto descriptionem huius sive *Urbis* sive Castri a Mose Korenensi factam perlegerit, aperte colliget *Castrum* illud fuisse sedem penitissimam et profundissimam et securissimam Chaldaeorum et Magorum. Quin egomet possem id aliis etiam argumentis suadere, explicata scilicet natura Symbolica *Semiramidis*; sed neque hic locus patitur huiusmodi disquisitionem, nec si pateretur posset id rite fieri absque notitia *Canonum* nostrorum *Historosophicorum.* Quamobrem si *sedem Hierarchiae* principem, si arcanas Cryptas, si centrum Magicae potestatis et maiestatis non elogiis Regum Medorum, non laudibus Xerxis, vel Darii, sed contra sacerrimis praecantationibus necesse fuit muniri, purgari, consecrari, addici; si aequum fuit totius etiam chori Deorum suorum invocationibus et praestantissimis hymnis a profanorum invidia tueri: Utique has ipsas επῳδας, et laudes Deorum, et Theogonias, et Cosmogonias, et Proto-historiam, et cetera Sacra huiusmodi in *Inscriptionibus Cuneoformibus* appositis ad lacum Van contineri credere aequum est.

2. Praeterea *Inscriptiones Cuneoformes*, de quibus loquimur, insculptae pleraeque fuerunt in praeruptis et abditis locis, ad Cryptas profundas, naccessas, ad sedes moeniis validissimis, et portis

aeneis praeclusas : quae loca ut opportunissima *Inscriptionibus mysticis*, arcanis, religiosis, ita ineptissima elogiis Regum, laudibus Imperatorum, encomiis magnorum Ducum; quae ab omnibus plane Gentibus in patentissimo loco, in viis celebratissimis ponuntur. Et *Inscriptiones* profecto a Regibus Assyriis et Persis positae, quarum Herodotus, Diodorus, Strabo, aliique meminerunt in locis omnino manifestis et patentibus fuerunt positae. Habendae igitur sunt Sacrae, Theologicae, *Mysticae Inscriptiones Cuneoformes Semiramocertae.*

## ART. VI.

*Scripturam Cuneoformem in sacris et mysticis et arcanis rebus fuisse adhibitam ex aliis etiam Monumentis patet.*

Nam *Cylindros, Lateres*, et *Lapides Cuneograptos*, quae ex Assyria, Chaldaea, Perside, et etiam Aegypto collecta vel ediderunt, vel illustrarunt Caylus, Murr, Hager, Hammer, Rich, Bellino, Landseer, Price, aliique fuisse amuleta, apotropaea, telesmata, mystica instrumenta ex peculiari sua forma, ex Typis, et Dramatibus adiectis, et Schematibus Hieroglyphicis, quae quandoque solent adiungi, iidem docti Viri, et alii plures, qui ea inspexerunt et tractarunt, summo iure tenuerunt et praedicarunt. Quin, quum constet ex sollertissimis Testibus oculatis Beauchamp, Rich, et Ker-Porter *Lateres Babylonios* in ipsis Parietibus obtrusos, ubi legi et conspici a nemine poterant, aeque constare debet in unum usum Mysticum et *Telesmaticum* adhiberi potuisse.

## CAPUT II.

## *Scripturam Cuneoformem fuisse Sacerdotalem et mysticam, et omnino propriam et peculiarem Chaldaeis et Magis tenendum est.*

### ART. I.

***Nulla Casta Sacerdotalis, nulla Tribus Sacerdotum hereditaria carere potuit Scriptura sua propria et peculiari, cuiuscumque generis et naturae ponatur.***

Nam absque *Systemate* aliquo *Graphico*, sive *Schematico* sive *Sematico* certo et plane constituto nec *Systemata* certa et definita *Theologiae* et *Liturgiae* facile condi possunt, nec diutius servari; nec ampla et numerosa *Hierarchia* potest rite constitui et perfecte administrari. Quin absque miris, insolitis, ignotis, sive *Schematibus*, sive *Sematibus* praestringi oculi Populi et Vulgi non possunt, et ita falli et decipi, ut integram Tribum, penitus sanguine extraneam, sibi imponat alendam, colendam, adorandam. At contra *datâ* aliquâ *Scripturâ* propria et peculiari *Systemata Theologica* et *Liturgica* certa, fixa, constantia conduntur, et servantur diutissime: Et certis quasi *Tesseris* et *Symbolis* Sacerdotes inter se noscuntur et distinguuntur, ordinantur, et congregantur: Et quod caput est Populus universus extranea et mirifica *Semata* vel *Schemata* laudans facile iugum eorum suscipit et fert. Haec autem *Systemata Graphica* ex intima necessitate *Regiminis Castici*, esse arcana, et incommunica-

bilia iam superius monuimus; et iterum monebimus; Si enim essent plana, facilia, et quae levi negotio Populo communicarentur et traderentur, ipsum Regimen penitus concideret et rueret: Hinc Aethiopibus et Aegyptiis, qui *Regimine Castico* usi sunt, non unum modo, sed triplex *Systema Graphicum* arcanum fuit et incommunicabile: Primum nempe *Megaloschematicum*, *Theographicum*, *Hiero-Emblematicum*, et *Hierodramaticum*: alterum *Microschematicum*, et quod per excellentiam, etsi minus proprie, dicere possumus *Hieroglyphicum*: et tertium *Hieraticum*. Triplex etiam et fuit et est etiam modo Brachmanibus Indiae *Systema Graphicum* arcanum et incommunicabile: Primum *Theographicum*, *Hieroschematicum*, et *Herodramaticum*: Alterum quod dici etiam potest *Microschematicum* et *Symbolicum*, et cuius Specimina dederunt P. Paullinus in *Itinere* Pag. 297. et in *Ivacarana* pag. 217. et Kircherus in Oedipo Tom. III. Pag. 23. si fides est: Tertium vero *Alphabeticum* quidem, sed acerrime custoditum ab attactu ceterarum Tribuum, et per 8000 nexuum factum difficillimum, et naturae potius Lexeographicae.

Qui autem obiicere vellet ordinem Hierarchicum *Druidum Gallorum*, qui absque ullius *Sacrae Scripturae* ope et usu Sacerdotale imperium in Gentem amplissimam et diu exercuerunt, is meminisse debet *Druides Gallorum* haud spectasse ad Tribum hereditariam et incommunicabilem, et quae nullo sanguinis et affinitatis vinculo cum ceteris Gallis esset sociata; imo *Druides* ex omnibus praestantibus familiis et insignioribus viris seligebantur, vel excipiebantur. Quo delectu quum *Druides* essent filii, fratres, cognati, agna-

ti, affines potentiorum et praecipuorum inter Gallos una Lingua Sacra, et viginti Annorum pertinacissima Institutio satis esse potuerunt ad Hierarchiam diutius servandam: Quin Gallorum ipsorum intererat cognatos et affines tueri et servare. At longe alia res est ubi agitur de Tribu, et Casta, quae ab unis Diis se ortam iactat, quae nulli alteri Tribui per nuptias miscetur, arcana, incommunicabili, quae adorari vult, et simplici etiam attactu reliquorum Civium polluitur et inquinatur. Haec profecto Tribus, et Casta, nisi profundum, amplum, mirum aliquod *Systema Graphicum* sibi constituerit, quo fucum et speciem faciat Populo, numquam ab aliqua Gente in Sacerdotium, et Imperium, et adorationem adsumetur.

## A R T. II.

*Chaldaeos Babyloniorum et Assyriorum, atque Magos Medorum et Persarum spectasse ad Castam Sacerdotalem, et Tribum hereditariam certum est.*

Quoad *Chaldaeos* id patet ex Cap. XIV. Danielis, ex Libro II. Diodori, et ex XV. Strabonis pag. 727. et colligitur manifeste ex aliis pluribus, qui de huiusmodi Sacerdotibus egerunt. *Magos Medorum* et *Persarum* constituisse certam *Tribum hereditariam* colligitur ex Oppidis ipsis adsignatis, et sedibus certis ab se unis occupatis, quarum meminerunt Plinius lib. VI. cap. 26. Strabo libr. XV. p. 727. Clemens Alexandrinus Stromat. Libr. VI. pag. 632. Tum ex Nuptiis incestis, quas uno ore Veteres plurimi Magis tribuerunt, quorum Scriptorum auctoritates collegerunt iam-

diu Coelius Rhodiginus ant. Lect. Lib.X. cap.18. Tiraquellus de Leg. Connub. Freinshem. et Minellius ad Curtii libr. VIII. cap. 2. Vulpius ad Catulli Carm. XC. et alii. Atqui Nuptiae incestae a quibus et bruta animantia abhorrere dicuntur, quidquid esse possit de arcana aliqua ratione Theologica, oriri non potuerunt, nisi quod saepius defuissent mulieres idoneae, et strictissimi officii putarent liberos gignere: quae nonnisi in strictissimo et *severissimo Casticismo* possunt inveniri. Et tandem patet ex testimoniis Apuleii de Magia, Luciani de Macrobiis, Diogenis Laertii in Prooemio, et aliorum plurimorum, maxime vero Ammiani Marcellini libro XXIII. p.305.

A r t. III.

*Nullam Scripturam Schematicam, Polygraphicam, Hieroglyphicam, qua Systemata sua Theologica et Liturgica conderent et exprimerent, Chaldaeis et Magis fuisse certum est.*

1. Primo, quia si *Chaldaei et Magi* adhibuissent *Scripturam Hieroschematicam, Hieroglyphicam, Theographicam*, quemadmodum adhibuerunt *Aethiopes, Aegyptii, Indi Brachmanes, Indi Buddistae, Syri, Phryges, Etrusci, Graeci, Romani*, et si vis *Galli*, et *Slavi*, quemadmodum plurima Monumenta *Scripturae* horum *Hieroschematicae* ad nos pervenerunt, ita etiam secundum eumdem necessarium Naturae ordinem ex *Hierographia Schematica Chaldaeorum*, et *Persarum* superfuissent reliquiae, et ad nos pervenissent. Atqui, ut notum est, praeter paucissima Specimina, quae nihil fere sunt, nulla insignia *Hieroschemata Theographica*, et

*Hieroemblemata*, quae amplitudini Systematum responderent ad nos pervenerunt. Numquam ergo fuisse *Systema* aliquod *Hieroschematicum* et Polygraphicum *Chaldaeis* et *Magis* certo tenendum est.

2. Secundo, quia cum certissimum sit *Chaldaeos Babylonios* Solem, Lunam, Stellas ϛοιχεια coelestia coluisse, et *Liturgiam* suam fere totam in Siderum inspectione et calculis *Astrologicis* constitisse: Tum *Magos Persarum* Ignem, Terram, Aquam, Aerem ϛοιχεια terrestria adorasse, quae minime egent *Figuris Symbolicis*, et formis allegoricis: certissimum aeque est ne potuisse quidem ab eis constitui et condi *Scripturam Hieroschematicam* et *Hieroglyphicam*.

3. Tertio, quia aeque certum est, ut et paullo post iterum animadvertemus, *Persas* potissimum Achaemenidum aetatis fuisse maxime *Iconoclastas*, et caruisse Delubris, et Domibus Deorum, et Aedibus sacris, et signis, et statuis, et altaribus, sine quibus ne possibilis quidem est *Scriptura Hieroschematica*, et *Hieroglyphica*. *Chaldaeos* porro nemo quidem tradidit fuisse vere et proprie Iconoclastas; sed quoniam constat in amplissima Babylone, qua et plurimas sectas Sacerdotales esse necesse fuit, extitisse Templa et Theogrammata, et Asterolatras, ut fuerunt Chaldaei, esse necessario Iconoclastas, et illa Theogrammata ad nos non pervenisse, tenendum est non a Magis tantum, sed etiam a Chaldaeis fuisse excisa et eversa.

Ergo nec *Chaldeis*, nec *Magis* esse potuit *Scriptura* aliqua *Polygraphica Hieroschematica*, *Theographica*, *Hieroglyphica*.

A R T. IV.

***Chaldaeos et Magos adhibuisse Scripturam Cuneoformem certum est.***

Nam si *Scriptura Cuneoformis* in quacumque hypothesi possibili tribui non potest nisi doctis et literatis viris, et docti et literati viri fuerunt apud Babylonios et Assyrios maxime *Chaldaei*, apud Medos et Persas *Magi*, utique *Scriptura Cuneoformis* a Chaldaeis et Magis fuit adhibenda.

Praeterea si sacra, religiosa, astrologica apud Babylonios et Assyrios uni attingere poterant *Chaldaei*, apud Medos et Persas uni *Magi*; et *Inscriptiones Cuneoformes* Cylindrorum, Lapidum, Laterum, et Parietum *Persepolis*, ut demonstratum est Cap. 1. p. 231. 234. habendae sunt sacrae, utique *Scriptura Cuneoformis* tribuenda omnino est *Chaldaeis* Babyloniorum, et *Magis* Persarum.

A R T. V.

***Assyrios et Babylonios, Medos ac Persas ab aetate saltem Isaiae Prophetae, et Ezechiae Regis Iudae in Civilibus et socialibus usibus suis adhibuisse Scripturam Alphabeticam Hebraicae similem certum est.***

Id enim constat ex libris Tobiae, Danielis, Esther, Esdrae, Nehemiae; ex Herodoto, Xenophonte, Thucydide, Ctesia, Diodoro, Strabone, aliisque plurimis, qui meminerunt Epistolarum, Edictorum, Inscriptionum, Syngrapharum, et Adversariorum Chronologicorum, saepe singillatim monentes scripta haec *Litteris Assyriis* vel

*Syris*, quas utcumque similes fuisse Scripturae Hebraicae, et longe dissimiles a *Cuneogrammis* nemo umquam dubitavit. Et quamvis monumenta *Alphabeticae Scripturae Persarum* vetustissima ad nos, quantum ego scio, non pervenerint, duo tamen Alphabeta aetatis Sassanidum lapidibus insculpta, et duo alia in libris adoptata penitissime diversa a *Polysematibus Cuneoformibus*, et similia *Alphabetis Hebraicis*, vel *Syris* satis sunt ad illum usum, quem dicebamus, clare ostendendum.

## A r t. VI.

*Ergo Scriptura Cuneoformis dicenda omnino est propria et peculiaris Chaldaeorum et Magorum, adeoque arcana, mystica, et incommunicabilis.*

*Chaldaei* et *Magi* carere non potuerunt Scriptura sua propria et peculiari. Nulla alia esse potuit Scriptura propria et peculiaris *Chaldaeorum* et *Magorum*, quam *Cuneoformis*. *Chaldaei* et *Magi* revera usi sunt *Scripturâ Cuneoformi :* Ergo *Scripturam Cuneoformem* ut propriam et peculiarem *Chaldaeorum*, et *Magorum* habere necesse est.

Et quoniam Scriptura propria et peculiaris Sacerdotum Casticorum necessario est arcana, mystica, incommunicabilis: *Scriptura* igitur *Cuneoformis* habenda est arcana, mystica, incommunicabilis.

## CAPUT III.

### *Scriptura Cuneoformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum rari admodum et difficilis, adeoque arcani et mystici usus dicenda est.*

### Art. I.

*Scripturam Cuneoformem fuisse Scripturam certam, solemnem, insignem, dubitari non potest.*

Nam ita accurate et nitide, ita diligenter et perspicue est efformata, ut nemo fere, qui eam inspexerit, admiratione non fuerit correptus: Et maxime ubi eam comparaverit cum quacumque *Scriptura* Sematica, cum qualicumque *Inscriptione* Gentium Orientalium, apud quas, paucissimis exceptis, *Scriptura Alphabetica* est semper inconcinna, tortuosa, abnormis, implexa. Et quoniam *Scripturâ* accuratissimâ et diligentissimâ solemnia tantum, praestantia, insignia condi possunt; quin magna, gravia, insignia, solemnia *Scripturâ Cuneoformi* sint condita dubitare fas non est; Et maxime si meminerimus plura *Alphabeta Syrae* vel *Assyriae* formae apud *Chaldaeos, Medos*, et *Persas* iamdiu obtinuisse, ut modo diximus.

## Art. II.

*Monumenta Scripturae Cuneoformis habita ratione tum diuturnitatis temporis, tum amplitudinis et potentiae Gentium, apud quas invaluit, sunt plane paucissima et exigui numeri.*

Nam si quis *Inscriptiones Cuneoformes*, quotquot adhuc collectae sunt, et quae sint invicem diversae, unâ ederet, vix Libellum haberet centum pagellarum, et si quis daret posse adhuc totidem detegi et colligi, quod nimium est, spectata incredibili curâ, quâ solertissimi Angli potissimum, et Galli Assyriam, Mediam, Persiam peragrarunt et lustrarunt, ducentarum paginarum Libellum obtineremus, Thesaurum profecto in nostra inopiâ inaestimabilem, sed Specimina plane tenuissima solemnis et praestantis *Scripturae*, quae per plusquam decem saecula obtinuerit apud *Assyrios*, *Syros*, *Armenos*, *Chaldaeos*, *Medos*, et *Persas*, et in maximo harum Gentium splendore et potestate.

## Art. III.

*Scripturae Cuneoformis Chaldaeorum et Magorum vel nemo, vel fere nemo Graecorum et Latinorum clare et perspicue meminit.*

Nec egomet proprio marte, nec per aliquem alium potui hactenus detegere unum Scriptorem sive Graecum, sive Latinum, sive Iudaeum etiam, qui *Scripturam Cuneoformem* descripserit, vel clare saltem indicaverit. Plinius libr. VII. cap. 56. agens de *literis Assyriis* minime ad *Cuneogram-*

*mata* spectare potuit; nec *Lateres*, quibus *Observationes siderum* inscribebantur ab Astronomis, esse possunt *Lateres* illi *Magici*, qui detrudebantur in parietes ad tutelam *Telesmaticam*. Diogenes Laërtius in vita Democriti Libris huius Philosophi, quos Thrasyllus digesserat, addit etiam Libellum περι των εν Βαβυλωνι ἱερων γραμματων. Sed quaenam est huiusmodi *Babylon*, *Aegyptiane* an *Chaldaica?* Atqui viri doctissimi Reinesius *Var. Lect.* I. Cap. 22. Gale ad *Iambl.* p. 185., Menagius ad *Laert.* Pag. 416. de Aegyptiâ intelligunt. Sed fac agi de *Chaldaica*, ut equidem reor, quid tum? Tenue adhuc testimonium.

Si quis porro tenere vellet etiam Columnam illam *Acicari*, ex qua idem *Democritus* apud Clementem Alexandrinum Strom. libr. I. p. 303. excerpsisse *Sermones* Ethicos *Babylonios* dicitur, fuisse etiam *Cuneogrammis* descriptam, erraret omnino. Nam quum *Sermones* Ethici et Paraenetici naturâ suâ ad Populum universum, vel ad plerosque certo dirigantur, scribendi sunt *Scripturá* Populari et communi, vel utcumque facili et parata. Atqui fuisse usum *Babyloniis* Scripturae Alphabeticae Hebraicae similis, adeoque facillimae et popularis certum est; et aeque certum *Scripturam Cuneoformem* singillatim *Chaldaicam* esse, dato quocumque possibili Systemate, longe difficillimam et prorsus abstrusam. Quamobrem, si revera *Babylone* erecta fuit ab *Acicaro* Columna, qua praecepta *Ethica* tradebantur, omnino dubitari non licet, quin *Scripturá Alphabeticá Assyriá* vel *Syrá* fuissent exarata: Quod eo magis tenebimus, si meminerimus Laertium inter libros Democriti simpliciter adnumerasse Χαλδαικον λογον, quemadmodum et Φρυγιον λογον.

Sunt porro alii, qui putant Graecos et Latinos non quidem descripsisse, sed saepius indicasse *Scripturam Cuneoformem* sub nomine *Scripturae Assyriae* vel *Syrae*. Sed haec opinio falsa est et absurda. Graecos et Latinos minime novisse *Scripturam Cuneoformem* possibile est: Novisse, et noluisse describere possibile est; Sed novisse, spectasse, voluisse posteris significare, et eam dixisse tantum *Assyriam* vel *Syram* hoc profecto fieri non potuit.

1. Primo, quia tanta est diversitas *Scripturae Cuneoformis* a quacumque *Alphabeticâ*, singillatim *Syrâ*, *Assyriâ*, *Persicâ*, maxime si *Cuneoformis* spectetur, ut revera est, in suis Monumentis nullis punctis distincta, ut nemo esse possit doctus, indoctus, sollers, hebes, qui non advertat, non adnotet, verboque saltem immanem discrepantiam significet. Et propterea nemo adhuc fuit ex plurimis Europaeis, qui a saeculo XVI. de ea loquuti sunt, qui peculiaribus nominibus, et singulari aliqua descriptione non significaverit.

2. Secundo, quia per *Assyriam*, *Syriam*, *Persidem* plura Alphabeta adhibebantur Homiohebraica, quum illi Graeci et Romani scribebant: Adeoque nulla gravior contumelia Viris solertissimis et doctissimis fieri potest, quam affirmare eos unâ et frigidâ voce *Literas Homiohebraicas*, et *Scripturam Cuneoformem* designasse, et quidem non semel, non bis, sed per decem fere integra saecula.

3. Tertio, quia si huius opinionis Auctores, qua penitus hebetes praestantissimos Graecorum et Latinorum Scriptores declarabant, aliquâ diligentiâ eorum loca perlegissent et excussissent, nullo negotio vidissent in omnibus illis locis, nullo exce-

pto, agi de *Scriptura Alphabetica* Homiohebraica, non de alia, et diversa penitus, ut est *Cuneoformis*. Certum est igitur ex locis hactenus notis Scriptorum Graecorum et Latinorum nullum posse excitari, in quo *Scripturae Cuneoformis* clara et aperta significatio contineatur.

## Art. IV.

*Nullâ aliâ ex caussâ tam pauca Monumenta Cuneograpta potuerunt condi, nisi ex summa Scripturae difficultate, exque eius mystica et cryptica destinatione.*

Nam si *Scriptura Cuneoformis* fuisset facilis et levis operis, si plurimi, et frequenter adhibuissent: si Imperatorum bella, si Ducum facta, si Regum gesta, si elogia magnorum Virorum eâ Scripturâ condita fuissent, omnino plurimae *Cautes Armeniae*, et *Mediae*, plurimae *Petrae Syrae*, *Persicae*, *Bactrianae Cuneogrammis* fuissent exaratae. Ab aetate enim Isaiae Prophetae, usque ad tertium Iezdegerdem plurimi Reges fuerunt, plurimi Imperatores, et Duces in *Assyria*, *Chaldaea*, *Media*, *Armenia*, *Perside* extiterunt bello clarissimi et potentissimi. Atqui, ut indicavimus, plane paucissima sunt prae amplitudine Gentium, et temporum diuturnitate *Monumenta Cuneograpta*.

2. At si contra ponimus fuisse eam difficilis et arduae compositionis, asperi et gravis operis, si tenemus adhiberi eam tantum potuisse ad *Mysteria* et arcana Religionis describenda; ad *Theogoniam*, *Cosmogoniam*, *Protohistoriam* condendam: tantum ad Aedes et sedes centrales et principes *Ordinis Hierarchici* consecrandas et san-

ctificandas in divinum cultum: tum omnino evidenter perspiciemus non potuisse nisi paucissima esse *Monumenta Scripturae* huiusmodi. Nam *Ordo Hierarchicus* non potest uti nisi una *Sede centrali* et *Metropolitica*, adeoque conditâ *Semiramocerta Chaldaeis*, et *Persepoli Magis* omnis fere labor est absolutus et perfectus: Et quum *Chaldaei* ac *Magi* respuissent Simulacra Deorum, Obelos, Pyramides, quibus aequum fuisset Sacras *Inscriptiones* adponere, amissa est frequentissima occasio adhibendi *Scripturam* hanc *Sacram*. Et propterea non restant nisi quaedam *Amuleta*, et *Talismanes*, et ea etiam parce et sobrie condenda, ne *Scriptura* arcana in manibus Plebis et Vulgi fiat vilior, et notior.

## Art. V.

*Nullae aliae esse potuerunt caussae silentii Graecorum et Romanorum de Scriptura Cuneoformi, quam summa raritas Monumentorum, et eius usus mysticus et arcanus.*

1. Ubi Monumenta alicuius Institutionis sunt admodum rara, ubi difficulter occurrunt, ubi frequens sermo de eis non agitatur, etiamsi aliquando spectentur, necessario negliguntur, et abiiciuntur: tum quia parum nota, vel penitus ignota, tum quia plurimorum interesse non possunt. Quamobrem etiam si occurrissent Graecis et Romanis aliquot *Monumenta Cuneograpta*, vel nulla aequa occasio offerri eis potuit, qua ea describerent, vel ut prorsus ignota praeterire et contemnere potuerunt.

Et si vergente iam ad finem saeculo XVII. Vir praestantissimus *Thomas Hyde* pluribus certo

Graecis et Latinis in *Persarum* et *Chaldaeorum Archaeologia* doctior, postquam *Scripturam Cuneoformem* accurate descripsissent, et eius insuper specimina edidissent Petrus della Valle Italus, Figueroa Hispanus, Flower, Herbert, et Mendelshoe Angli, Thevenotus, et Chardinus Galli, potuit eam habere, ut *Sculpturam ornamenti caussa*, ut *merum lusum Architecti*: De Relig. Vet. Persarum Pag. 556. 557. quidni id etiam fecissent plurimi *Graeci* et *Latini* etiamsi *Semiramocertam* ipsam, et ipsam *Persepolim* diutissime spectassent?

2. Quin quum ab aetate Xerxis non orientales modo Gentes, sed etiam occidentales, tradente Plinio libr. XXX. Cap. I. quasi rabido furore acti *Magica* et *Theurgica* quaesierint et tentaverint, et nulla *Magica* absque signis et sematibus et lineis esse possint, longe probabile est *Graecos* et *Romanos Sigilla* et *Cylindros Cuneograptos*, quae inspexissent, habuisse pro *Magicis*, *Mysticis*, et *Theurgicis*, ut revera erant, et sacro pavore, de more, perterritos non ausos fuisse de illa *Scriptura* mentionem iniicere; quemadmodum de *Vasis Sepulcralibus*, quae in iure Deorum Manium arcano putabant esse, etsi ea essent innumera, et artis praestantissimae; ut et de *Gemmis Abraxeis* pariter *Magicis* et *apotropaeis* nullam vel fere nullam umquam mentionem iniecerunt.

## CAPUT IV.

## *Elogia propria et peculiaria Regum Persarum Achaemenidum lingua Zendica descripta in Persepolitanis Inscriptionibus numquam poterunt inveniri.*

### ART. I.

*Primo, quia Elogia propria et peculiaria etiam Regum et summorum Imperantium Sacrâ et mysticâ Scripturâ non possunt describi.*

Nam *Elogia* propria et peculiaria *Regum* et Imperatorum destinantur universo Populo, proponuntur ut a plurimis legantur et percipiantur. Atqui *Scriptura Sacra* et *mystica* nonnisi a paucissimis nosci potest. Praeterea *Scriptura Sacra* et *mystica* mystica tantum et sacra attingit: adeoque si *Elogia Regum* et summorum *Imperantium* laudibus magnorum *Deorum* copulantur et immiscentur, poterunt rectissime *Scripturâ Sacrâ* condi, sed si sint peculiaria et propria, si pure historica et civilia fiant, numquam poterunt eâ contineri.

### ART. II.

*Secundo, quia Reges Achaemenidae numquam fuerunt Pontifices Magorum, nec umquam Magos impense et vehementer foverunt.*

1. Aedes *Persepolitanae* condi non potuerunt, nisi a *Regibus Persarum*, qui *Magos* vehemen-

tissime diligerent, qui *Metropolim* et Castrum centrale *Magismo* vellent constituere, qui Religionem *Zoroastraeam* aeterno monumento stabilire, et dilatare satagerent, qui Tribum et *Castam Sacerdotalem*, centro *Hierarchico* constituto, sedibus vastissimis, et conclavibus plurimis ad plenarias *Panegyres*, *Concilia*, et consilia ineunda opportunissime constitutis, honoratissimam et potentissimam vellent reddere et efficere.

2. Atqui contra certissimum est *Reges Achaemenidas* non modo non fovisse et dilexisse *Magos*, non modo *Magismo* non favisse; sed animo in eos infensissimo fuisse, et alias potius *Religiones* dilatare fuisse conatos. Quam atrociter *Reges Persarum Achaemenidae* odissent *Magos*, tum ex postrema adlocutione *Cambysis*, quam Herodotus lib. III. c. 65. servavit, patet: Tum ex horrenda strage *Magorum* a Coniuratis et ceteris Persis peracta, quum *Magus*, qui Imperium usurpaverat, necatus fuerat. Tum ex festo solemnissimo ob istam ipsam eaedem a *Persis* universis instituto, et quod celebrabant adhuc aetate Herodoti, et serius etiam aetate Ctesiae Cnidii: ut patet ex eius Excerptis pag. 640. ed. Gronov. et cuius etiam meminit opportunissime ad rem prudentissimus Agathias Scholasticus libr. II. pag. 65. Quo festo *Magi* domi clausos semper se continebant, ne et ipsi necarentur. Haud porro favisse *Magismo*, minime *Magorum* religionem praetulisse vel dilatasse, inde etiam patet, quod *Cyrus* et alii *Reges* more Persico et Deos suos Patrios, et θεους βασιλικους proprios, nempe *Achaemenidum*, ut *Cambyses* apud Herodotum loc. cit. appellat, semper coluissent: Tum quod iamdiu aetate Herodoti *Venerem Uraniam Assyriorum* colere coeperant, ipso Herodoto

teste Lib. I. c. 131. Et haud multo post *Artaxerxes Mnemon* cultum *Anaitidis*, quae ipsa dubio procul est ac *Mitra* Herodoti per totum Imperium dilatare studuit: de qua *Anaitide* loca Veterum collegerunt Bochartus in Phaleg. p. 245. Vossius de Idolol. P. 153. etc. Hyde de Relig. vet. Persar. pag. 89. 95. etc. Spanheim ad Callimach. pag. 193. aliique plures.

3. Quod si Cicero Libr. I. de Divinat. cap. 41. scripsit: *Nec quisquam Rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam, scientiamque perceperit*; si Porphyrius testatus sit de Abstinentiâ Libr. IV. pag. 399. Darium Hystaspis filium fecisse sepulcro suo insculpere, quod fuisset διδασκαλος μαγικων, haec sententiae nostrae non modo non adversantur, sed penitus favent. Nam cuiuscumque Regis et summi Imperantis scrictissimum officium est nosse fundamenta omnium *Religionum*, quae in suo Imperio coluntur, non quod omnia tenere debeat, sed ut decernere recte de eis possit, et iubere et praecipere, quae est Regia διδασκαλια. Si Rex aliquis Christianus Tibetum, Sinas occuparet, omnino teneretur elementa earum Religionum nosse, non ut addat Symbolo suo Christiano, sed ut rite recteque possit de eorum iurgiis et factis iudicare. Praeterea si *Reges Persarum* se διδασκαλους *Magicorum* fuisse fatebantur, utique nec Archimagos nec Pontifices fuisse fassi sunt. Et si *Persona* illa praestantior *Dramatum Persepolitanorum* est omnino *Archimagus* et *Pontifex*, omnino nil, quod ad *Darium* et reliquos *Reges Achaemenidas* spectet, esse potest in *Persepoli Magorum*. Quin ego teneo *Hystaspidem* illum, de quo Porphyrius loquutus est, minime esse *Darium Achaemenidem*, sed

Gustaspum Kaianidem longe alium a Dario, ut loco suo Deo dante ostendemus, qui Gustaspus revera fuit Discipulus Zoroastri, et impense favit Magismo: Tum eo etiam ex capite quod prorsus diversum *Epitaphium Darii* referant Strabo ex Onesicrito libr. XV. p.730. et Athenaeus libro X. p. 434. Sed piget me non posse hîc de ista re agere prolixe.

4. Ut autem haec utcumque satius intelligantur sequentia sunt animo recolenda 1. *Magos* fuisse *Medos* origine, et gente non *Persas*. 2. In Regimine *Medorum* fuisse magnam potestatem etiam Civilem *Magorum*, ut in pluribus Dynastiis Aegyptiorum potestas magna fuit *Hierophantûm*. 3. Regimen *Persarum* usque ad virilitatem *Cyri* fuisse Graeco et Romano veteri simile; scilicet et sacra, et civilia, et religiosa, et profana administrasse Seniores Gentis, Patresfamilias praestantiores, ditiores, honestiores, ut ex eorum institutionibus, quas Herodotus, Xenophon, Plato, Strabo servarunt, patet. 4. *Reges Persarum* in nulla re fuisse obnoxios *Magis Medorum*. 5. *Cyrum* primum constituto Imperio, ut duas Gentes *Medos* nempe et *Persas* strictissimis vinculis sociaret eamdem *Tribum Magorum* etiam *Persis* imposuisse: At nullam potestatem civilem *Magis* dedisse, et θεους πατρωους, de quibus non semel Xenophon meminit, coluisse, et Persas ius suum sacrificandi proprium aetate etiam Herodoti I. Cap. 132. servasse, adstante tantum Sacrificiis Mago et θεογονιαν accinente, non ipsum Sacrificium peragente. 6. Post *Cyrum* Regimen fuisse semper Militare, *Satrapicum*, si ita dicere fas est, et Optimatum gubernantium, quorum emphatice decem millia numerantur apud Plutarchum in Artax.

p. 1014. *Rege* tamen domino, et Castâ *Magorum* ad una officia sacra, et ea nec multa relegatâ, et post *Magophoniam* contemtâ et depressâ.

Atqui ut initio dicebamus Aedes Persepolitanae condi non potuerunt, nisi a Regibus *Magorum* amantissimis, nisi ad *Magismum* firmandum et dilatandum. Ergo condi non potuerunt a *Regibus Achaemenidis*, qui omnia potius contra conati sunt, ut *Magismum* perderent.

## A r t. III.

*Tertio, quia certum est Persas sub Regibus Achaemenidis caruisse Templis et Aris Religionis suae et Magicae.*

Id enim data opera, disertissimis verbis, et deliberato consilio tradiderunt viri prudentissimi Herodotus lib. I. cap. 131. Strabo libr. XV. p. 732. Cicero libr. II. de Legib. cap. 10. Diogenes Laertius in Prooemio, Clemens Alexandrinus in Protrept. Pag. 19: Asconius Pedianus in II. Verr. et alii plures. Et profecto quum Cicero de Divin. lib. I. cap. 41. scripsit: *Et in Persis augurantur et divinant Magi, qui congregantur in* Fano *commentandi causa, atque inter se colloquendi:* una voce naturam universae *Liturgiae Magicae* mire explicavit: Nam *Fanum* non est *Aedes*, aedificium, sed *locus*, sedes, spatium Telluris purum, consecratum: Et si non augurandi tantum et divinandi occasione, sed etiam commentandi et disserendi non Palatia, non Domos ingrediebantur, sed in *Locis hypaethris*, in *Fanis* manebant, utique revera *Aedes* et *Domos* in rebus Sacris eos odisse et reiecisse certum esse debet. Fortasse dices, et nos facere *hypaethras Aedes Persepo-*

*litanas:* Ita quidem; sed *Fana* Aedes non sunt; neque diximus omnes, sed partem tantum. Praeterea Herodotus loc. cit. scribit Persas sacrificare, et alia legitima facere επι τα ὑψηλοτατα των ουρεων αναβαινοντες: Xenophon. libr. VIII. Cyrop. cap. 45. de Cyro loquens iam sene et morti proximo, scribit, quod εθυε Δ᾽ι τε πατρωῳ, και ἡλιῳ, και τοις αλλοις θεοις, επι των ακρων, ὡς Περσαι θυουσι. Strabo loc. cit. Persae ait θυουσι δε εν ὑψηλῳ τοπῳ. Et Dinon, qui Persica scripsit, apud Clementem Alexandrinum loco cit. ait eos θυειν εν ὑπαιθρῳ. Quamobrem quum *Aedes Persepolitanae* non sint profecto cacumina montium, et vertices collium, et terrae hypaethrae, palam est ad aetatem *Regum Achaemenidum* non posse has Aedes omnino spectare, et adeo elogia horum Regum puta *Darii* et *Xerxis* in *Inscriptionibus Persepolitanis* non posse contineri.

## A r t. IV.

*Quarto, quia Regia Achaemenidum Persepolitana longe alia et diversa fuit a Templo Magorum Persepolitano.*

Nam, ut Cap. I. Art. I. pag. 227. animadvertimus impossibile est aptare *Aedibus Magorum Persepolitanis* descriptiones, quas Veteres Scriptores faciunt de *Regiá Achaemenidum Persepolitaná*. Et profecto, quum intelligerem Aedes ingentes, quarum atria, conclavia, cubicula fuissent ex magno et secto lapide condita per plurima saecula necessario durare et servari: et contra scirem ne vestigia quidem *Regiarum Persarum*, quae fuerunt *Susis*, *Ecbatanis*, *Persepoli*, *Pasagardis* manere: Quum considerassem universas fere Gentes Trans-

euphrataeas paucas lapide, plerasque Domos et Palatia ex ligno, ex trabibus aedificasse, et hactenus aedificare: Quum diligentius loca Veterum Scriptorum expendissem, quibus de Regiis aedibus et Palatiis agunt, vidi perspicue duas veluti partes in his domibus *Basilicis Persarum* esse distinguendas, externam scilicet, et internam; Exteriorem quidem in lapideis septis constantem, in moeniis robustissimis sive circularibus sive quadratis triplicibus, semptemplicibus: et in partem interiorem totam fere cupresso, cedro, alioque pretioso ligno conditam, et auro, argento, ebore exornatam: Adeo ut Regiâ expugnatâ, pars exterior et munita vi rueret, vel tempore dilaberetur, interna vel raperetur, vel brevi hora incendio absumeretur.

Et propterea quum huius ipsius naturae Regia *Achaemenidum Persepolitana* extitisset, quam immaniter a *Templo Magorum Persepolitano* discrepaverit quisque videt. Quin si quis *Regiam Achaemenidum Persepolitanam* a Graecis iam combustam et flammis vastatam sibi animo repraesentaverit, nil nisi amplam planitiem desertam, et desolatam exustis et labentibus muris praecinctam poterit contueri: Nam, ut ait Diodorus libr. XVII. Cap. 72. pag. 216. *ταχυ πας ὁ περι τα βασιλεια τοπος κατεφλεχθη δια το μεγεθος της φλογος*; penitissime scilicet Regiâ combustâ, quia Curtius lib. V. c. 7. adnotaverat, *multa cedro* aedificatam fuisse *Regiam*: Qua profecto loci facie nil magis diversum est, quam ruinae illae, quae modo *Persepoli* spectantur: Et propterea nil minus probabile quam Elogia Regum Achaemenidum in parietibus earum Aedium inveniri.

## ART. V.

*Quinto, quia sex Sepulcra in Monte lapideo Persepolitanis Aedibus proximo, et quae Chardinus diligenter prae ceteris descripsit, non Regum Achaemenidum, sed Pontificum Magorum, sive Archimagorum habenda sunt.*

1. Nam primo, Icones et *Simulacra* tum *Sacerdotum* appositorum, tum *Archimagi* ad Sacrum focum ad stantis ipsae sunt Icones et Simulacra Parietum *Templi Persepolitani.* Et si quis est, cui *Arcus* super quo *Archimagus* innititur incongruus videatur, is meminisse debet, quod paullo superius monuimus: non omnem scilicet ornatum *Sacerdotalem* physice et *Cyrioschematice* esse sumendum, sed saepius, ut hîc, *Symbolice* et *Allegorice.* Atqui קום QVS, קשת QSCT, est *Arcus*, et חוש CVSC est *promtus*, alacer, qui cum summa sedulitate curat חום CVS *pietatem*, קסט QSTH *rectitudinem* perfectionem, קשט QSCTH *veritatem*: Qui iam *passus* in Mundo קשה QSCE *durissima*, aspera, pervenit tandem in Mundum קשט QSCTH *Veritatis* et *Iustitiae*: Quae maxime *Archimago* convenientia, qui certe ex *Ascetis* rigidioribus, et quos indicarunt Laertius in Prooemio, Clemens Alexandrinus Strom. III. pag. 446. Porphyrius de Abst. lib IV. pag. 398. et D. Hieronymus in Iovinian. lib. II. p. 169. seligebantur. Ex absoluta ergo similitudine Simulacrorum cum *Persepolitanis*, ex modestia ornatuum, ex simplicitate thecarum sepulcralium dubitare minime fas est, quin sex *Archimagi* Religionis *Zoroastraeae* illis Monumentis sint conditi.

2. Secundo, quia forma *Sepulcri* Regis *Cyri*, quam descripserunt Arrianus de Exped. Alex. Lib. VI. p. 144. Strabo Libr. XV. pag. 730. Curtius Lib. X. cap. 1. et quam eius Posteros in *Sepulcris* suis imitari aequum fuit penitus, et omnino discrepat a *Sepulcris Cruciformibus*, de quibus loquimur.

3. Tertio, quia certum est *Reges Persarum* sive *Persepoli*, sive *Susis*, sive *Ecbatanis*, sive potius in singulis istis Urbibus extruxisse magnas aliquas Sedes sepulcrales, Conditoria aliqua Regia, quibus Corpora tum sua, tum suorum conderent. Arrianus Libr. VI. p. 145. memorat ταφους Βασιλικους Persarum, et Libr. III. pag. 69. scripsit, quod *Alexander* σωμα του Δαρειου ες Περσας επεμψε, θαψαι κελευσας εν ταις Βασιλικαις θηκαις; καθαπερ και οἱ αλλοι οἱ προ Δαρειου Βασιλεις. Scilicet: *Corpus Darii ad Persas misit iubens condi in Sepulcris Regiis, quemadmodum et alii Reges ante Darium conditi fuerant.* Aelianus Var. hist. Lib. VI. Cap. 8. scribit *Artaxerxem Ochum* a Bagoa necatum, felibusque vorandum traditum fuisse, aliud vero cadaver inlatum fuisse ταις Βασιλικαις θηκαις. Josephus Flavius Antiqu. Lib. X. cap. 12. pag. 353. scribit Prophetam Danielem Ecbatanis aedificasse Aedem vel Turrim, qua θαπτουσι τους τε Μηδων Βασιλεις, και Περσων, και Παρθων, αχρι του δευρο. Quantum autem istae Turres, istae Aedes sepulcrales, ista communia *Mausolea* discrepent a *Sepulcris* Persepolis *Cruciformibus*, quisque videt. Quin si ponamus in Turri *Danielis* duos tantum Persarum Reges fuisse conditos, duos tantum in Conditorio, quo *Darius Codomanus* inlatus fuit, superessent tantum duo alii *Reges Persarum* alibi condendi. Atqui *Se-*

*pulcra Cruciformia* sunt sex. Nec dici potest inlatos sepulcris vel uxores Regum, vel filios: quum *Figurae* insculptae sint barbatae et Seniles.

4. Quarto, quia *Sepulcrum Darii*, quod Ctesias in *Excerptis Photii* Cod. 82. Pag. 113. ex parte describit, et Conditoria illa, de quibus agit Diodorus Libr. XVII. cap. 71. Pag. 216; et quae eadem ac Ctesiana videntur, etiam longissime discrepant a *Sepulcris Cruciformibus*. Nam, sunt Diodori verba: *πετρα γαρ ην κατεξεμμενη, και κατα μεσον οικους εχουσα πλειονας, εν οἱς σηκοι των τετελευτηκοτων ὑπηρχον.... Κατα δε την ακραν ταυτην ησαν καταλυσεις βασιλικαι και ϛρατηγικαι πλειους πολυτελεις ταις κατασκευαις, και θησαυροι προς την των χρηματων παραφυλακην ευθετως κατεσκευάσμενοι.* Nempe: *Excisa illic erat petra, complura in medio domicilia habens; in quibus conditoria defunctorum erant.... In hoc fastigio Regibus et Ducibus excipiendis erant multa affabre facta diversoria, et thesauri ad pecunias adservandas egregie extructa.* Quibus nil magis ab illis diversum poteris vel cogitare.

5. Quinto, quia loculi *Sepulcrorum Cruciformium* teste oculato solertissimo *Chardino* sunt nimium angusti ad recipiendum commode cadaver. Tom. IX. pag. 99: *la place n' est pas fort grande, et un corps mort y devoit etre pressé*: et maxime, ut paullo post addit, aëre Persico corpora defunctorum statim et immaniter inflante. Quamobrem si dubitari non potest, quin corpora *Regum Achaemenidum* fuerint cerâ infarcienda et incrustanda, de qua conditurâ Herodotus Libr. I. cap. 141. Cicero Tusc. Quaest. I. cap. 45. agunt: Si plurima vestis et pretiosissima addenda, si insignia potestatis inserenda, numquam fieri potuit, ut

tam angustis Loculis et thecis corpora *Regum* potentissimorum protruderentur. At contra si meminerimus, quod, ut scribit Herodotus Libr. I. cap. 140. Ου προτερον θαπτεται ανδρος ( Μαγου ) ὁ νεκυς πριν αν ὑπ᾽ορνιθος η κυνος ελκυσθηναι. Nempe: *Numquam cadaver viri Magi sepelitur, priusquam a Volucri, vel Cane laceratum fuerit;* si animo recolemus, quae refert Cicero Tuscul. Quaest. I. cap. 45. *Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata;* et alia huiusmodi plura: Unae profecto unae *Magorum* reliquiae angustis illis *Loculis* potuerunt commode recipi et contineri. Adeoque, ut dicebamus, omnino tenendum est in illis sex *Conditoriis Cruciformibus* non *Reges Persarum*, sed sex *Archimagos* fuisse depositos.

At ubinam erunt, dices, *Monumenta* illa sepulcralia *Regum Achaemenidum*, quae Ctesias, Diodorus, aliique indicant? Suntne, ego respondeo, detecta et nota omnia veterum *Persarum Monumenta?* Atqui magna adhuc pars est detegenda et observanda: de qua re solertissimus *Chardinus* queritur Tom. IX. p. 106. addens: *Les gens du Pais assurent, que ces Ruines*, a Persepolis, *s' etendent a plus de dix lieves a la ronde*.

*

## Art. VI.

*Sexto, quia certo tenendum est Linguam Zendicam, quam ex Liturgia Zoroastraea novimus, plurimum discrepasse a Lingua Persica Regum Achaemenidum, qua Elogia eorum potiora, et praestantiora fuerunt describenda, et qua revera plures Inscriptiones et Elogia fuisse descripta ex Herodoto, Strabone, Arriano, Athenaeo, qui ea Graece referunt, necessario colligitur.*

1. Nam primo collectis plusquam trecentis vocabulis sive nominibus propriis, sive adpellativis, ut vocantur, sive aliis, quae ex *Lingua aulica Achaemenidum* Hebraei, Graeci, et Romani servarunt, si haec cum *Zendicis* comparamus, saepius alia harmonia, alius Literarum vocalium usus deprehenditur: quae satis sunt, ut Linguam multum diversam constituant.

2. Secundo, quia nemo adhuc valuit ostendere triginta tantum verba *Linguae Achaemenidum* esse originis *Zendicae*, et cum vocibus *Zendicis* perfecte congruere: quod etiamsi quis praestiterit, nil confecerit, nisi et reliqua fere omnia simillima ostenderit. Nam hic non agitur quaestio, an aliqua habuissent communia *Lingua Achaemenidum*, et *Zendica*, quod nemo negaverit, sed an *Inscriptio* aetatis et *linguae Achaemenidum* possit plene explicari per *Linguam Zendicam*, quam novimus ex *Libris Avesticis*, quod longe diversum est. Fundus Linguae XII. Tabularum, et Dialecti ex. gr. Neapolitanae, est plane idem: Age, experire modo, an per hanc unam illas penitus intelligas, et explices.

3. Tertio, quia Lingua patria *Achaemenidum* fuit Lingua *Farsistanae*, qua fuerunt *Persepolis* et *Pasargadae* sedes Gentis vetustae: Contra vero *Lingua Zendica*, si fuit Popularis et communis, quod non arbitror, ut modo dicam, Lingua fuit Gentis valde dissitae, hostilis et adversariae; nempe *Bactrianae* circa fluvium *Oxum*; quod plurima ostendunt et invicte, scilicet. 1. Magna similitudo Linguae *Zendicae* et *Samscriticae*. 2. Cognomentum *Bactriani*, quod haesit *Zoroastro*, dubio procul *Avestico*. 3. Historia pragmatica *Pyraëorum Zoroastricorum* ab ipsis Parsis et Arabibus collecta. Vid. *Hyde* de Relig. Pers. P. 151. 152. etc. 4. Historia pragmatica Imperii *Caianidum*, apud quos *Zoroaster*, et eius Religio invaluit, quorum sedes principes fuerunt in *Bactriana*. 5. Ipsa Geographia *Avestica* aperte indicans *Bactrianam*, et loca proxima centrum Gentis et Religionis extitisse. Quae autem Anquetillius in Act. Acad. Inscript. Tom. XXXI. pag. 362. etc. adstruit ad suadendam originem *Georgianam Linguae Zendicae*, nisi spectent nescio quae vetustissima tempora, comparatione tum Linguae tum Religionis Gentis Georgianae penitus refelluntur.

## ART. VII.

*Septimo, quia valde probabile est Linguam Zendicam Librorum Avesticorum esse linguam a Collegiis Magorum data opera factam ex lingua Sacra et arcana, et ex potioribus Dialectis popularibus, quae potissimum in Bactriana obtinerent, dilatata pronuntiatione vocalium.*

1. Nam primo nulla *Lingua Liturgica* potest institui, nisi plurimae voces novae condantur ad novam ipsam *Liturgiam* significandam: et hae voces a *Collegiis Sacerdotalibus* sunt necessario procudendae.

2. Secundo, quia *Linguae Liturgicae* si essent penitus populares omnino spernerentur, et abiicerentur, quia omnis Plebs, omne Vulgus, spernit et negligit, quae capit, et intelligere putat.

3. Tertio, quia si *Linguae Liturgicae* totae ex Lingua prorsus nova et ignota conficerentur, Populus discere refugeret, et reiiceret. At si nota et popularia ignotis et arcanis vocibus aptantur, *Lingua* constituitur ad Vulgus et Plebem alliciendam et detinendam mire facta.

4. Quarto, quia nos ipsi partem *Lexici Parsici Liturgici* in Linguam suam veterem et originalem iam convertimus in *Etymis hierographicis*, quae edentur, Deo dante, quam primum.

5. Quinto, quia nullibi inveniri et indicari potuit Gens vel Tribus quae Zendice loqueretur, vel Dialecto valde et insigni modo simili uteretur. Atqui si *Lingua Zendica* fuisset popularis maxima ex parte omnino servanda fuisset ob Religio-

nis reverentiam, ob originis nobilitatem, ob diuturnitatem durationis tum a Gauris sive Guebris, et eorum Sacerdotibus maxime, tum in sede sua natali et propriâ, a qua nemo certe pellere penitus potuit. Atqui, ut dicebamus, nuspiam huiusmodi Lingua nisi in Libris *Parsorum* potuit deprehendi integra et pura.

6. Sexto, quia in *Libris Parsorum*, et horum constantissima traditione *Lingua Zendica* dicitur tradita *Zoroastro* ab *Hormusde*, Pa-zend data a *Zoroastro* fidelibus et sectatoribus Doctrinae suae V. Anquetil in Act. Acad. Inscript. Tom.XXXI. p.354.

Velle igitur per *Linguam* Sacram et *Liturgicam* ex arcana, et Theologica, et ex pluribus Dialectis *Bactrianis* collectam interpretari *Inscriptiones*, quae *Regibus Achaemenidis* tribuantur, qui usi sunt Lingua et vocibus Patriae suae *Farsistanae*, sex ad minimum saeculis antequam *Lingua Zendica* scripto traderetur, haud certe videtur aequum et rationale.

## A r t. VIII.

*Octavo, quia Inscriptiones Cuneoformes Persepolitanae frequentissime repetuntur identicò modo ad Latera vel limina Portarum.*

Atqui, ut iam animadvertimus Cap. I. Art. 4. pag. 232., et iterum monere iuvat, non *Elogia Regum*, non laudes summorum Imperantium per limina Portarum repetuntur; sed *Formulae Liturgicae*, preces divinae, *Litaniae* apotropaeae iure pluribus vicibus potuerunt apponi: Quia omnes Gentes ter, decies, et centies orant eumdem sermonem sive formulam dicentes. Quamobrem si in *Inscriptionibus Persepolitanis* unum

hoc criterium adesset, frequens scilicet earum repetitio, id satis esset, ut quaevis *Elogia* propria et independentia *Regum Persarum* penitus excludamus et reiiciamus.

## CAPUT V.

## *Interpretationes paucissimarum Inscriptionum Cuneoformium hactenus datae a Grotefendiò et Saintmartino probari et recipi non possunt.*

### ART. I.

*Primo, quia ipsa interpunctio Polysematum Cuneoformium non est data.*

Flowerus Anglus saeculo XVII., teste Hyde de Rel. veter. Pers. pag.556. Specimen *Scripturae Cuneoformis* dedit interpunctum: et interpuncta pariter dedit Specimina omnia sua saeculo XVIII. Niebuhrius Tom. II. Tab. XXIV. et XXXI. At contra ex Speciminibus Petri della Valle, Thevenoti, Chardinii, Lebrun, quae vidi, et ex aliis datis ab Herberto, Moriero, Ker-Portero Anglis, teste Hyde l. c. et de Sacy in *Iourn. des Savans* 1825 P. 255, quin ex ipsis Speciminibus datis a Saintmartino *Iourn. Asiatic.* 1823. T. II. p. 66. plane certum est *Inscriptiones Cuneoformes* carere prorsus quacumque interpunctione. Adeoque *Interpunctio data* non est. Et quamvis negari non possit Spatiolo vacuo saepe discerni *Syntheses Cuneorum*, addendum est etiam Spatiolum illud saepe desiderari, saepe *Cuneos* plures arctari, et quasi cumulari, et Interpunctionem adeo

legitimam esse prorsus ignotam, vel controversam. Equidem sagacitatem Niebuhrii in Tabulis suis interpungendis miratus sum, sed nescio an semper probarem. Certe in interpungendis Speciminibus Lebrun saepe haererem, et interpunctionem Floweri totam non probarem; nec illam quam de Book dedit Speciminis Chardini in *Essai sur l' Hist. du Sabeisme.* Atqui id non levis est, sed summi plane momenti res. Satis est enim, ut quater quinquies in *data Inscriptione* varietas interpunctionis habeatur ut sententia prorsus immutetur; vel aliud *Alphabetum*, ut volunt, et diversum condatur.

## A r t. II.

*Secundo, quia nemo hactenus demonstravit non singulos Cuneos, sed totas Cuneorum Syntheses esse literas Alphabeticas.*

1. Data hac *Synthesi Cuneorum* ☰ III. Si vellem eâ *Literas Alphabeticas* designare tria aeque ponere et reputare possem: scilicet vel totâ Synthesi literam A. ex gr. significare; vel ☰ notare A. III. notare B. vel etiam ☰ significare A. B. C. III. D. E. F. Quod profecto reipsa factum ab Auctoribus Runarum Elsingensium, qui minutissimis *Cuneolis*, et *Virgulis* sola loci discretione diversarum Literarum potestatem indiderunt: et indidisse ex consideratione *Scripturae Cuneoformis* Medo-Persicae certum teneo. Equidem non dicam Varietates *Cuneorum* in *Inscriptionibus* ex gr. *Persepolitanis* esse *literas Alphabeticas*; Sed aio Interpretes earum non demonstrasse, quod certo non sint. Et aio insuper, quod non possint demonstrare secundum sua *Postulata.* Nam

si ipsi unam *Inscriptionem* legere nequeunt, quum *datae* non sunt plures *Syntheses homophonae*, alius ipsam hanc veniam de *Cuneis homophonis* posset impetrari.

### Art. III.

***Tertio, quia Alphabeto Persico aevi Achaemenidum assignare sexdecim literas vocales scriptas non est Datum aequum et rationale.***

Nam *Data* aequa et rationalia illa dicuntur, quae certae Auctoritati, vel certae Analogiae innituntur. Atqui Vocales illae scriptae neutri possunt inniti. Omnia *Alphabeta Syra* et *Assyria* semper fuerunt et sunt *Consonantica*, quorum scilicet literis fere omnibus est potestas *consonae* non *vocalis*; Duo *Alphabeta Persica* aetatis *Sassanidum* sunt *Consonantica*, et modo *Persae* et *Buchari Alphabeto consonantico* utuntur. Verum quidem est in *Alphabeto*, quo modo scribuntur libri plures *Parsorum*, numerari sexdecim Vocales, sed nemo sane probaverit *Alphabetum* hoc esse vetustius non dicam Augusto, vel Alexandro magno, sed potius IX. vel VIII. saeculo Christiano, quo *Vocales* passim a plerisque Asiaticis Populis per apices saltem apponi coeptum est: Et contra rectissime tenere possumus esse posterius aevo priorum *Sassanidum*, quum differat gravissime a forma *Alphabetorum*, quae tum per Imperium et apud Reges obtinebant: Vel dicere possumus Magos non adhibuisse diutius nisi quatuor vel quinque Vocales literas, quibus commodissime utuntur pleraeque Gentes. Et quoniam a pluribus praestantissimis Viris iure tenetur *Liturgiam Avesticam*, quae modo legitur, constituto iam Imperio *Sassa-*

*nidum*, ope maxime *Erdaviraphi* concinnatam, et descriptam, quum *Libri* originales *Zoroastri Cuneograpti* dicendi sint, et *Liturgia* ore et traditione ab ingenti Magorum numero servata: quae auctoritas esse possit *Alphabeto Zendico*, ut *Alphabetum Persicum* aetatis *Achaemenidum* eo definiatur, quisque videt.

### A r t. IV.

*Quarto, quia Nomina Darii, et Xerxis non sunt Data aequa et rationalia.*

Nam nec monumento noto et authentico, nec testimonio certi Scriptoris, nec necessitate ipsa operis vel Scripturae possunt *dari* et teneri. Quin, ut vidimus Cap. IV. innumeris et invictis momentis a Monumentis Persepolitanis eiiciuntur: et aliis pluribus potuissent reiici, si hîc de veris, ut ego arbitror, Conditoribus Aedium sacrarum Persepolis agere potuissem.

### A r t. V.

*Quinto, quia Inscriptiones Cuneoformes nulla ratione Alphabetica tentari possunt, nisi datis pluribus Synthesibus Cuneoformibus Homophonis, vel Polydynamicis.*

Nam quum ex una prima specie et quidem faciliori *Scripturae Cuneoformis Persepolitanae* colligantur circiter *quinquaginta Polysemata*, et circiter *ducenta* ex aliis, fieri omnino non potest, quin, qui has Inscriptiones tentaverit plures Literas Homophonas non constituat, et ponat. Et quidem *Grotefendium* plures huiusmodi adsumsisse ipsemet vidi in Specimine, quod dedit Millin in

*Magas*. Tom. XLVII. pag. 436. et idipsum ei obiecit Saint-Martinus in Iourn. Asiat. 1823. 11. pag. 68. 69. 70. qui et obiecit etiam, quod plura *Polysemata* fecisset *Polydynamica*. Atqui *Polyhomophonia* facit Alphabetum irrationale, et *Polydynamis* reddit absurdum et nullius usus, ut Libr. 1. pag. 93. et alibi iam observavimus. In eodem vado haesisse Saint-martinum, quum ederet Analysin *Interpretationum* suarum, patebit.

## A R T. VI.

*Sexto, quia Elogia Regum Persarum vel Regia Icone carentia, vel factis et operibus vacua sunt absurda, et probari non possunt.*

Inscriptionem *Cuneoformem* ad nullam *Iconem Regiam*, ad nullum *Drama Regium* adpositam Grotefendius in Millini *Magasin* Tom. XLVII. pag. 435. ita vertit: *Darius Rex fortis, Rex Regum, Rex Daharum, Hystaspis Stirps Mundi Rectoris in constellatione mascula moro Ized.* Hanc ipsam Saint-martin in Iour. Asiat. T. II. 1823. P. 83. vertit sic: *Darius Roi puissant, Roi des Rois, Roi des Dieux, fils de Vyschtasp, d' une race illustre et tres excellent.* Atqui ego aio huiusmodi Inscriptionem *Dario Achaemenidae* numquam poni potuisse. 1. Quia, ut innuimus, nulla Regia Icon ad eam insculpta est: et nullam extitisse, vel nullam se voluisse agnoscere aperte fassi sunt *Grotefendius*, et *Saint-martin* scribentes recto casu *Darius Rex*, *Darius Roi*. Atqui tum vel scribendum fuerat *Darii Regis Regum*, quemadmodum in omnibus nummis Regum *Parthorum*, qui *Achaemenidas* exceperunt; vel otius, ut in omnibus

*Inscriptionibus Sassanidum* τουτο εςι προσωπον etc. *Haec est Icon Artaxerxis*, *Saporis* etc. Ubi porro *Inscriptio* ad Iconem non apposita careat factis, operibus, quia essentia et quasi anima caret, absurda est, et a nullo Rege potuit umquam poni: Ideoque quum *Inscriptio* prolata a *Grotefendio* et *Saint-martin* careat tum Icone, tum factis et operibus probari nullo pacto potest: Et eo magis, quod Graeci Scriptores Darii huius tres vel quatuor Inscriptiones servaverint, et factis et rebus plenissimas, ut aequum erat, et insuper ab *huius* nuper procusae stilo prorsus abludentes, et intrinsece probabiles, quidquid de plena eorum authenticitate dici possit. Herodotus libr. III. c. 88. primam adducit simplicissimam, ut adhuc tum erant mores, de Darii per Equum in aemulos Regni victoria, alteram Libr.IV. cap. 91. a Dario positam ad amnem Thraciae Tearum. Strabo Libr. XV. pag. 730. ex Onesicrito huius Darii *Inscriptionem* sepulcralem recitat: Cuius aliam partem, ut credere fas est, citavit Athenaeus Libr. X. cap. 10. et aliam fortasse Porphyrius de Abst. IV. p. 399., si is est *Darius*, de quo agimus.

## ART. VII.

*Septimo, quia numerus Productorum non est aequus et rationalis.*

Ubi plura *Data Historica* vel *Epigraphica* nota certa authentica non adsunt, tum omnino oportet *Producta* esse plurima, ut *Interpretatio* fiat probabilis. Si enim sunt pauca, tum ipsa non sunt *Producta*, sed *Data hypothetica*, adeoque nullius momenti et auctoritatis. Atqui *Saintmar-*

*tin* anno 1823 non protulit nisi *duas* tantum Inscriptiones, easque brevissimas, nulla analysi, nulla demonstratione paratas, a quibus si aufers vocem *Rex regis* octies repetitam nil fere superest. Nec deinceps multum in his Tentaminibus profecisse videtur. Nam anno 1828 scribebat se aliquot tantum (quelques unes) ex *Inscriptionibus Cuneographicis* vertisse in Nouv. Iourn. Asiat. Tom. II. p. 181. De Tentaminibus *Grotefendii* nil addo, quia *Saint-martin*, ut superius iam monuimus, tum ignorantiam *Linguarum Persicarum* ei obiicit, tum maxime quod uteretur *Alphabeto Poly-homophonico*, et *Polydynamico*, quo omnia *Tentamina* penitus corrumpi revera necesse fuit.

## CAPUT VI.

## *Nulla species Scripturae Cuneoformis Chaldaicae, Medae, Persicae haberi potest Alphabetica.*

### ART. I.

*Primo, quia nulla Scriptura Sacerdotalis, Hierarchica, Castica, Mystica potest esse Alphabetica.*

Sacerdotes *Castici*, ut amplam et rite ordinatam *Hierarchiam* diutius et tuto servent, omnino egent *Systemate Graphico* magno et difficili, vasto et arduo: ut diximus paullo supra Cap. II. pag. 235.: Tum, scilicet, ut ad summa *Hierarchiae* munera adscendere nequeant nisi praestantissimi et acutissimi ingenii viri, tum ut ab adsequendis Scientiis *Sacerdotalibus* reliquarum Tribuum homines penitus arceantur. Adeo ut

dato etiam *Sacerdote* Apostata, numquam is nisi plane paucissimis possit *Scientias Sacerdotales* tradere: quod esset levissimum malum. At contra data *Scriptura* facili et obvia tum intestinae turbae fuissent plurimae in magnorum munerum ambitione, tum nullo negotio et facile ad profanos *Scientiae Sacerdotales* fuissent delapsae, et Regimen ipsum corruisset. Atqui, ut saepius animadvertimus, *Scriptura Alphabetica* essentia sua facilis est, et levissimi laboris: nec vere abstrusa fieri potest quocumque conatu, nisi quis multitudine nexuum vel plexuum literarum in naturam potius Scripturae Lexeographicae convertat. Quamobrem, si certum est, ut superius Cap. II. Pag. 237. ostendimus Chaldaeos et Magos constituisse Tribum incommunicabilem apud Assyrios, Medos, et Persas, et per plurima saecula viguisse, tenendum aeque certo est *Scripturam* suam propriam et arcanam sive *Cuneoformem*, ut demonstratum est Cap. II. pag. 241. esse non potuisse *Alphabeticam*. Quod si quis obiiceret *Brachmanes Indorum*, qui etsi Regimine Castico semper usi sint, usi quoque sunt in Sacris *Scriptura Alphabetica*, is debet etiam animadvertere fuisse *Brachmanibus* duas alias *Scripturae* species *non Alphabeticas*, *Theographicam*, et *Hierodramaticam* unam, et *Monoschematicam* alteram, quibus caruisse *Chaldaeos*, et *Magos*, saltem quoad maximam partem, superius Cap. II. Pag. 238. animadvertimus. Nec est praetereundum *Scripturam* Samscriticam, quae nec Linguam penitiorem et vere sacram, nec elementa prima Religionis attingit, esse ex omnibus fere *Alphabeticis Scripturis*, quae sunt, ob nexus maxime et compendia innumera literarum, maxime difficilem et aspe-

ram : Quae difficultas ne dari quidem potest in *Scriptura Cuneoformi*, utpote omnium nitidissima et distinctissima.

A r t. II.

*Secundo, quia a pluribus Inscriptionibus Cuneoformibus, puta Chaldaicis, Medis, Persepolitanis secundae et tertiae speciei quaevis Scriptura Alphabetica evidenter excluditur.*

Nam is est numerus, ea est varietas, is ordo, is situs, is reditus, et recursus Polysematum, ut penitus adversentur cuicumque rationali *Scripturae Alphabeticae*, quae super faciem Telluris adhibeatur. Quod iam plures et praestantissimi viri, ut aequum erat, animadverterunt : Et qui non videt, is magno literarum bono haud natus videtur.

A r t. III.

*Tertio, quia singillatim in Inscriptionibus Persepolitanis non tres Linguae diversae, et tria Alphabeta diversa, sed unum plane Systema Graphicum, et una Lingua sacra poterit inveniri et agnosci.*

1. Nam in *Regiminibus Hierarchicis* omnes in absoluta unitate Dogmatum, Liturgiae, Scripturae, Linguae sacrae convenire necesse est, si durare volunt. Adeoque tribui *Hierarchiae Magicae Persepolitanae* tres Linguas sacras et tria Alphabeta absurdum est.

2. Secundo, quia *Sacerdotes Castici* superbissimi, ne aerem quidem spirare volunt cum cete-

ris hominibus, cuiuscumque conditionis sint, et propterea unâ suâ *Scripturâ*, unâ suâ *Linguâ* unice utentur. Si Sacerdotes isti *Chaldaei* sunt, non erit *Lingua Achaemenidum*, non *Medorum*, non *Graecorum*, quae ab eis attingetur. Si sunt *Persae*, non attingent *Bactrianam*, vel aliam quamvis profanam et extraneam. Tenere igitur *Magos Persarum* in sacris suis Parietibus duas Linguas extraneas, et duo alia *Alphabeta* profana adhibuisse est magis etiam absurdum.

3. Tertio, quia tres Species *Scripturae Persepolitanae* iisdem prorsus elementis constant, et eiusdem plane formae. Characteristica primae Speciei est *Cuneus maior rectus* ter repetitus; *Secundae Cuneus minor stratus* ter et quater repetitus, et duobus decussatus, et Figurae aliae a combinationibus *Cuneorum* factae. Syntheses aliquot *primae Speciei* in aliis etiam occurrunt, *secundae* plures in *tertia*: Et non raro in una et eadem *Linea* Syntheses omnium Specierum cernuntur. Quamobrem dubitari non potest, quin tres istae species *Cuneogrammatum* unum prorsus *Systema Graphicum*, unam *Scripturam* effecerint. Et propterea etiam a faciliore, ut appellant, *Specie* quodvis *Alphabetum* esse reiiciendum.

## A R T. IV.

*Quarto, quia forma Polysematum Cuneoformium, si habentur ista literae Alphabeticae, est irrationalis.*

Nám, ut animadvertimus Libr. I. Sect. VI. p. 89. *Alphabeta* inventa sunt, ut plurima plurimis facile et brevi tradantur, et propterea omnia *Alphabeta* Terrae brevissimis et tenuibus lineolis

absolvuntur, adeo ut frequentius de nimia earum tenuitate et contractione queramur. Atqui contra *Polysemata Cuneoformia* sine longa mora et magno labore scribi non possunt. Ad aliquot *Literas* describendas, ad pauca Elementa *Alphabetica* exprimenda *Cuneos* ponere ternae magnitudinis, addere *Angulos* binae vel ternae pariter magnitudinis, facere modo rectos et stantes, modo inclinatos, modo stratos, modo decussatos, modo in quadratum dispositos desipere est, irrationale est. Auctores *Alphabeti Helsingiani* rationali modo usi sunt *Oligotypis*: rationali *Hiberni*: rationali alii etiam apud Hyde P. 547. et Kircherum Oedip. T. II. Part. I. pag. 380. 382. Et dubitari non potest, quin rationali modo usi sint *Cuneis* Parsi Malabarenses in sua Tabula aenea, de qua Maltebrun ex *Buchanano Anglo* in *Ann. des Voyag.* Tom. XIX. p. 235. An. 1812. agit. Itane amplissimae et solertissimae Tribus *Chaldaeorum* et *Magorum* una hac in re fundamentali desipuissent? Uni *Persae*, ut scriberent *Xerxe*, adhibuissent plusquam vigintiquinque *Cuneos* et *Angulos*; ut scriberent *Darius*, plusquam triginta? Ergo, si hi dubio procul sapuerunt, *Alphabeta* sunt ab *Inscriptionibus Cuneoformibus* omnino eiicienda.

### A R T. V.

*Quinto, quia ut demonstratum est Cap. V. Art. V. pag. 267. Inscriptiones Cuneoformes tractari non possunt nisi per Alphabeta Polyhomophona et Polydynamica, quae sunt irrationalia et absurda.*

Certe ea est, ut diximus, varietas *Polysematum Cuneoformium*, is numerus, ea dispositio, ut

nisi dentur plures *Literae Homophonae*, et *Polydynamicae*, nil possit obtineri, cui sit aliqua species cuiuscumque probabilitatis. Quod adeo verum est, ut Saintmartin in *Iourn. Asiat.* Tom. II. 1823. P. 69. 70. idipsum aperte obiecerit Grotefendio, qui nonnulla alphabetice in Inscriptionibus huiusmodi tentaverat, ut dictum est non semel.

### A r t. VI.

*Sexto, quia Cuneus obliquus, qui in prima specie Scripturae Cuneoformis Persepolitanae conspicitur, esse non potest signum orthographicum, et quo Verba mutuo discernantur et distinguantur.*

Nam in *Inscriptione Cuneoformi*, quam edidit *Lebrun* T. II. num. 131. *Cuneus* iste inclinatus ter cernitur in ipso versiculorum initio, et bis in fine, spatio adhuc vacuo relicto. Apud *Niebuhr* Tab. XXIV. A. bis cernitur initio, bis fine; in B.bis fine, spatio adhuc vacuo relicto. Tab.XXXI. H. ter ad finem, semel initio versiculi, et quater vel quinquies post primum et unum Syngramma. Ergo *Cuneus* is nec fuit umquam, nec esse potuit *Signum orthographicum*, sed fuit character et typus proprius huius *Scripturae;* et propterea *datum* Interpretum penitus deest, et nullum est.

### A r t. VII.

*Septimo, quia Syntheses Cuneorum sunt saepius indiscretae et indistinctae, ut demonstratum est Cap. V. Art. I. pag.264.*

Atqui signa fundamentalia indiscreta et indistincta in *Scriptura Alphabetica* sunt absurda,

quia *Alphabeta* natura sua sunt perspicua: et qui contra adhibere volunt *Scripturam* vere *Crypticam* et arcanam, numquam *Alphabeto* utentur cuiuscumque formae. Ubi autem elementa Scripturae sunt cumulata et indistincta, adeo ut *elementum* si accenseatur Synthesi anteriori faciat unam *literam*, si posteriori faciat aliam et diversam, tum ambigua et incerta erunt omnia, et nulla erit ipsa Scriptura. In *systemate Lexeographico* etiam immanis et dira erit difficultas datis elementis saepius indiscretis: At quum singulis *Cuneis* sit certa vox adsociata, et plures Syntheses sint clare discretae, quae indiscretae sunt, possunt discerni potestate certa singulorum *Cuneorum*, et Synthesium discretarum; eodem fere modo ac fit in *Scriptura* Aegyptiorum *Hieroglyphica microschematica*, qua etiam Symbola *Polyschematum* sunt plerumque indiscreta, nec certo signo distincta, interpretatio tamen possibilis est. At ubi tres, quatuor, quinque *Cunei* unam literam constituunt, et hi *Cunei* saepius cumulati sunt et indistincti, nullae vires suppetunt, nullae rationes poterunt umquam inveniri, ut certae, discretae, perspicuae, et intelligibiles fiant.

Omnino igitur tenendum est nullam *Scripturae Cuneoformis* speciem, quae ex ruinis Babyloniae, Semiramocertae, Persepolis eruatur, et quae istis, ubicumque inveniantur, sint similes et propiores, esse Alphabeticam; et posse ita legi et explicari, ut versiculus librorum Mosis, Homeri, Virgilii, et Muhammedis.

## CAPUT VII.

## *Scriptura Cuneoformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum habenda est Lexeographica.*

### Art. I.

*Primo, quia Scriptura Cuneoformis Lexeographica Theologica et Liturgica possibilis est.*

Id iam probatum dedimus Libr. I. Sect. V. Cap. 5. pag. 82. etc. Et si Samanaei Sinenses *ducentis* tantum *Sematibus Scripturam Polygraphicam* et *Lexeographicam*, qua ingentem plane Bibliothecam describerent, constituerunt, ut demonstratum est hoc Libro Sect. IV. Cap. II. p. 213. 219. etc. Si Hierophantae Aegyptii centum fere Sematibus *Scripturam* suam *Hieraticam* et Liturgicam condiderunt: Utique Chaldaei et Magi simili etiam modo centum Varietatibus duorum, vel paucissimorum Typorum *Scripturam* suam *Cuneoformem* Theologicam et Liturgicam condere potuerunt. Quin etiamsi ex *Inscriptionibus* ex. gr. *Persepolitanis* quinquaginta tantum *Varietates* originales *Typorum* colligerentur, hae satis essent ad Scripturam Theologicam et Liturgicam condendam. Nam si quinquaginta Varietatibus *Cuneorum* adponantur quinquaginta Vocabula magis generalia et insigniora, ut hominis, aquae, ignis, telluris, capitis etc. quinquaginta istis vocibus et adeo quinquaginta illis Varietatibus inerunt ad minimum quingenta Vocabula, et per Temuras et Homiophonias plusquam quinquemillia, qui est numerus plusquam sufficiens ad condendam *Scriptu-*

*ram Theologicam* et *Liturgicam*. Esse autem vires ingenio Humano condendi Scripturam huiusmodi nemo negaverit, qui maxime animadverterit, quae Homines per *Signa* minima, et *Notas*, et Semata *Tachygraphica* saepe tradiderint et servaverint. Quin Chaldaei et Magi nexum et vinculum *Vocum* et *Cuneorum* adiuvare potuerunt congruentiis Ideographicis, Arithmeticis, Musicis, Geometricis, quemadmodum animadvertimus Libr. I. Sect. III. Cap. II. pag. 53. 54. et Libr. II. Sect. IV. Cap. 3. p. 224. 225.

A r t. II.

*Secundo, quia Scripturae Linearis Aegyptiorum et Sinensium, quae Lexeographicae habendae sunt, ut diximus superius* Sect. IV. Cap. III. pag. 223. *et Cuneiformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum una et eadem videntur esse elementa prima et fundamentalia.*

Utraque enim est *Oligotypica*, et *Polysematica*; utraque lineolis constat; utraque Theologica, et cryptica: Adeoque utraque *Lexeographica* habenda est.

A r t. III.

*Tertio, quia Iudaei et Arabes Scripturam Mysticam similem isti, quam Chaldaeis et Magis tribuimus, habuerunt et habent.* Vid. Kircheri Oedip. T. II. P. I. Pag. 225. ad 430.

Nam *Iudaei* omnium primum Literis Alphabeti sui, quas sumunt etiam ut pura signa et semata, tribuunt potestatem *Numerorum* 1. 2. 3. etc. Tum fa-

ciunt eas Symbola *Nominum Dei ;* tum suorum *Sephiroth :* Adeo ut tribus vel quatuor *Literis* collectis non vox oriatur, sed *Lemma*; ac sententia plena et *Lexeographica.*

*Arabes* porro *Literas* suas XXIX. tum *Numerorum* symbola faciunt, tum *Lemmatum Theologicorum*, tum ipsis numeris alia *nomina Theologica* copulant: et omnia Signis mysticis haud dissimilibus *a Cuneoformibus* repraesentant. Ita ut ex. gr. L7L significent Angelos *Michael, Hhiael, Essrael*; Tum orbem Stellarum, orbem Martis, et orbem Iovis etc.: Si vera Kircherus Pag. 381. refert. Quamobrem nil vetat quin credamus *Chaldaeos* et *Magos* centum, vel etiam quinquaginta Varietatibus *Cunei* et *Anguli* vim certorum verborum tribuisse, et *Scripturam* difficilem quidem et abstrusam, sed intelligibilem condidisse. Et si *Iudaei* et *Arabes* minime Auctores primi huiusmodi *Scripturae* dicendi sunt: utique probabile est semina, et initia eius in *Scriptura Chaldaeorum* et *Magorum Cuneoformi* esse invenienda. Et quoniam quae *Pythagorici*, *Platonici*, et *Eclectici* de potestate, viribus, et nominibus Theologicis *Numerorum* disseruerunt ex Schola maxime *Chaldaica*, et *Magica* processisse tenendum est, probabile utique est harum Doctrinarum semina in *Scriptura* ipsa *Chaldaeorum* et *Magorum* contineri: Et adeo Elementa hermeneutica *Inscriptionum Cuneoformium* servari in libro Sinensium Y-King, in libris Cabalicis Iudaeorum et Arabum, et in Arithmetica Theologica Pythagoricorum, Platonicorum, et Eclecticorum, sive Neo-Platonicorum.

A r t. IV.

*Quarto, quia etiamsi ex prima specie Scripturae Cuneoformis Persepolitanae quinquaginta tantum Polysemata colligantur, per ista quinquaginta tantum Polysemata potest satis commode pars sive Theologiae sive Liturgiae Magorum exprimi et exponi.*

Nam singulis *Polysematibus*, ut etiam *Polyschematibus Lexeographicis*, est ingens Polydynamis; utque modo innuimus Art.I. pag.277. unis propterea *quinquaginta Polysematibus Cuneoformibus* possunt plusquam quingenta *verba* et *lemmata* exprimi; quae satis superque ad opus sunt: In ipsis *Obeliscis* ingentibus *Aegyptiorum* vix *quinquaginta Polyschemata* et Syngrammata Hieroglyphica habentur integro latere, quae fere ipsissimo modo in reliquis repetuntur. Quam varia porro potestas tum *Schematibus*, tum *Polyschematibus Hieroglyphicis*, et Sematibus et Polysematibus Sinicis insit, patet ex Speciminibus nostris hactenus editis de Tabula Rosettana, de Obelisco Flaminio, deque centuria Sinogrammatum. Dices fortasse: si *Polysemata Cuneoformia* sunt *Polydynamica* sunt necessario indeterminata, indefinita, adeoque nullius usus. Respondeo sententiam primo definiri a loco, ipso et obiecto, cui *Inscriptio Polysematica* apposita est: Tum a Simulacro, Icone, vel Dramate adiecto, et a quibusdam *Sematibus determinantibus*, cui data opera relinquitur vel *monodynamis*, vel *oligodynamis*, ut faciendum fuisse in *Scriptura Polyschematica* diximus Libr. I. Sect. IV. cap. 3. pag. 66. 67. utque revera factum ex Analysi praesertim Tabulae Rosettanae a nobis data patet.

Haud igitur obstat, quin *Lexeographicam* habeamus non modo secundam et tertiam speciem *Scripturae Cuneoformis Persepolitanae*, quae multis *Polysematibus* variantur, sed etiam primam, ex qua vix quinquaginta diversa *Polysemata* videntur colligi posse: Quin potius inde criterium omnino et proprietatem characteristicam *Scripturae Lexeographicae* et *Crypticae* necessario desumemus et tenebimus.

### A r t. V.

*Quinto, quia tres species Scripturae Cuneoformis, quot occurrunt in Scriptura Persepolitana, possunt recte congruere uni et eidem Systemati Scripturae Lexeographicae Theologicae et Crypticae.*

Scilicet tum ratione obiectorum et rerum: Adeo ut *Coelestia* unâ specie, *Terrestria* secundâ, *Inferna*, vel *Funebria* tertia exponantur: Tum ratione perspicuitatis et claritatis, ut ex. gr. in secunda et tertia specie adhibeantur *Polysemata* certiora, clariora, quibus ambiguitas priorum auferatur vel minuatur: Tum ratione varietatis vocum et *Formularum*, ut eadem *Lemmata* diversis Synthesibus et *Polysematibus* exprimantur. Ceterum certum est in ipsis *Monumentis Hieroglyphicis* etiam tres species *Scripturae* distingui, et discerni 1. *Megaloschematicam* sive *Dramaticam*: 2. *Microschematicam* liberam: 3. et *Microschematicam* in *Ellipsibus* clausam: Etiam tres in *Papyris funebribus* 1. *Hieroglyphicam*: 2. *Schematicam tachygraphicam* 3. Et vere et proprie *Sematicam* et amorpham. Unum ergo et idem *Systema Graphicum Inscriptio-*

*num Persepolis* potuit constare tribus speciebus eiusdem *Scripturae Lexeographicae.*

### A r t. VI.

*Sexto, quia una haec Scriptura convenire potest Sacerdotibus Casticis, Mysticis et sollertibus.*

Nam difficillima est, et profanis impenetrabilis, opportuna Theologiae arcanae, et Liturgiae crypticae, et ea ipsa cuius usus esse non potuit nisi tenuis et rarus, ut diximus paullo supra Cap. III. pag. 242. Et ea tandem, ut modo Art. 3. pag. 279. innuimus, ex qua Elementa Arithmeticae Theologicae *Pythagorici*, *Platonici*, et *Eclectici*, Kabalica sua *Iudaei* et *Arabes*: et *Samanaei Sinenses* fundamenta sui Y-King desumere, et colligere potuerunt et debuerunt.

# HERMENEUTICES HIEROGRAPHICAE LIBER TERTIUS:

## DE LINGUA SCRIPTURAE VETERUM GENTIUM SYMBOLICAE, ET HIEROGLYPHICAE SIVE POLYSCHEMATICAE, SIVE POLYSEMATICAE.

## SECTIO I.

### LINGUA SCRIPTURAE AEGYPTIAE SYMBOLICAE, HIEROGLYPHICAE, HIERATICAE, ET OLIGOTYPICAE NON COPTICA, SED VETUS ET PURIOR SEMITICA HABENDA EST.

### CAPUT. I.

***Quoniam Scriptura Symbolica et Hieroglyphica ipsa et eadem fuit apud Aegyptios, Nubas, et Aethiopes, et Lingua Coptorum numquam obtinuit apud Nubas et Aethiopes; Linguam Symbolicam et Hieroglyphicam Aethiopum, Nubarum, et Aegyptiorum longe aliam a Coptica extitisse tenendum est.***

#### ART. I.

***Scriptura Symbolica et Hieroglyphica Aegyptiorum, Nubarum, et Aethiopum una fuit et eadem.***

Id patet ex ingenti numero Monumentorum, quae hactenus manent in illis Regionibus, et quorum Descriptiones vel Ectypa Viatores seduli et sollertes Belzoni, Burckardt, Gau, Caillaud, Huyot, Salt, Ruppel, aliique plures ad nos attulerunt.

### A r t. II.

*Nubas et Aethiopes numquam loquutos fuisse Coptice certum est.*

Nam ex quo noti sunt, *Lingua* prorsus diversa a *Coptica* usos esse constat. Idque iure in Anglum Bankes animadvertit vir hisce in studiis apprime versatus Iulius Klaproth in Observ. Crit. sur l' Alphab. Hierogl. pag. 5. Praeterea quum Nubae Christiani non Liturgia Coptorum, sed Graeca usi sint, argumento invicto colligimus Nubas usos fuisse *linguá* a Coptica plane diversa. Quantum autem discrepent *linguae* Abissinorum quotquot sunt a *Coptica* omnes norunt, qui has literas attigerunt.

### A r t. III.

*Ergo Lingua Hieroglyphica, quae una fuit Aethiopibus, Nubis, et Aegyptiis necessarie diversa fuit a Coptica.*

Nam, si data una *Scriptura Hieroglyphica* una prorsus *Lingua* danda est, et Nubae, atque Aethiopes *lingua* Coptica numquam usi sunt, utique *lingua* Coptica inveniri non poterit in *Monumentis Hieroglyphicis* Nubarum, atque Aethiopum. At eadem est *Lingua* Hieroglyphica Aegyptiorum, Nubarum, et Aethiopum: Ergo ne in *Monumentis* quidem *Hieroglyphicis* Aegyptiorum inveniri umquam poterit *Lingua* Coptitarum.

## CAPUT. II.

## *Quoniam nulla pars Bibliothecae Hierophanticae Aegyptiorum in Bibliothecam Copticam fuit inlata, diversis Linguis usos fuisse in Scriptis suis Hierophantas et Coptitas necesse est.*

### ART. I.

*Tertio et quarto Saeculo Christiano magna pars Bibliothecae Copticae fuerat iam absoluta.*

1. Ingentem numerum Christianorum tertio Ecclesiae saeculo fuisse in Aegypto collectum ex acerrimis persequutionibus Septimii Severi, Decii, et Diocletiani notum est. Quumque Evangelium nisi populari et communi *Lingua* praedicari et explicari tunc non potuisset, iam tum *Versiones Biblicas*, et Paraeneses Coptica *Lingua* descriptas extitisse necesse est. V. August. Georgium in Fragm. Theb. Evang. D. Iohan. Praef. p.152 153. Et *Alphabetum* Copticum, quod Christianis Coptitis debetur omnino, haud recentius esse potest fine secundi saeculi Christiani, vel initiis tertii: Quod rectissime perviderunt Georg. Zoega de Obelisc. Pag.457. Etienne Quatremere in *Recherch. sur la Langue et la liter. de l'Egypt* Pag.9.10. etc., aliique. Tum notum aliunde est S. Antonium Abbatem adhuc adolescentulum medio fere saeculo III. ad vitam heremiticam capessendam Lectione Evangelii *Lingua* Coptica factâ inductum fuisse V. Frid. Munter. in Specim. Coptic. Daniel. pag. 23. 24. Et si ineunte fere Saeculo IV. quindecim Episcopi Coptitae ad

Concilium Nicaenum accesserunt, necesse utique est et versiones Biblicas, et Libros liturgicos, et Canones, et Homilias, et alia huiusmodi *Lingua* Coptica fuisse descripta, et per populum diffusa. Vid. Assemann. Biblioth. Medic. pag. 54., Carabelloni Agiograph. Primigen. pag. 152. Etienne Quatremere Recherches sur la langue etc.de l'Egypt. pag. 9. 10. 11. etc.

### A r t. II.

*Collegia Hierophantica Sacerdotum Aegyptiorum viguisse adhuc tertio et quarto Saeculo Christiano, immo quinto et sexto aeque certum est.*

Id enim constat ex certissimis testimoniis Origenis, Plotini, Porphyrii, et Clementis Alexandrini, qui floruerunt tertio saeculo: Iuliani Imperatoris, Iamblichi, Eusebii Caesariensis, Ammiani Marcellini, Lactantii Firmiani, Hieronymi, qui quarto: Procli Lycii, Servii Honorati, Aurelii Macrobii, Synesii Cyrenensis, Martiani Capellae, qui quinto, Damascii Damasceni, et aliorum, qui sexto, quique de Scientiis et Disciplina Hieroglyphica Sacerdotum Aegyptiorum ut adhuc vigentibus et illustribus egerunt.

### A r t. III.

*Atqui nulla pars Bibliothecae Hierophanticae in Copticam fuit inlata.*

Id constat ex comparatione utriusque Bibliothecae. De Bibliotheca Hierophantica praeter ceteros egerunt Fabricius, et Harlesius in Biblioth. Graeca Tom. I. Pag. 81. ad 88., et Zoega de Obeliscis Pag.

502. ad 525. De Bibliotheca Coptica videri possunt idem Zoega in Catalog. Codic. Coptic. Etien. Quatremer. Recherch. P. 115. ad 146. Assemann. Biblioth. Orient. Tom. I. pag. 1. Append. Carabelloni Agiograph. Kircher. Prodrom. Copt. pag. 187. 195. et alii plures in Catalogis de MSS. Copticis. Collatis igitur sive libris, sive titulis, sive descriptionibus, sive fragmentis utriusque Bibliothecae, miraculo propius videri potest, quod Coptitae, qui per quatuor integra Saecula in eadem Regione cum Hierophantis versati sunt, non modo nullum Tractatum Theologicum, nullum Metaphysicum, nullum Liturgicum, nullum Hieroglyphicum, Astronomicum, Astrologicum, Chronologicum, Chorographicum, quaecumque eae disciplinae apud illos demum fuissent, sed quod nunquam citaverint, numquam excerpserint, numquam improbaverint, numquam refutaverint, quasi non in Aegypto, non inter Monumenta, et Hierophantas versati diutissime fuissent; sed potius in penitissima Iaponia proiecti morati fuissent. Quin quod gravius si Sacerdotes Coptitae visi sunt aliquando ad Theologiam Gentium accedere, Graecas potius Fabulas, vel Syras adtigerunt, quam Aegyptias.

## Art. IV.

*Christianae Religionis professio minime obstare potuit, quin potior pars Doctrinae et Literaturae Hierophanticae in Libros Coptitarum inferretur.*

***Christiana*** enim Religio naturâ suâ literas et disciplinas humanas recipit et tuetur, ut peculiaribus libris Basilius magnus inter veteres, piissimus Ludovicus Thomassinus inter recentiores prae-

ter caeteros demonstrarunt: Quumque insignem partem historiae Generis humani in Libris Sanctis servet, omnia Historica, omnia Chronologica, omnia Geographica, omnia quae ad Linguas veteres spectant, amice complectitur et fovet. Ex quo revera factum est, ut Patres Ecclesiae Graecae et Latinae universam *literaturam* Gentium tam plene arripuerint, et penitus imbiberint, ut pluribus solertissimis ex profanis Scriptoribus doctiores evaserint, et fere totam literaturam Profanam in libros et commentarios suos transfuderint et servaverint.

2. Praeterea eadem *Christiana Religio* divinâ suâ et fundamentali institutione Proselytica est et propaganda, semperque insigne officium Sacerdotii *Christiani* habitum est heterodoxas Gentes ad Sanctam Religionem praedicatione, sermone, libris adducere; quumque id fieri plerumque non possit nisi Theologiâ, Liturgiâ, et universâ Gentis heterodoxae Archaeologiâ probe et plane noscatur, hinc data semper est, daturque etiam hodie a *Christianis* opera, ut Linguam, Scripturam, Theologiam, Liturgiam, et quamcumque Archaeologiam Gentium heterodoxarum addiscant, quo eas Gentes Christo lucrifaciant.

3. Quamobrem, quum profanarum Religionum cultus, et ipsa Collegia Hierophantica usque ad sextum saeculum Christianum in Aegypto servata fuissent, et viguissent, *Christianae Religionis* professio non modo Coptitas a studio *Aegyptiae Archaeologiae* arcere numquam potuit, sed stimulos vehementissimos addere debuisset, ut quam citissime impia dogmata profligarent. Et eo magis, quod Alexandrini ad portas Regionis suae id iam per Origenem, Pantaenum, Clementem, Athana-

sium, Cyrillum, aliosque summa cum laude iam praestitissent.

## A r t. V.

*Fuisse Coptitis libros Hierophanticos et Archaeologicos, eosque vel periisse, vel celari adhuc in Cryptis et Coenobiis suis, mendaciter et inepte affirmatur.*

Nam nil absque testimonio idoneo, et absque aequa auctoritate affirmari potest, et quod sine ullo argumento certo affirmatur mendacium est. Atqui nulla auctoritate huiusmodi Librorum existentia probari potest, et plurimis contra et invictis argumentis improbari potest et refelli.

Si enim percurrimus Libros Coptitarum lingua sua descriptos, si Libros Graecorum et Latinorum de Coptitis agentes, ita cuicumque eruditioni extraneos, ita cuicumque *Hierophanticae* scientiae adversos Coptitas deprehendimus, ut numquam potuisse libros impense doctos et profundae Archaeologiae ab eis componi, qui una Lingua Coptica essent imbuti, certo colligatur. Et profecto qui doctus est et eruditus, ubicumque et semper est doctus, ubicumque et semper eruditus est. Clemens Alexandrinus, Hieronymus Stridonensis, aliique fere universi Patres Graeci et Latini eruditi sunt semper, docti sunt ubicumque. Si Epistolam scribunt eruditi, si Vitam docti, si Paraenesin omni literaturâ instructi sunt. Atqui innumerae sunt Coptitarum Homiliae, Paraeneses, Vitae, Acta, et alii libri similis generis, ex quibus impossibile est aliquid specimen solidae *Archaeologiae* desumere, non Pharaonum veterum, non Macedonum, non Caesarum facta, non gesta aliqua Re-

gum externorum colligere, vel temporum epochas corradere, vel mores, et instituta vetera, et ceremonias, vel mythos et fabulas aliquot Deorum noscere. Quin etiamsi extitissent Libri illi, quorum Titulos Apocryphos et ineptos ex Coptita mendaci retulit Kircherus App. ad Scal. Magn. pag. 510. 511. et in Obel. Pamphil. P. 34. 35. haud multum iuvaretur *Archaeologica* Coptitarum eruditio. Adeo ut, quemadmodum dicebamus, verum et mirum sit nullam partem Bibliothecae Hierophanticae in Copticam fuisse inlatam.

## Art. VI.

*Nulla alia esse potuit caussa tam absolutae vacuitatis Patriae Archaeologiae in Libris Copticis, quam radicalis differentia Linguae Copticae, et Hierophanticae.*

Data enim identitate, vel magna similitudine *Linguae* Copticae, et Hierophanticae, omnes Coptitae Christiani excultiores intellexissent *Scripturam Hieroglyphicam*, vel ad minimum ceremonias sacras, preces, hymnos, sacrificiorum formulas: et de iis propterea saepissime egissent: quemadmodum Graeci et Latini Christiani de disciplinis Graecorum et Latinorum, de ritibus et sacrificiis egerunt frequentissime. Atqui Coptitae numquam *Hieroglyphica*, numquam Scientias arcanas adtigerunt, numquam ritus preces sacrificia sua vetera descripserunt. Ergo debuerunt uti *Lingua* omnino diversa: qua diversitate datâ, etsi Coptitae ardentissime refellere *Hierophantas* cupiissent, numquam potuissent carentes essentiali ratione et modo, quo id facerent, *Linguâ* nempe: Tum enim nec nomina Deorum, nec cere-

monias et ritus, nec mythos, nec symbola, nec Hieroglyphica adgredi et impetere potuerunt, eorum etiam nominum et vocabulorum ignari.

## Art. VII.

*Ergo Lingua Coptica alia plane et diversa fuit a Hieroglyphica et Hierophantica veterum Aegyptiorum.*

*Bibliotheca* Coptica et *Hierophantica* per quatuor circiter saecula unâ et simul vigent in eadem Regione, in iisdem Urbibus Aegypti. *Bibliotheca* Coptica caret quacumque disciplina, quacumque parte *Bibliothecae Hierophanticae*. Atqui id fieri nullo pacto potuit, nisi data absoluta *Linguae* diversitate. Ergo *Linguam* Copticam penitus diversam extitisse a *Hierophantica* tenendum est.

## CAPUT III.

*Quoniam plurimas voces Theologicas et Metaphysicas, plurimas Ethicas, et Politicas, non a Hierophantis suis, sed a Graecis externis Coptitae sunt mutuati, necesse est Hierophantas usos fuisse Lingua a Coptica prorsus diversa, et incommunicabili.*

### ART. I.

*Plurimas voces Theologicas, Metaphysicas, Ethicas, Politicas, et usus socialis cultioris Coptitae a Graecis sunt mutuati.*

Patet id lectione quorumcumque Librorum Copticorum, sive originalium, sive ex Graeco conversorum: patetque ex Lexicis Copto-Arabicis, quae ipsi Coptitae in usus suos sub Arabum dominio concinnarunt. Ex quibus omnibus tanta vis Graecorum vocabulorum colligitur, ut Kircherus aliquando Linguam Graecam a Copticâ, contra Isaacus Vossius, et Stephanus Rittangelius Copticam a Graeca fluxisse autumaverint: Et plures cum Pfeiffero viro doctissimo Semi-Graecam dixerint *Linguam* Ecclesiae Copticae.

A r t. II.

*Graeca verba, quae Coptitae a Graecis sunt mutuati non ex necessario utriusque Gentis commercio, sed ex vera inopia Linguae Copticae recepta sunt.*

Populi victi, qui certâ et clarâ *Lingua* utuntur, paucissima tantum vocabula, et quae maxime nova munera spectant, a victoribus mutuantur: Contra Populi, qui incertâ adhuc et imperfectâ *Linguâ* utuntur, sive victores, sive victi, a Populo sive victo sive victore plurima vocabula et avide arripiunt. Graeci a Romanis victi nulla fere vocabula adoptarunt. Syri et Palaestini haud multa a Graecis et Romanis. Romani etsi victores plurima a Graecis, Hispani et Galli omnia fere a Romanis, Germani plura. Nos Itali a dominatoribus Hispanis, Gallis, Germanis paucissima: Angli a Gallis innumera susceperunt. Si igitur Coptitae tertio et quarto saeculo Christiano usi fuissent *Lingua* certa et perfecta, vix paucissima, et ea tantum, quae *Religionem* singillatim spectarent, adsumsissent, non vero tantum numerum, qui sextam fere partem totius *Linguae* exaequet. Igitur ex vera inopia et imperfectione *Linguae* suae vocabula a Graecis mutuari potuerunt Coptitae; et propterea haud recte Commercium cum Graecis caussam veram adoptionis tot vocum cum aliis pluribus autumavit Etienne Quatremère. Recherch. p. 16. 17.

## Art. III.

*Etsi concedatur in Libris Coptitarum occurrere semper verba Coptica aequipollentia verbis Graecis adoptatis, semper verum esset ex verâ imperfectione Linguae Copticae ea olim fuisse recepta.*

Nonnulli animadvertentes saepius verbis Graecis adoptatis substitui voces Copticas, inde collegerunt *Linguam* indigenam fuisse copiosam et plenam, et verba Graeca omnino debenda Interpretibus imperitis, et laboris impatientibus. Vid. Quatremère Recherch. p. 18. Sed hi partium studio evidenter abripiuntur. Primo, quia centuriae sunt verborum Graecorum in libris Copticis, quae non possint rite exprimi per aequipollentia Coptica. Et Lexica Copto-Arabica IX. X. XI. saeculo Christiano condita, quum vel Graecorum nomen dedidicissent Coptitae, intimam et absolutam necessitatem vocabulorum Graecorum innumerorum invicte demonstrant. Eoque magis, quod numquam in istis *Lexicis* de huiusmodi *aequipollentia* agitur, et de qua, si extitisset, erat necessario agendum, et agere facillimum erat, ne adolescentes et Tirones in gravissimos errores passim prolaberentur. Notum porro aliunde est quam sint rara *Verba aequipollentia* et maxime in Linguis originis et ingenii diversi. Secundo, quia etsi omnes prorsus voces Graecae possint per Copticas expelli, non inde fit illas olim non fuisse adoptatas ex verâ inopiâ *Linguae* Copticae. Omnis *Lingua*, cui sint 1000. vel etiam 500. Radices propriae et suae, ita potest excoli, et ditari, ut quicumque numerus vocum peregrinarum possit penitus expelli. Si Latini vo-

luissent excolere Radices suas, potuissent omnia Graeca vocabula expellere, et si modo Angli vellent revocare Radices suas Saxonicas, possent expellere omnes voces Romaicas. Et aiunt modo Neograecos acriter incumbere, ut voces Italicas, Turcicas, Albanenses ex *Lingua* sua expellant. Sed quid tum? Semper verum et certum erit Romanos, Anglos, Neograecos, et adeo Coptitas verba Graeca, Romaica, Italica adoptasse, quod propria vel prorsus deessent, vel essent incertae, ambiguae, et non ita exploratae et definitae significationis. Et propterea cum Coptitae per quatuor fere saecula in excolenda *Lingua* sua graviter incubuissent, haud mirum esset, si plura verba Coptica Graecis aequipollentia procudissent, vel firmassent usu et auctoritate.

Praeterea verba Graeca adoptata non occurrunt in versionibus aliquibus Librorum sublimium, et arcanorum, sed in versionibus Biblicis, quae quotidie Populo praelegebantur, in Homiliis, et Paraenesibus, quae plebi et popello recitabantur, in Sanctorum Vitis, et Actis Martyrum, quae universus Populus legebat. Atqui si fuissent Populo omnia vocabula propria, indigena, clara, certa, recepta, numquam is voces ignotae potestatis et peregrinas recepisset: sed statim reiecisset, et propria substituisset. Et si imperitus aliquis Interpres, ausus fuisset peregrina patriis praeferre, statim versionum cura aliis doctioribus et solertioribus tradita fuisset, et peregrina fuissent expuncta, et patria reposita. Ergo verba Graeca a Coptitis adoptata ex vera inopia et imperfectione *Linguae* Copticae adoptata fuisse tenendum est.

### Art. IV.

*Linguam Hierophanticam et Hieroglyphicam Aegyptiorum ne tertio quidem, quarto, et quinto saeculo Christiano eguisse vocibus Graecis Theologicis, Ethicis, Politicis, quas Coptitae a Graecis adoptarunt, certum est.*

Nam Graeci, Latini, Syri, Alexandrini, et alii aliarum etiam Gentium, qui per haec saecula floruerunt, et de Hierophantis Aegyptiorum egerunt, et quorum plures superius pag. 286. citavimus, constantissime et unanimes eos, ut adhuc doctos, sapientes, et pluribus et profundis disciplinis instructos praedicarunt, Libros eorum recensuerunt, et Titulos recitarunt. Atqui si *Linguae* suae literatae defuissent illa vocabula, quae Coptitae a Graecis adoptarunt, non Librum unum, non Disciplinam unam excolere potuissent, sed omnium mortalium imperitissimi extitissent. Ergo certissimum est *Linguam* sacram et *Hieroglyphicam* Aegyptiorum minime eguisse, ne IV. quidem, vel V. saeculo Christiano, vocibus Graecis, quas Coptitae adoptarunt.

### Art. V.

*Si Coptitae Linguam suam per Graecam quidem, non per Hierophanticam perfecerunt, utique Lingua Hierophantica diversa fuit a Coptica, et incommunicabilis.*

Coptitae et Hierophantae per quatuor circiter saecula in eadem Regione unâ vivunt et scribunt. Voces, quas Coptitae mutuantur a Graecis, exceptis iis, quae singillatim *Religionem Christianam*

spectant, si minus sono, sunt potestate et vi in *Lingua Hierophantica*. Atqui *Lingua* cui ingens numerus vocum est, diversa est a Lingua cui idem numerus deest, et *Lingua*, quae defectui alterius non succurrit, dum Gentes unâ vivunt et degunt, est incommunicabilis. Ergo *Lingua Hierophantica* Aegyptiorum alia omnino fuit a Coptica, et Coptitis incommunicabilis.

## CAPUT IV.

*Quoniam nomina propria Regum, Sacerdotum, et reliquorum etiam Civium Aegyptiorum nullas claras origines, nulla certa Etyma in Lingua Coptitarum nanciscuntur; Linguam Copticam a sacra et Hieroglyphica, vel ab originali et vere propria et patria Aegyptiorum diversam extitisse fatendum est.*

### ART. I.

*Penes omnes Gentes saltem cultiores Nomina propria Regum et Civium habent saepius clara et certa Etyma vel in Lingua Sacra et Theologica, vel in Patria et propria.*

Nam Nomina propria, vel sumuntur a Nominibus Divinis et Sacris, vel a vocibus Patriis, quibus plerumque gesta, facta, casus, vices, proprietates corporis, vel dotes animi, vel vota, desideria, et auguria significantur. Adeoque certum est pleraque saltem Nomina propria, quae

apud aliquam Gentem obtinuerunt, vel in *Lingua Theologica*, vel in *Patriá etyma* clara et origines certas nancisci. Et re quidem vera data Sylloge nominum propriorum Hebraicorum, Phaeniciorum, Punicorum, Arabicorum, Graecorum, Latinorum, Gothicorum, Sinensium etc. plurima ex iis certissima etyma in *Lingua Patria* vel *Sacra* nanciscuntur. Data vero Sylloge *Nominum* recentiorum Gentium Europaearum, etiam ex eis plurima per *Linguas* vel Sacras et Theologicas; vel Patrias clare et perspicue intelliguntur. Adeo ut omnino certum et exploratum habendum sit: nullam esse Syllogen *Nominum* propriorum receptorum apud Gentem paullo cultiorem, ex qua duae saltem ex tribus partibus per *Linguam* Sacram, vel Patriam non intelligantur, et perspicue explicentur.

## A r t. II.

*Nomina Regum, Sacerdotum, et reliquorum etiam Civium Aegyptiorum certas origines et clara etyma in Lingua Coptitarum haudquaquam nanciscuntur.*

Id plane constat ex tentaminibus vanis et irritis, quae susceperunt et protulerunt Claudius Salmasius, Mathurinus La Croze, Ernestus Jablonski, Reinoldus Forsterus, Augustinus Georgius, Ignatius Rossius, Georgius Zoega, Guillelmus Drummondius, et si qui alii adhuc sunt. Irrita autem, dixi, quia Viri literati haud probarunt, et receperunt. Quin plures aperte respuerunt, ut Akerbladus sur l' Inscript. de Rosette p. 51. Etienne Quatremère Recherch. p. 25. 26. et acrius etiam Ignatius Rossius Notula ad me missa circa annum 1817. etyma quidem ab aliis tentata reiecit.

## Art. III.

*Etiamsi verum esset pleraque Nomina propria Aegyptiorum facta esse ex Nominibus Deorum, quod falsum est, aeque semper verum esset Etyma eorum in Lingua Coptica non inveniri.*

Nam potissimum Nominum Divinorum Etyma et origines clarae, certae, rationales in Lingua Coptica inveniri non possunt. Et curae acerrimae Doctorum Virorum, quos modo citavimus, maxime ad detegendas origines Nominum Divinorum fuerunt et frustra adhibitae. Plura nomina Aegyptiorum, ut apud ceteras omnes Gentes, facta ex nominibus Divinis negari non potest. At ea esse pleraque, vel plurima falsum est. Et qui is affirmat, ut affirmare videtur Champollionus iunior in suo *Precis* pag. 108. 109. is haud respexit ad nomina Regum Aegyptiorum, quae colliguntur ex Manethone, Eratosthene, Herodoto, Diodoro, Syncello, aliisque; nec ad Nomina Civium etiam Aegyptiorum, quae ex Papyris demoticis sunt per hos annos eruta: inter quae ingens est omnino numerus Nominum propriorum, quae ad nota Nomina Deorum Aegyptiorum impossibile est rationali modo referre: Et utraque sive *humana* sive *divina Nomina* impossibile est per clara et perspicua *Etyma* ex *Lingua Coptica* derivare et deducere.

### Art. IV.

*Inscite affirmatur ex tenuitate Lexici Coptici tentari recte et apte non posse Etyma Nominum propriorum Aegyptiorum.*

1. Nam primo, quum supersint versiones Copticae totius vel fere totius veteris Testamenti, sive universae Bibliothecae Hebraicae; quum supersint versiones Novi Testamenti, et aliquot Conciliorum, et Liturgiarum, et Homiliarum Graecarum, quae respondent insigni parti Lexici Graeci; quum supersit ingens adhuc numerus Homiliarum, Vitarum, Actorum originalium, quum adsint plura Lexica genuina Copto-Arabica IX. X. XI. XII. Saeculi, superest omnino Copticum Lexicon, quod vocum radicalium numero ipsum Latinum Lexicum superet: Adeoque servari adhuc in MSS. Codicibus Copticis plenum Gentis Lexicon certum est.

2. Secundo, ut in data Sylloge *Nominum propriorum* aliqua pars explicetur haudquaquam requiritur Lexicon absolutum et plenum *Linguae* eorum, sed quandoque satis sunt aliquot Vocum centuriae. Si quis vult scire potestatem *Nominum* propriorum Prosperi, Felicis, Innocentii, Clementis, Pii etc. vel Eusebii, Timothei, Theodori, etc. haudquaquam necesse est, ut quis absoluta Lexica Latina vel Graeca exquirat, satis est levis usus harum *Linguarum*.

3. Et profecto id fieri necesse est, quia pleraque *Nomina* propria a casibus obviis, et notis, a votis et desideriis communibus et solitis imponuntur. Si ergo *Nomina propria* Aegyptiorum ex vocibus *Linguae* Copticae fuissent desumta, pleraque datis tantum aliquot Homiliis et Vitis,

et Actibus Martyrum perspicue explicarentur. Et profecto si Ignatius Rossius in suis Etym. Aegypt. non pauca Nomina Coptica Plantarum ita feliciter per Lexica vulgata tentavit, ut consensum vel invito extorqueat, quidni sive ipsemet sive alii idem praestitissent per eadem Lexica in Nominibus propriis humanis et divinis, si radices eorum revera fuissent in Linguâ Coptitarum? Inscite igitur affirmatur ex tenuitate Lexici Coptici Etyma Nominum propriorum Aegyptiorum non inveniri.

## A r t. V.

*Ergo praeter Linguam Ecclesiae Copticae fuit alia Lingua in Aegypto, ex qua sive recta, sive per Temuras et Lexeotropos, sive per alias rationes nomina propria Personarum peterentur.*

Nam si Nomina propria absque Etymis et originibus suis esse nequeunt, et impossibile est obtinere per *Linguam* Copticam clara et rationalia Etyma illorum *Nominum* propriorum, utique alia *Lingua* esse debuit, ex qua sive recta et immediate, sive per Sacerdotalem aliquam artem, per Temuras, et Lexeotropos, per versionem Stemmatum Hieroglyphicorum, et eorum Crypticam interpretationem Nomina propria peterentur; et ex qua adeo huiusmodi *Etyma* petenda sint.

## CAPUT V.

*Quoniam Lingua Communis et Popularis Aegyptiorum ab ipsa aetate Josephi Proregis usque ad saeculum tertium Christianum varia, inconstans, mixta, hybrida fluxit, nequaquam haberi potest pro Lingua Hieroglyphica necessario constanti, fixa, certa, et homogenea a vetustissimis suis initiis usque ad sextum Saeculum Christianum.*

### ART. I.

***Omnes Linguae Sacrae et Theologicae, maxime in Regiminibus Casticis et Hierarchicis certae, fixae, immotae constituuntur.***

Nam quum cogitemus per verba, et verba saepissime unius literulae immutatione fiant diversa, adeoque literulâ unâ additâ vel detractâ in Heterodoxiam labi sit pronum, ut in quaestione Ariana factum est: hinc omnino necesse est, ut qui Systema aliquod Theologicum condere vel propagare ament, primum omnium condant vel adoptent Linguam copiosam, certam, accuratam. Quod longe magis est necessarium in Regiminibus Casticis: In istis enim nisi universa *Hierarchia Sacerdotalis* in unum corpus, et in unam quasi mentem et voluntatem componatur, statim Regimina ipsa corruunt et immutantur. Atqui si *Lingua* Sacerdotalis est adhuc incerta, fluxa, hybrida, imperfecta, Heterodoxia necessario

consequitur, Heterodoxiam turbae, divisiones, partes, et adeo dissolutio systematis Politici. Quamobrem, si certum est invaluisse apud aliquam Gentem et durasse per plura saecula Regimen *Casticum* et *Hierarchicum*, aeque certum habendum est *Linguam Sacram* et Sacerdotalem fuisse per plura saecula certam, fixam, immotam. Et profecto si Codices Religiosos omnium Gentium, quibus sunt, inspicimus et consideramus, Pentateuchum, Evangelia Graeca, Latina, Syra etc. Koranum, Vedas, Kingos etc. *Linguam* eorum, ex quo conditi et propagati sunt, omnino fixam, immotam, eamdem deprehendimus.

A r t. II.

*Linguam Sacram et Hieroglyphicam Aegyptiorum durasse fixam, certam, homogeneam a suis initiis ad finem usque ex ipsorum Monumentorum inspectione, et Scriptorum auctoritate certum est.*

1. Nam Schemata fundamentalia *Scripturae Hieroglyphicae* eadem prorsus sunt in omnibus Monumentis Aegyptiorum genuinis cuiuscumque aetatis, cuiuscumque loci, cuiuscumque conditionis, nullo excepto: Et propterea una omnino *Scripturae Lingua* in quacumque aetate esse debuit. Conspicitur quidem in *Schematibus* reliquis aliqua diversitas et varietas, sed haec *Schemata* sunt *Symbola determinantia*; et plerumque in arbitrio Scriptoris posita: Adeo ut in eodem loco, et in eodem tempore, unâ prorsus et eâdem Linguâ, potuissent condi plures *Inscriptiones Hieroglyphicae* multum inter se quoad *Symbola determinantia* discrepantes.

2. Praeterea ii ipsi literati viri Aegyptii, Alexandrini, Syri, Palaestini, Graeci, Latini, qui *Hieroglyphica* attigerunt tertio, quarto, quintove saeculo Christiano, omnes et vetustatem, et durationem eorum constantem et immobilem vel indicarunt, vel demonstrarunt. Inter quos laudandi praecipue sunt Clemens Alexandrinus, Porphyrius Phoenix, Plotinus Aegyptius, Iamblichus Syrus, Proclus Lycius etc. etc.

## ART. III.

*Omnes Linguae, quae non sunt Grammatodynamicae et Temuricae, carentque Bibliotheca Classica et Populari, necessario variae, inconstantes, hybridae fluunt.*

Unae *Linguae Grammatodynamicae*, et *Temuricae* vi ipsius *Grammatodynamis* et *Temurae* servari possunt constantes et immotae ore et traditione. Sed omnes ceterae *Linguae Physiophonicae*, vel data opera etsi sollertissime factae et compositae, et multo magis, quae depravatae et corruptae sunt, ubi non sit praesto *Bibliotheca Classica* magna, selecta, insignis, necessario variae et inconstantes fluunt; quum nullae sint in eis vires propriae et immotae, quibus serventur incorruptae, et plurimae contra caussae, et ingentes vires corruptionis et immutationis sint praesto in imperitia et ruditate Vulgi, in licentia pronuntiationis, in commixtione familiarum et tribuum heteroglossarum, in cursu ipso Rerum humanarum.

## Art. IV.

***Coptitarum Lingua nec Temurica est, nec Grammatodynamica, caruitque Bibliotheca populari usque ad saeculum quartum Christianum.***

Linguam Copticam non esse *Temuricam*, sive voces eius per *Literarum transpositionem* non gignere alias voces aeque probatas et receptas cuicumque animadvertenti evidens est. Non esse *Grammatodynamicam* eius balbuties, et hiatus aeque evidenter demonstrant. Nullos tandem Libros Lingua populari Aegyptiorum descriptos et receptos ante *Versiones Bibliorum* Christianorum extitisse aeque constat. Qui autem putaret aliquo numero Actuum et Syngrapharum socialium emtionis, venditionis, locationis, donationis posse linguam communem alicuius Gentis constitui et figi erraret. Hoc enim pacto Dialecti peculiares potius singularum urbium et oppidorum separantur, quae Dialecti semper inter se sive multa sive minore diversitate laborant, numquam *Lingua* una, et communis constituitur certa, et immota.

## Art. V.

***Populum Aegyptium ex pluribus, et diversis Gentibus fuisse compositum ex ipsis Monumentis patet.***

Qui ***Mumias***, ***Statuas***, ***Anaglypha***, et ***Dramata*** Aegyptiorum attente explorarunt quinque *varietates* humani *Typi* in Aegypto extitisse deprehenderunt 1. Scilicet Typum *Indicum* sive, ut ego teneo, ***Chusiticum*** vetustissimum ad Sinum Persicum. 2. *Caucaseum* vel *Assyrium*. 3. *Arabi-*

*cum.* 4. *Copticum.* 5. *Aethiopicum* vel *Nubicum* Adeoque dubitari non potest, quin Populus *Aegyptius* olim ex *Assyriis*, *Persis*, *Syris*, *Arabibus*, *Nubis* coaluerit. Praeterea fuisse adhuc sub Ptolemaeis in Aegypto incredibilem varietatem colorum, et formarum humanarum patet ex *Papyris* Graecis sive Syngraphis Civilibus ibi inventis. Vid. Papyr. Aegypt. interpr. Aug. Boeckio etc.

## A R T. VI.

*Populum Aegyptium a vetustissimis temporibus usque ad Romanos ex diversarum Gentium colluvie coaluisse ipsa Historia Aegyptiorum evincit.*

1. Scilicet ab ipsa aetate *Mosis*, et Exodo Hebraeorum exercitus ingentes *Pastorum Inachidum*, *Phoenicum*, *Syrorum*, *Philisthinorum*, *Scytharum* Aegyptum oppleverunt, ut prolixius in Chronicis, Deo dante, disseremus. Quin paullo post *Arabo-Chusitae* et Nubiam et Thebaidem occuparunt. Et qui putaret omnes has Tribus post tria vel quatuor saecula dominationis et morae penitus fuisse ex Aegypto pulsas, parum gnarus esset Rerum humanarum.

2. Sub *Davide* Hebraeorum Rege plurimi Idumaei, ut gladium Ioabi effugerent, in Aegyptum concesserunt.

3. Sub *Roboamo Sesostris* ille celeberrimus infinitum vulgus et servitia innumera ex pluribus et diversissimis Gentibus *Aegypto* intulit.

4. Sub *Asa* et aliis Regibus successoribus plurimae tribus *Aethiopum Aegyptum* occuparunt, et per tria fere saecula habuerunt.

5. Sub *Achazo*, *Ezechia*, *Iosia*, *Ioachimo*,

*Sedecia* plurimi *Syri*, plurimi *Palaestini*, plurimi *Hebraei* refugium in *Aegypto* quaesiverunt adversus infandam atrocitatem Regum *Assyriorum* et *Chaldaeorum.*

6. Sub Imperio *Persarum* praeter ipsos *Persas* plurimi erant in *Aegypto Libyi*, *Phoenices*, *Cares*, *Graeci.*

7. Et sub ipsis *Ptolemaeis* praeter *Macedones* et *Graecos*, *Syri*, *Samaritani*, et *Hebraei* plurimi.

ART. VII.

*Constat ergo ex Monumentis et Historia Populum Aegyptium usque ad tertium et quartum saeculum Christianum usum fuisse Lingua varia, inconstanti, hybrida.*

Nam si Gentes *heterogeneae*, necessario sunt etiam *heteroglossae*, si impossibile est Gentes diversorum climatum et aliae originis in eadem pronuntiatione consentire, si *Linguae* non *Temuricae* ubi *Bibliotheca* populari non adiuventur, fluxae et inconstantes necessario sunt, tenendum utique est *Linguam* Aegyptiorum usque ad IV saeculum Christianum hybridam et inconstantem fluxisse.

*

## CAPUT VI.

### *Antiquam Linguam Popularem Aegyptiorum fuisse variam, inconstantem, et plurimum diversam a Lingua Ecclesiae Copticae directis argumentis et testimoniis demonstratur.*

#### ART. I.

*Lingua Ecclesiae Copticae una ex Linguis est, quae maxime discrepat a quacumque dialecto Linguae Semiticae.*

Nam quidquid sit de paucis aliquot congruentiis, quas praesertim Barthelemyus animadvertit, et recensuit in *Act. Acad. Inscript.* Tom. XXXII. pag. 215. quidquid sit de serie quadam vocum Copticarum, quarum etyma in dialectis Semiticis perspicua, et certa visa sunt Pfeiffero in *Critica Sacra* p. 782. etc. Rossio de *Etymolog. Aegypt.* et aliis doctis viris, quidquid sit de Etymis Temuricis, Homiophonicis, Homiodynamicis, aliisque arcana et secreta arte confectis, quae hic nec spectantur, nec spectari possunt, tanta est diversitas vocum et sonorum, tanta discrepantia Grammatices, ut merito inter Linguas a Semiticis diversissimas collocaverint Kircherus, Renaudotus, Beyerus, Wilchinsius, Assemanius, Picquesius, Edwardus, Hottingerus, Lacrozius, Iablonskius, Dydimus Taurinensis, Georgius, Quatremerius aliique plures maxime ex recentioribus.

ART. II.

*Lingua popularis Aegyptiorum tempore Iosephi Proregis et Mosis Legislatoris longe propior Hebraicae esse debuit, quam Lingua Ecclesiae Copticae.*

1. Nam primo *Voces Aegyptiae*, quas Moses in *Genesi* et *Exodo* nobis servavit, non occurrunt homophonice et homodynamice in Lexico Coptico, quod habemus, vel possumus habere: Et qui ex radicibus Copticis eas deducere conati sunt, ut Pfeifferus, Lacrozius, Iablonskius, Rossius, Marcellius, Drummondius, aliique ita aegre, et parum apte effecerunt, ut doctorum Virorum suffragia minime retulerint. Atqui contra si Voces illas *Aegyptias* per radices *Semiticas* tentamus, longe propiorem homiophoniam, et opportunissimam homiodynamin nanciscemur.

2. Vox Aegyptia אברך ABRK *Genes.* XLI. v. 43. est ipsum Hebraeorum ברך BRK, quod est *genuflectere, prosternere se, benedicere*, fausta prospera precari, salutare, quae non modo opportunissima, sed necessaria proposito. Qui maluerunt *aperek* Copticum *caput inclinare*, nec ad insolentiam compositionis, nec ad orthographiam, nec maxime ad mores Orientalium cogitarunt; Nam etiam aetate Abrahami et Iacobi, prosternebant humi se pronos ad Personas eminentiores et digniores, non *caput* tantum inclinabant.

3. פרעה PHROE *Pharao* est ipsa vox Chaldaica profundae et opportunissimae sententiae, facta ex פרע PHRO, et רעה ROE, significat enim 1. Iudicem, arbitrum, 2. Vindicem, ultorem, retributorem: 3. Serenum tamen tranquillum, 4. Legibusque so-

lutum, 5. Pastorem, Rectorem, Regem. Quae omnia sunt vel esse debent in *Rege*; et *Pharaonem* Aegyptiis significasse *Regem* testis est Iosephus Flavius in Antiq. Libr. VIII. cap. 2. pag. 269. Africanus apud Eusebium in *Excerpt. Scaligeri* pag. 20. D. Hieronymus in Cap. XXIX. Erechiel. aliique. Qui respexerit ad ineptum et heterophonum Coptitarum *ouro* vel *pi-ouro*, quanti fuerint *Aegyptii*, quantus *Moses* prorsus ignorat.

4. און AVN, אן AN Deus Coeli, utque plurimi tenent ipse Sol, vox est apud plerosque Semitas receptissima, et summa probabilitate Hieroglyphice facta, scilicet ex contractione vocum און AVN, הון EVN, עון OVN, עין OIN, ex quibus exsuperantissima quaedam potestas colligitur, et quam etsi impie potuit Ieroboamus Rex Israel, cui divina Lex ignota non erat, Sanctissimo nomini Dei Opt. Max. substituere. Quid dabunt Coptitae praeter tenuissimum *uoini* lucem?

4. משה MSCE *Moses* est vox pura Hebraica, et qui nescio quam *Moui* aquam *Coptitarum* obtrudunt mendacem faciunt Prophetam veracissimum, qui semper eodem modo nomen suum scribit. Et *Mou-si*, immo *Mou-ggi*, vel ut scribit Rossius *Moougiai*, scriptum משה MSCE a *Mose* literatissimo nefas est cogitare. Verum quidem est Iosephum Flavium, et alios etiam ex Veteribus nomen *Mosis* a liberatione ab aquis deduxisse, et *Mo aquae* Aegyptiorum meminisse, quasi esset *mo-yses*. Sed nullum est horum testimonium prae *Mosis* auctoritate. Eoque magis id profitemur, quod si huiusmodi *Etyma* vera essent propositum nostrum magis firmaretur; Nam מא MA Arabice pariter aqua est, et *liberare* etiam Hebraice est ישע ISCO, quod ipsum est *ise* Iosephi Flavii; ex

quibus potius pateret Linguam Aegyptiorum tempore ipsius Flavii Iosephi refertam fuisse vocibus Arabicis, et Hebraicis.

5. Nomen Aegyptium *Iosephi Proregis* est צפנת TZPHNT פענח PHONC, vel ut habet *Textus Samaritanus* פענה PHONE, et secundum Philonem Iudaeum, Iosephum Flavium, Onkelosum, Ionathanem, secundum Auctores aliarum versionum Orientalium, secundum Rabbinos plurimos, et plures Ecclesiae Patres eruditissimos significant *Revelatorem*, *narratorem Arcanorum*, et *secretarum rerum*, ut iam pluribus animadverterunt Kircherus in *Prodr. Copt. pag.* 123 etc. et Pfeifferus in *Oper. Philologic. Tom.* I. *pag.* 568 etc. Attamen qui Etyma *Coptica* quaerunt, vel ab ista sententia, vel ab illa vocum orthographia recedere coguntur. Contra vero ענה ONE est vox pure Semitica, et significat *respondere*, *responsa dare*, et omnino de rebus futuris, secretis; *canere fata, augurari*, quod plane congruit: Tum צפן TZPHN est ipsis Semitis *abscondere*, *celare*, quod aeque opportunum. Quamobrem si demus *Aegyptios* proprietate Sermonis sui litera ף PH PI usos ut *verba* facerent *nomina*, adeo ut, si ענה ONE sit *respondere*, פ-ענה PH-ONE sit *qui respondet*: Omnino *Iosephi* nomen Aegyptium fuit, *qui respondet* de arcanis et ignotis rebus, qui *revelat futura*. Idque eo magis teneo, quod vox ענה ONE Semitis sit 1. *loqui disserere*, respondere, 2. *afflictus*, *vexatus*, oppressus, 3. *Dives, locuples*, beatus: quae omnia *Iosepho* congruunt, et *vitam* eius quasi in compendio continent. Atqui Veteribus *nomina* summa sollertia imponebantur. Ergo Iosephi nomen Aegyptium per etyma quidem Hebraica egregie, per Coptica non nisi incongrue potest tentari.

6. Tenue quidem est hoc Specimen, sed ex necessaria analogia late ampliari potest. Adeo ut tenendum omnino sit plurimas voces *Aegyptias* tempore adhuc Mosis fuisse *Hebraicis* proximas et similes. Et tum *Lingam Popularem Aegyptiorum* fuisse tantum Dialectum *Semiticam* corruptam et depravatam, non vero linguam penitus et radicitus diversam, ut *Coptica* est: Quod iure et recte tenuerunt Bochartus, Pfeifferus, Thomassinus, Passerius, De-Guignesius, Drummondius, aliique.

7. Fuisse praeterea Linguam Aegyptiorum tempore *Mosis* longe propiorem *Hebraicae*, quam *Coptica* quarti saeculi Christiani ex comparatione *Alphabetorum* luculentius eruitur. Coptitas enim caruisse צ Tzade, ע Huain, ז Zain, ד Daleth D, vel ת Tau T certum est. Atqui ex Orthographia *Mosaica* aeque certum est has ipsas literas, vel plane simillimas in *Alphabeto* orali *Aegyptiorum* aetatis suae et superioris extitisse. Auctoritas autem *Mosis* est summae prorsus et invictae auctoritatis, quidquid audacter et inscite in Lancium, qui veritatem ea in re tuebatur, Champollionus iunior fuisset oblocutus In Bullett. de Ferussac. Aout. 1825. pag. 86. 87. Nam divinus ille et veracissimus *Moses* quadraginta annis versatus est intime cum *Aegyptiis*, et *linguam* eorum et disciplinas omnes perfecte novit et calluit. Tum si Literae radicales Generis humani non sunt amplius quam viginti, ut saepe animadvertimus, et si in *Alphabeto Mosaico* XXII. literarum sunt plures literae homiophonae ad pronuntiationis varietates indicandas, fuerunt utique *Mosi* omnia adiumenta, ut plures *literas Aegyptiorum* sive prorsus perfecte sive proxime exprimeret. Contra vero *Alphabetum Copticum* est eductum ex Graeco II

vel III. Saeculo Christiano, ut supra pag. 285. 286. animadvertimus. Et adeo velle Alphabeto huiusmodi definire pronuntiationem Aegyptiorum aetatis Mosis longe magis absurdum est, quam pronuntiationem Inscriptionis Duillianae ex Alphabeto orali plebis Neapolitanae velle decernere. Atqui Alphabeto Coptico desunt quatuor saltem *literae*, quae sunt in *Alphabeto* veterum *Aegyptiorum*, et Hebraeorum: Ergo *Lingua* veterum *Aegyptiorum* longe propior esse debuit *Hebraicae*, et ceteris Semiticis, quam *Lingua Coptitarum* quarti saeculi Christiani.

## ART. III.

***Psammitici Saitae aetate nobiliores saltem Classes Aegyptiorum Lingua non Coptica, sed dialectis Semiticis propiore loquutos fuisse tenendum est.***

*Automolos* gentem Aethiopicam ortos esse ex Aegyptiis narrat Herodotus Libr. II. c. 31., et post eum Aristoteles Politices III. c. 26. Diodorus Siculus Lib. I. Biblioth. c. 67. Pomponius Mela Libr. III. cap. 9., et Plutarchus de Exsilio Oper. II. p. 601. nempe ortos ex illis 240,000 viris, qui sub Psammitico Saita rebellarunt, et transierunt ad *Aethiopes*. Eos dictos *Automolos* tradit Herodotus, quod Aethiopes ad suam *sinistram* eos collocarunt. Atqui *sinistra manus* Hebraeis quidem est שמאל SCMAL, sed Chaldaeis et Syris esse solet תמאל TMAL, אתמל ATML. *Automolis* ergo fuit nomen Semiticum. Eorum autem situs et Regio nec multum citra, nec ultra, sed plane in ipsa *Axuma* est collocandus: Et quum שאמ SCAM sit Syris et Arabibus *sinistra*, et *Automolos* dictos ab

*ασχαμ sinistra* scribat Herodotus, et *Axum* sit ipsum אשכם ASCM loco שאכם SCAM, *Axumitas* ab *Automolis* derivatos omni iure tenere possumus. Praeterea idem Herodotus addit *Aethiopes* veteres adventu Aegyptiorum factos cultiores et humaniores. Et quoniam cultiores et humaniores Populi numquam deponunt *Linguam* suam, ut incultiorem et deteriorem suscipiant, quum *Lingua* ipsa sit maximum tum argumentum tum instrumentum civilitatis: Ideo tenendum est *Automolos* vel tradidisse potius veteribus Aethiopibus linguam suam cum civilitate, vel suam certe non deposuisse. Atqui ex Lexicis Abissinicis sive Gheezicis, sive Amharicis nulla series vocum *Copticarum* potest colligi, prolixa vero et amplissima Semiticarum. Ergo tenendum est *Aegyptios* circa tempora Psammitici Saitae non Lingua Ecclesiae Copticae, sed Lingua Semiticis dialectis propiore locutos fuisse.

## A R T. IV.

*Aegyptii cum quibus Herodotus versatus est diversi habendi sunt a Coptitis Christianis tum forma corporis, tum moribus et Linguá spectatá.*

*Colchi* sive Colchidis ad Pontum Euxinum incolae Herodoto Libr. II. Cap. 104. 105. Pag. 125. 126. sunt *Aegyptii* origine, quod utrisque esset color cutis niger, capillus crispus; quod utraque Gens uteretur circumcisione, eâdem *Linguá*, et omni vitae genere prorsus simili. At *Coptitae* sive Aegyptii, quos recentiores Scriptores Graeci et Latini descripserunt, nec colore valde nigro, nec capillo crispo, nec circumcisi umquam

extiterunt. Et si qui sunt, qui maxime a secundo saeculo Christiano circumcisionis Aegyptiae meminerunt, Sacerdotibus reservatam, unisque Hierophantis peculiarem, non populo universo communem tradiderunt. Quod profecto ex silentio Librorum Copticorum est exploratissimum. Numquam enim fieri potuisset, ut Scriptores sacri in Homiliis, Vitis, Actibus, Liturgia superstitiosi moris non meminissent, sive refellentes, et damnantes, sive excusantes si viguisset adhuc in Populo. Vid. Sollier. de Patriarch. Alexandr: pag. 133. 135. Ergo *Aegyptii*, quos novit et descripsit Herodotus, non sunt ex genere Coptitarum quarti saeculi Christiani; sed alii et diversi: Scilicet fuerunt ex genere *Aethiopum*, sive Arabo-Chusitarum, qui saeculo X. IX. et VIII. Prochristiano *Aegyptum* occuparunt et tenuerunt plurima hominum vi. Hi profecto fuerunt colore nigro, capillo crispo, et perpetuo et vulgo circumcisi. Coptitae vero Christiani haudquaquam ex genere Aethiopum sive Arabo-Chusitarum habendi sunt, sed potius ex genere Inachidum, et Scytharum, et Palaestinorum incircumcisorum, qui sub Pastorum nomine diutius etiam Aegyptum habuerunt. Quas origines egregie firmant animadversiones doctissimi Klaprothi de Lingua Coptica in *Mem. relat. a l'Asie* Pag. 205. vide et Synesium de Provid. 11. Pag. 118. 119. etc. Quamobrem si aetate Herodoti circa tempus Belli Peloponnesiaci *Lingua Aegyptia* erat adhuc similis *Linguae Colchorum*, et Colchi eius temporis habendi sunt omnino *Aethiopes*, fratres *Abissinorum*, utique *Aegyptii*, quos spectabat Herodotus, aetate sua loqui debuerunt lingua *Semiticae* propiori, et a Coptica Ecclesiastica multum diversa.

## Art. V.

*Ex intractabilitate Inscriptionis Demoticae Tabulae Rosettanae rectissime arguitur Linguam Popularem Aegyptiorum sub Ptolemaeo Quinto immaniter adhuc discrepasse a Lingua Coptitarum quarti saeculi Christiani.*

1. Si enim in ea Inscriptione adhibita fuisset *Lingua Coptica* pura, vel Dialectus plane proxima, quiqui esse possit numerus Literarum et Notarum, ope sexdecim circiter literarum, utque alii malunt quadraginta, exploratae iam potestatis saltem tertia vel quarta pars Inscriptionis fuisset certissima ratione explicata. Atqui nemo adhuc fuit, qui quatuor tantum voces *Copticas* continuas et contiguas valuisset inde certa ratione et argumento probabili extrudere. Et quoniam Papyros Aegyptiorum sub ipsis Ptolemaeis Graeca quidem Lingua, sed difficillimo charactere descriptas certa tamen et evidenti interpretatione donarunt Peyronus, Boeckius, Saintmartinius, aliique Europaeorum solertissimi viri, nulla alia esse potest caussa tam obstinatae intractabilitatis Inscriptionis Demoticae Rosettanae, et aliarum Papyrorum demoticarum, quam immanis discrepantia Linguae. Si Tentamina Spohnii parata et edita a Seiffartho probari possent, *Lingua* Aegyptiorum sub Ptolemaeis toto plane coelo a lingua Coptica distitisset, quidquid esse posset nescio quod commune substratum, et elementaris quaedam et initialis similitudo. Sed quoniam *quaesita* absque *datis* non sunt, et *ignota* absque *notis*; Ignotoque Alphabeto et ignota Lingua nil est *notum*, ac *datum*; propterea conamina Spohnii sunt adhuc dicenda irra-

tionalia ; culpa maxime Editoris Seiffarthi, qui ipsam Inscriptionem Demoticam Versioni non addidit, et minutissimam analysin singularum literarum, et comparationem perpetuam non adiecit; in qua una sunt Elementa probabilitatis et fidei, et sine qua omnia aeternum erunt incerta et ignota. Sed si conamina Spohnii irrationalia adhuc et improbabilia sunt, quia carent demonstratione et fide, ego tamen numquam dicam prorsus falsa et inutilia: Nam quum plures voces contulissem vidi literas illas Demoticas circiter XVI. a viris solertissimis Akerblad, de Sacy, Ioung definitas saepe recurrere, et fere semper agnosci a Spohnio, adeo ut ego non dubitem, quin plura verba Inscriptionis agnoverit et recte legerit Spohnius. Et hinc possumus iam nunc summa probabilitate colligere *Linguam Aegyptiorum* sub Ptolemaeis gravissime discrepasse a *Lingua Coptica* quarti saeculi Christiani: Quod iam praesensit Vir ingeniosus Thomas Ioung magno Copticae literaturae damno nuper e vivis ereptus in Museo Critico Maii 1816. pag. 171. 172.

## Art. VI.

*Quum voces Aegyptiae, quas interpretatione donatas Scriptores Hebraei Graeci Latini servarunt maiore ex parte non respondeant vocabulis Copticis, Linguam popularem Aegyptiorum et sub Ptolemaeis ac prioribus Caesaribus graviter discrepasse a Lingua Coptica quarti saeculi Christiani tenendum est.*

Collectis et consideratis vocibus Aegyptiis, quas Graeci maxime cum interpretatione nobis servarunt, vix quartam vel quintam eorum partem in

libris Coptitarum receptam comperimus, quidquid de eorum Etymis moliti sint praeter ceteros Iablonskius, in Vocib. Aegypt. et Drummondius in Originib. T. II. pag. 398. etc. Et quoniam series harum Vocum habenda est pars aliquota totius *Lexici Aegyptii*, vix quartam, vel quintam partem *Lexici* veteris *Aegyptii* in *Lexico Coptico* fuisse servatam colligendum est. Adeoque immanem et gravissimam extitisse discrepantiam inter utramque Aegyptiam Dialectum fatendum. Sunt qui de more confugiant ad imperfectionem *Lexici Coptici*, quod nobis est, ad nescio quas tenuissimas reliquias quasi e naufragio servatas. Sed hi vel ignari sunt horum studiorum, vel potius praeiudicio decepti. Nam primo *Lexicon Copticum* non est in volumine Lacrozii, sed in universa *Bibliotheca Coptica*, ut iam monuimus superius pag. 300. Secundo in Bibliotheca Coptica superstite continetur Lexicon uberrimum, et longe magis copiosum et plenum prae brevi Bibliotheca Gentis, quam Lexicon Latinum, et Graecum, quae supersunt, prae veteri eorum ingenti et integra Bibliotheca. Tertio Voces et Verba Aegyptia quae adducunt Scriptores Graeci, sunt plerumque obvia, ethica, socialis, et frequentissimi usus, et quae si servassent Coptitae, in omnibus Homiliis, et Paraenesibus necessario occurrerent. Quamobrem dubitari nullo pacto potest quin Coptitae secundi, tertii, et quarti saeculi, Christiani reiecissent duas saltem partes veteris sermonis sui, vel ita immutassent et pervertissent, ut agnosci facile nequeat.

### A r t. VII.

*Ergo Lingua Ecclesiae Copticae longe diversa a Lingua Hierophantica et Hieroglyphica habenda est.*

1. Lingua *Hieroglyphica* una, constans, homogenea fuit a XX. circiter saeculo Prochristiano, ad quintum Christianum. Atqui primo saeculo Christiano ne media quidem pars *Lexici Coptici* quarti saeculi Christiani adhuc existebat. Ita ut si revera adhibita fuisset in *Monumentis Hieroglyphicis Lingua* popularis et communis interpretatio eorum esset modo omnino impossibilis. Ergo *Lingua* Communis et popularis Aegyptiorum alia Saeculo Prochristiano XV. alia X. alia V. alia primo, alia IV. Christiano omnino alia et diversa habenda a Lingua Hieroglyphica una, fixa, homogenea, constanti a prima origine sua ad V. etiam saeculum Christianum.

## CAPUT VII.

## *Lingua popularis Aegyptiorum ob regiminis Castici necessitatem alia et diversa esse debuit a Lingua Hierophantica et Hieroglyphica.*

### A r t. I.

*Regimen Aegyptiorum ab antiquis usque temporibus Casticum fuit.*

De huiusmodi Regimine ex Veteribus egerunt Herodotus, Plato, Isocrates, Aristoteles, Diodorus, Plutarchus, Aristides, Synesius etc. ex recentio-

ribus Shuckfordius, Nicolai, Cunaeus, Origny, Burigny, Iablonskius, Pawius, Reynier, Pastoretus, aliique plures.

A r t. II.

*Nullum Regimen Casticum potest institui et servari, nisi Lingua Sacerdotalis alia sit et diversa, saltem ex parte, a populari et communi.*

Nam quum omnes Scientiae, omnes disciplinae, omnes artes vocibus et verbis serventur, tradantur, communicentur: Data Linguae identitate inter varias Classes hominum, data est etiam necessario communicatio et traditio Scientiarum, Artium, et Disciplinarum. Quamobrem qui volunt Disciplinas et Scientias esse peculiares alicui certo ordini Hominum, et incommunicabiles, necesse est etiam velle, ut instrumentum ipsum et traditionis et communicationis sit peculiare et diversum. Atqui Regiminis Castici essentia est, ut Classis et Ordo Sacerdotalis unus sit Scientiarum et Disciplinarum custos et servator. Ergo ordini Sacerdotali necessario erit *Lingua* alia et diversa a Populari et comuni: Et propterea ordini Sacerdotali Aegyptiorum fuisse Linguam propriam et peculiarem diversam a *Coptica*, et a quacumque alia populari et plebeia Aegyptiorum tenendum est.

## Art. III.

***Cryptae et Antra Aegyptia, in quibus habitasse Sacerdotes certum est, usum et exercitium Linguae Sacrae et Sacerdotalis evidenter ostendunt.***

Nulla enim alia potior esse potuit earum *Cryptarum* destinatio, nullus usus convenientior, nulla magis probabilis institutio. Nulla Gens esse potuit, nulla Tribus, tam diversâ a ceteris hominibus naturâ praedita, ut pro beata Mundi luce, et benefico aëre mallet ingenti et immani labore tenebras sibi, et aërem malignum parare, quum nec hostes paveret, nec inopiâ adigeretur. Adeoque dicendum est Pawium in *Recherch. sur les Egypt.* T. II. pag. 49. et alios errare, qui ad nescio quem. *Troglodyticismum* confugiunt, ut earum Cryptarum et Antrorum redderent rationem. Nec Ascetismus et Mysticismus, nec Dramata Mystica, quae careant Orationibus et Canticis egent antris et specubus profundis. At si necesse est Sacerdotes Casticos sese in *Linguâ* Sacrâ et *Hierographica* severissima cura exercere, si filios, fratres, cognatos, affines docere, instruere; si tuto et secure declamare et disserere, si verba seligere, si de vi vocabulorum disputare, si schematibus Hieroglyphicis aptare: Et si impossibile est haec exercitia fieri in Aedibus Oppidorum et Urbium, quia Profani omnino audirent et tenerent formulas Sacras maxime in Aegypto, qua plurimae familiae profanae Semitoglossae semper degebant, necesse omnino fuit Sacerdotes *Cryptas* et Antra sibi excavare, Cavernas sibi parare, quibus de *Lingua* et *Scripturis* suis *Lexeographicis* possent tuto

et diutissime agere, et disputare. Et propterea dubitari non potest, quin *Antra* illa et *Cryptae*, quae etiam modo spectantur in *Aegypto* ut sedes et domus Sacerdotum, sint adhuc testes evidentissimi duplicis *Linguae* in Aegypto adhibitae *Sacrae* nempe et *profanae*, *Hieroglyphicae* et *Popularis*, *Semiticae* et *Copticae*, vel potius *Homiocopticae.*

A R T. IV.

*Manetho Sebennytes Princeps Sacerdotum Aegyptiorum sub Ptolemaeo Philadelpho distincte meminit tum Dialecti Sacrae et Sacerdotalis, tum Popularis et communis.*

Nam in Fragmento, quod servavit Iosephus Flavius scribens in Apionem lib. I. cap. 14. distinxit Manetho κοινην διαλεκτον ab ἱερᾳ γλωσσα, et diversitatem exemplo firmavit. Addidit enim vocem σως in *Dialecto communi*, κοινῃ διαλεκτῳ, significare *Pastorem*, et ὑκ *hyc* in *Sacra Lingua Regem* appellari. Atqui σως *sos* revera eodem sono et significatione occurrit in Lexicis Copticis: Ergo *Linguae Copticae* similis erat *Dialectus communis* et Lingua Popularis; Ergo Lingua communis et popularis Copticae similis non erat *Sacra* et *Sacerdotalis*, sed ab ea alia et diversa. Et re quidem vera vox ὑκ *hyc* apud *Coptitas* nuspiam deprehenditur, et probabile est inveniri apud *Abissinos*, qui sunt reliquiae Arabum-Chusitarum, qui Aegyptum habuerunt, apud quos חק CQ Hyc *Regem* et *Principem* significat. Ergo *Lingua Coptica* quarti saeculi Christiani multum diversa a *Lingua* populari et communi aetatis Manethonis penitus etiam discrepare debuit a *Lingua Sacra* et Sacerdotali veterum Aegyptiorum.

## CAPVT. VIII.

## *Popularis revera et plebeia semper extitit Lingua Coptica, numquam Scientifica et Encyclopaedica.*

### ART. I.

*Coptitarum Bibliotheca non Hierophanticis tantum, sed quibuscumque urbanis et civilibus Disciplinis semper caruit.*

Nulli enim sunt libri Coptica lingua scripti, qui agant de *Astronomia*, *Cosmologia*, de *Kalendariis*; nulli, qui de *Arithmetica*, et *Geometria* tractent, nulli qui attingant *Cosmographica*, *Geographica*, *Chorographica*, nulli quibus tradatur *Historia Regum* veterum, vel recentiorum, *Annales Gentis*, Chronica Populorum. Nulli Tractatus *Rhetorices*, *Poetices*, *Musices*. Nulli *Dialectici*, *Metaphysici*, *Physici*: Nulli tandem qui de socialibus et civilibus *Legibus* et praeceptis tractent.

### ART. II.

*Numquam fieri potuit ut Bibliotheca Coptica penitus careret civilibus et urbanis Disciplinis, nisi Lingua fuisset omnino plebeia et popularis, et alia a docta et Scientifica.*

Nam ubi Gens aliqua scribit, et multa quidem scribit, ut Coptica, ubi profitetur Religionem essentia sua literatam, ubi intimo et diuturno commercio utitur Gentium doctissimarum, si unâ tantum non duplici Lingua vel triplici uteretur ad scribendum, impossibile esset, quin bene male,

apte inepte post quatuor saecula Encyclopaediam quamdam Disciplinarum humanarum sibi condidisset. Nam sunt facienda Carmina, adnotanda Facta socialia, laudandi Reges, describendae Regiones, colligendae Leges, emendanda Kalendaria, et ita porro. Ex quo revera factum est ut nullum omnino excitari possit exemplum Gentis, quae plurima per quatuor saecula scribens, et unica Lingua utens, Encyclopaediam quamdam socialis usus sibi non paraverit et constituerit. Et fuit profecto iam a quinto, sextove saeculo Christiano Syris, fuit Armenis, fuit Persis, fuit penitissimis Abissinis ab omni fere cultarum Gentium commercio remotis. Fuit Saxonibus IX. et X. saeculo; fuit nobis Italis, fuit Gallis, Hispanis, Germanis vel in illis tristissimis et horridis saeculis, quae media dicimus, etsi adesset et lingua Sacra sive Latina, qua pleraque revera passim scribebantur. Quidni fuisset etiam Coptitis, si unicâ suâ Linguâ usi fuissent in sua Literatura exornanda?

### A r t. III.

*Nisi Coptitarum Lingua fuisset prorsus Popularis et Plebeia, numquam Bibliotheca Coptica carere potuisset Institutionibus Critices et Exegeseos Biblicae, Institutionibus Historiae et Chronologiae Ecclesiasticae, et Tractatibus Didacticis et plenis Theologiae dogmaticae.*

Ubi enim desunt exquisitae Institutiones, et pleni *Tractatus Didactici* harum Disciplinarum haberi non possunt idonei Antistites et Praesules Ecclesiarum; dari non possunt Episcopi, qui sanam Doctrinam, eo quo par est apparatu doceant, et tradant, qui de Haeresibus iudicent, et eas pro-

fligent, et prosternant, et qui adesse possint Conciliis, sive universalibus, sive Provincialibus, in quibus plerumque eruditio Biblica profundissima, et omnes fere Scientiae sublimiores requiruntur. Atqui Institutiones huiusmodi numquam fuerunt Coptitis: Et Episcopi Coptitae multis Conciliis adfuerunt, et plurimas quaestiones Theologicas agitarunt. Huiusmodi ergo Institutiones alia lingua formandae fuerunt, Copticâ ut populari et Plebeia reiectâ.

### A r t. IV.

*Lingua docta et encyclopaedica Aegyptiorum a Ptolemaeis ad Kaliphas fuit Graeca, a Kaliphis ad nos fuit et est adhuc Arabica.*

Nam revera Manethio Sebennytes Historica, et Chronologica Graece scripsit, Apion Oasites Grammatica et Historica, Zosimus Panopolitanus Historica, et Panodorus et Anianus Aegyptii Chronologica. 2. Pseudo-Petosiris, Pseudo-Necepso, Pseudo-Manetho, Hephaestion Thebaeus, aliique plures Astrologica Graece scripserunt. 3. Ptolemaeus Pelusius Astrologica, Astronomica, Geographica, Musica Graece. 4. Nonnus Panopolitanus, Coluthus, et Tryphiodorus Mythica. 5. Pseudo-Hermes, Pseudo-Asclepius dubio procul Aegyptii, Plotinus Lycopolitanus Metaphysica. Hermapion, Horus-Apollo Aegyptii dubio procul Hieroglyphica. Et ita porro alii plures, quorum hîc non vacat Catalogum adtexere.

2. Occupatâ deinceps ab Arabibus Aegypto, et Arabica Bibliotheca constituta, eâ statim usi sunt, eâque prorsus omnia sua describunt et tradunt hactenus omnes Coptitae. Quin quum tandem

X. et XI. saeculo Christiano sensissent necessitatem Annalium, et Chronicorum, ea non Coptica lingua obscura, ambigua, plebeia, sed nobilissima Arabica scripserunt. Et ita profecto fecerunt, ut eodem tempore ostenderent nullas originales historias ab Ecclesiae constitutione sibi Linguâ Copticâ descriptas adfuisse, nulla Chronica accurata a patribus suis Coptitis condita, et tradita; nulla Adversaria Historica et Chronologica a Monachis suis parata se advocare in auxilium: Sed plerumque fabulis et traditionibus ineptis, et apocryphis, ubi a Graecis recedunt, pro innato Gentis ingenio mira propensione indulgent. Quae iam ut par erat animadverterunt praeter ceteros Sollier, Assemanius, Renaudotus de Patriarchis Alexandrinis agentes.

## CAPUT IX.

## *Coptitarum Lingua intrinseca sua constitutione plebeia est et indocta.*

1. Primo, quia ei sunt characteres Linguae infantilis et balbae. Nam frequentissimus est usus literarum b, p, f, m, quae ita saepe cumulantur et acervantur, ut veram balbutiem imitentur.

2. Secundo, quia abundat *articulis* absurdis. Sunt Linguae non absurdae, quae carent *articulis*; sunt Linguae, quarum nomina carent *casibus*. Sed esse Linguam, cui plures *articuli*, et nulli fere *casus* sint est incredibile. Nam adsunt inutiles voculae, et sermo est interea obscurissimus. Ubi contra si quis illos *articulos* in voculas *signantes casus* transformasset, linguam claram et perspicuam ex obscurissima levissimo negotio instituisset. En character Linguae plebeiae: Si eam curassent Viri

Docti et sollertes impossibile est, quin tantam absurditatem emendassent.

3. Tertio, quia *Monosyllaba Somatophonica*, et *reduplicata* sunt plurima. Voces *Somatophonicas*, *Cineseophonicas*, *Mimophonicas*, ut *tup tup*, *tric trac*, *mbo mbo* etc. quas non recte *Onomatopoeas* vocant, esse saepius utiles in *Linguis Physiophonicis* negari non potest: Sed aeque certum humiles esse, plebeias, et plerumque ridiculas. Quis enim in sermone gravi et serio pateretur modo audire *uog-ueg* manducare, *mok-mek* cogitare, *uosch-uosch* distendere, *schou-schou* gloriari, *lag-leg* humilitas, et ita porro? Quamobrem factum est, ut in omnibus *Linguis* nobilibus earum usus sit parcissimus, vel earum sonus sit satis detortus et immutatus, et rarissime accedat reduplicatio. Atqui ea quae modo adduximus, et alia similia plurima occurrunt in Libris *Copticis* ut animadvertit Champoll. *Precis* Pag. 285. 286. 287.; Et simillima in Dialectis Plebejis apud infimum Vulgus omnium humanarum Gentium frequentissime audiuntur. Ergo naturae Plebeiae est omnino lingua Coptitarum.

4. Quarto, quia apud Coptitas plurima nomina sunt composita a *Corde*. Vid. Champoll. *Précis*, Pag. 288. 289. Vulgus et plebs omnium Gentium, adeoque Gentes Barbarae, tum quia rudes et imperitae, tum quia corporeis laboribus perpetuo addictae et vexatae, parum *cogitant*, leviter ad *spiritualia* possunt sese erigere, saepius *sentiunt*, et quasi *Corde* non *Mente* vivunt. Ideo prolixus usus *Cordis* in Lingua eorum non *mentis*, *spiritus*, *cogitationis*, *abstractionis*, *meditationis*. Quamobrem quum frequentissimus sit usus vocis *Cordis* in Copticis libris, et levis contra usus

vocum *Ontologicarum*, et *Psychologicarum*, palam est *Linguam Copticam* fuisse tantum Popularem et Plebeiam. Et qui porro compositionem vocum Copticarum *Metaphysicarum* consideraverit, plane contra ingenium Linguae illam factam fatebitur; et ex una necessitate vertendi voces et verba Graecorum *metaphysica* et *abstracta* illa vocabula Coptica procusa fuisse a Sacerdotibus Christianis et non ante IV. vel V. Ecclesiae saeculum tenere cogetur.

5. Quinto, quia *Syntaxis* ex una parte sit imperfecta, deficiens, manca, ex alia implexa, confusa, et abstrusa; adeo ut impossibile sit clare et perspicue vertere in *Linguam Copticam* opera ex. gr. *Platonis*, *Aristotelis*, *Plotini*, et aliorum plurimorum.

Et profecto ex his et aliis, quas non vacat hic percensere, imperfectionibus *Linguae Copticae* factum, ut mature et penitus ex universa Aegypto expelleretur. Sunt plures, qui expulsionem *Linguae Copticae* ex Aegypto dominationi et tyrannidi Arabum tribuunt. Sed hi videntur ignari penitus Scientiae rerum humanarum. Nam Linguae, quas Populus amat et tuetur nulla humana vi, nulla tyrannide etiam amplae et numerosae Gentis, maxime si utatur alia religione et aliis moribus a Populo victore, umquam possunt expelli; nec Lingua ulla deponitur, nisi ex voluntate et arbitrio Populi ipsius loquentis. Quod invicte probant Hispani et Cantabri, Galli et Britones Armorici, Angli et Gallenses, Persae et Guebri, Turcae et Graeci in Rumelia sive Romania, et ita porro. Quin, si hi attendissent notitiam Grammatices Copticae totam Arabicae Linguae deberi, si meminissent Patriarchatum Alexandrinum Arabibus

deberi, et sub Arabibus semper viguisse in Aegypto ingentem numerum Coenobiorum, in quibus servari potuisset vel Bibliotheca aliqua Adamitica; sub Arabibus, et Arabice libros aliquot, qui legi possent, Coptitas condidisse, et semper Coptitas Reditus et Oeconomiam Arabum curasse: numquam profecto dominium Arabum in Coptitas ita Tyrannicum et ita infandum calumnia manifesta confinxissent. Quin ipsi potius solvere hanc quaestionem debuissent: Scilicet quomodo ex penitissimis et secretissimis Coenobiis, ad quae non dicam Arabum Tyrannis, sed ne Avis quidem valeat accedere, lingua Arabica expellere valuerit Copticam; et Mohammedana Christianam, externa patriam? Atqui data *Linguae Copticae* absurditate, et *Linguae Arabicae* praestantia, et haec, et aliae similes quaestiones, nullo negotio et ex certa rerum humanarum Scientia solvuntur, nulla alia ratione solubiles.

## CAPUT X.

### *Unica et pura Dialecto Semitica usi sunt universi Aegyptii a constitutione Gentis usque ad adolescentiam Iacobi Patriarchae.*

### ART. I.

*Habitari primum et coli Aegyptus non potuit nisi a Gente Semitoglossa.*

Plures sunt Regiones, quae a Populis exlegibus, nomadibus, barbaris habitari et teneri possunt, utpote quae possunt venatione, piscatione, gregibus necessaria ad vitam tolerandam illis suppe-

ditare. At Aegyptus habitari primum et occupari non potuit, nisi a Gente humanis artibus et multa civilitate exculta. Quum enim Aegyptus singulis annis per tres integros menses aquis inundetur, et pauca animalia et plantae indigenae esse propterea possint; et pleraque aliunde induci necesse sit, nisi accedit Gens, quae loca certa sibi quaerat, et aedes, et domos, et horrea extruat, et canales, et aggeres, et foveas excavare et ducere sciat, nisi animalia et plantas idoneas ex aliis Regionibus quaesierit, et prudenter educaverit, numquam esse poterit Populus magnus, certus, et stabilis in Aegypto. Et quoniam ut haec omnia habeantur et mores humani, et conatus civilitatis, si minus ipsa plane civilitas omnino requiritur ut praesto sit. Et adeo Lingua iam certa, iam copiosa, iam constituta, iam recepta, quia nulla civilitas, nulla humanitas esse potest absque Lingua certa. Hinc fit ut tenere debeamus primae Aegyptiorum Coloniae fuisse et multum civilitatis et humanitatis et Linguam certam et satis divitem. Atqui post dispersionem Babelicam in duo maxime hominum genera Noachidae divisi sunt: In illos scilicet, qui humanitatem et Linguam benedicti Patris *Noe* servare et colere, sive integram et totam, sive ex magna saltem parte vellent, et in eos qui vitam exlegem nomadicam inconditam praeferrent, humanitate et Lingua patria magna ex parte exuta.

Quamobrem si Coloniae *Aegyptiae* vetustissimae sunt, et ipsam fere dispersionem *Babelicam* attingunt, si carere multis artibus et multa humanitate non potuerunt, utique ex illis Familiis esse debuerunt, quae humanitatem et *Linguam Patris Noe* magna saltem ex parte servare et custodire voluerunt. Atqui *Lingua* Semitarum est ipsa *Lin-*

*gua Patris Noe*, et priorum Noachidum, in quorum prima Regione, nempe *Assyria*, et *Chaldaea* semper *Semitica Lingua* viguit, et post quinquaginta circiter saecula adhuc viget : Ergo primi *Aegyptii* omnino usi sunt *Lingua* vel prorsus *Semitica*, vel ei valde et intime affini.

## ART. II.

### *Lingua Aegyptiorum et Lingua Abrahami Hebraei una et eadem fuit.*

Nam *Abraham Hebraeus*, et Sara uxor eius, et pueri et socii plurimi familiariter, intime, et diu cum Aegyptiis mutuo sermone versati sunt, ut Geneseos cap. XII. refertur. Nec omnino in verbis Mosis aliquid est unde heteroglossiam possimus arguere vel suspicari. Et propterea si certum et exploratum est sub Iosepho Prorege Aegyptios fuisse heteroglossos, quasi ut Itali, et Galli, vel Lusitani, ita aeque certum et exploratum habendum est fuisse sub *Abrahamo* homoglossos. Quibus autem videri poterit mirum quod *Aegyptii* duorum fere saeculorum spatio interiecto modo Hebraeis *homoglossi*, modo *heteroglossi* dicantur, hi etiamsi conatum Collegiorum Sacerdotalium, quod nos tenemus, probare nolent, meminisse tamen poterunt Linguarum *Italicarum* secundo saeculo Prochristiano, et primo Christiano; saeculo VI. et VIII. Christiano : Linguarum Gallicanarum primo saeculo Prochristiano et secundo Christiano: Linguarum *Anglicanarum* saeculo X., et XII. Christiano, Atque ita porro.

## A r t. III.

*Lingua Agaris Aegyptiae, vel eadem fuit, vel leviter tantum discrepavit a Lingua Abrahami Hebraei.*

Lingua *Arabum*, praestantissima Dialectus Semitica, est potissimum Lingua filiorum *Ismaelis* filii *Agaris* Aegyptiae. Atqui Lingua quam pueri primum addiscunt, materna est apud omnes Gentes, maxime vero Orientales, penes quas pueri rarius et serius Patres adeunt. Quum autem *Ismael* filius ancillae et invisae extitisset, arctius matri adhaerere necesse fuit, et omnes eius accentus ita penitus haurire, ut tenere quodammodo possimus Linguam *Ismaelis Hebraei* fuisse Linguam *Agaris Aegyptiae.* Verum quidem est a servis et mancipiis addisci Linguam herorum, sed ut possunt mancipia et diverso climate nati, imperfecte scilicet et incondite. Atqui *Lingua Ismaelis* fuit Temurica, Gutturalis, Consonantica, et Grammatodynamica, et quam Mancipia heteroglossa et diversi Climatis perfecte addiscere numquam poterunt. Ergo tenendum est *Linguam* Semiticam fuisse *Agari Aegyptiae* patriam et naturalem; adeoque *Aegyptios* et *Hebraeos* fuisse *homoglossos* aetate *Abrahami* et *Isaaci* Hebraeorum.

## A r t. IV.

*Heliopolis nobilissima et vetustissima Urbs Aegypti ab Arabibus condita diutissime vestigia prisci sermonis servavit.*

1. Iuba enim Rex Mauritaniae aetate Augusti Caesaris omnis vetustatis callentissimus, et ipse

Semitoglossus apud Plinium Hist. Natur. libr. VI. c. 29. p. 100. tradit: *Solis quoque oppidum, quod non procul Memphi in Aegypti situ diximus, Arabes conditores habere.* Atqui numquam id affirmare et tradere Iuba potuisset nisi per plurima saecula *Arabes* revera urbem tenuissent; et nisi ea ipsa aetate sua adessent adhuc vestigia Populi Glossosemitae. Et profecto si ipsi *Sacerdotes Heliopolis Phoenicem* avem Symbolum Periodi astronomici, et quasi suum peculiarissimum *Stemma* ex Arabia petebant, ut Herodotus Lib.II. Cap. 73. p. 115. Tacitus Annal. Lib.VI. cap. 28. Plinius Hist. Nat. libr. X. cap. 2., aliique testantur, utique vetustissimae se esse originis Arabicae profitebantur.

2. Praeterea Heliopoli moratum fuisse Abrahamum, et Iosephum constantissima traditione Hebraei tenuerunt.

3. Quin, quod caput est, Heliopolitanum fuisse Osarsiphum illum, vel Mosem conditorem legis Hebraicae, et ductorem Populi Israelitici in Palaestinam Manetho Sebennytes, et Apion Oasites pertinaciter tradiderunt; ut Iosephus Flavius testatur in Apionem ipsum scribens pag. 1054. et 1061. etc. Atqui mendacium huiusmodi numquam potuissent pervicaciter tueri nisi Heliopolitae fuissent saltem Semitoglossi, et nisi servassent plures mores *Hebraicis* similes et affines.

4. Neque porro leve est, quod Isaias Propheta Cap. XIX. v. 18. octavo saeculo Prochristiano inter Urbes Aegyptias, quae Linguâ Chananaeorum essent loquuturae, omnium primum *Heliopolim*, vel *Leontopolim* in eodem Nomo et eiusdem dubio procul originis, nominet, utpote quae semper hospitatrix Semitoglossorum fuisset a prima

sua origine, semper Hebraeos, Syros, Palaestinos in moeniis suis excepisset, et patria et propria lingua eos uti permisisset.

5. Et profecto nisi Lingua *Asenethae Heliopolitanae* fuisset satis pura et perfecta Dialectus Semitica, numquam *Ephraim* et *Manasses* eius filii constituissent duas Tribus omnino homoglossas in Israel: quidquid sit illud Samech pro Schin Ephraimitarum. Quamobrem dubitari non potest, quin *Asenetha* filia *Putipharis* Sacerdotis Heliopolitani fuisset eiusdem Generis, Linguae, et adeo Religionis cum *Iosepho* Prorege, utpote uterque ex Hebero oriundi, *Iosephus* per Phalegum, *Asenetha* per Iektanem: Adeoque patet imperite *Basnagium* fuisse calumniatum Sanctum Patriarcham, nec *Ansaldum* veram viam conspexisse, qua Calvinianum hominem invicte refelleret.

Haud vero quis inde obiiciat haec adversari illis, quae superius Pag. 320. constituimus: scilicet in Regiminibus Casticis Linguam *Popularem* necessario esse diversam a *Sacerdotali* et sacra. Nam non diximus necesse esse *Sacram Linguam* ita a *Populari* diversam, ut ne vocem quidem habeant communem, sed ita tantum discrepantem, ut Plebeius homo ope solius *Linguae* suae Hymnum, Carmen, Librum Sacra Lingua descriptum intelligere nequeat. Et propterea fieri potuit, quod pluribus tutati sumus Pag. 309. 315. ut Aegyptii ante IV. Saeculum Christianum Lingua longe magis propiore et similiore Dialectis Semiticis, Casticismo maxime et immaniter vigente, uterentur. Unus fundus est, unum fere Lexicon Linguae Latinae, et omnium Dialectorum Italicarum: At illa Sacra est, et Populo inintelligibilis. Lingua *Samscritica* et ceterae Linguae In-

dorum in plurimis simillimae sunt, sed illa Sacra est, et omnibus non *Brachmanibus* imo pluribus etiam *Brachmanibus* prae difficultate non intelligibilis, et plane ignota.

## CAPUT XI.

## *Linguam Semiticam, quam aetate Abrahami et Isaaci adhibebant Collegia Sacerdotalia Aegyptiorum, certam, immotam, constantem in Monumentis Hieroglyphicis semper perdurasse tenendum est.*

### ART. I.

*Iam ab aetate Abrahami et Isaaci fuisse Aegyptiis Collegia Sacerdotalia, quae usque ad VI. circiter saeculum Christianum perdurasse animadvertimus supra* Cap. II. pag. 286. *certum est.*

1. Primo quia *Sacerdotibus* nulla Gens paullo cultior umquam caruit, vel carere potuit, adeoque quum *Aegyptus* aetate Abrahami omnibus fundamentalibus Artibus et Disciplinis socialibus videatur instructa dubitari non potest, quin et Collegia Sacerdotalia fuissent iam instituta.

2. Secundo, quia Scriptores Graeci et Latini ex quibus plures gente Syri, et Palaestini, per octo fere saecula quasi certatim tradiderunt Aegyptios primos ceremonias et ritus Deorum constituisse, Aegyptios primos Templa posuisse, Aegyptios primos pompas Sacras duxisse: Atqui si Codicem suum Liturgicum post Abrahami tempora condere incepissent Aegyptii, alii Populi iam opus prae-

occupassent, nec tanta laude vetustatis ipsi apud Graecos, et Latinos, Syros, et Palaestinos florere potuissent.

3. Tertio, quia aetate Iosephi Proregis quarti ab Abrahamo non modo erant in Aegypto Collegia Sacerdotalia, sed ita honorata, tanta reverentia culta, et ita adeo omnibus metuenda et potentia, ut in illa miserrima fame, qua Aegyptus, et Chanaan afflictae fuerunt, uni haud compellerentur vendere praedia sua, quin alimenta quotidiana ex publicis horreis sumerent. Genes. XLVII. v. 22. etc. Atqui nisi eorum auctoritas vetus iam et ab aliquot aetatibus recepta et constituta fuisset, id numquam fieri potuisset.

## Art. II.

*Quaequae esse possit origo et vetustas Linguae popularis et plebeiae Aegyptiorum, Lingua Semitica in Sacris et Religiosis iam ab Aegyptiis Sacerdotibus adoptata temporibus Abrahami immota, constans, eadem durare debuit usque ad absolutam extinctionem Collegiorum Sacerdotalium saeculo VII. Christiano peractam.*

Lingua Sacerdotalis Aegyptiorum tempore Abrahami alia esse non potuit, quam Semitica Temurica et Grammatodynamica; quia nulla alia tum erat Aegyptiis, ut supra ostendimus; et ea una opportunissima ad condenda *Agalmata*, Deorum *Emblemata*, et alias quascumque Sacras et religiosas formulas, ut libro I. demonstratum est. Et quoniam *Linguae Theologicae* semel constitutae sunt fixae, certae, immutabiles ut animadvertimus paulo supra Cap. V. pag. 302. 303. Et Linguae Semiticae, Te-

muricae nempe, et Grammatodynamicae intima natura sua sunt fixae, constantes, immutabiles, tenendum propterea est *Linguam Semiticam* suam vetustissimam fuisse a Collegiis Sacerdotalibus Aegyptiorum custoditam usque ad ipsorum Collegiorum totalem dissolutionem, quae a Mohammedanis peracta est.

Si Lingua Popularis et Plebeia Aegyptiorum data opera et certa arte et sollertia ab ipsis Collegiis Sacerdotum, saltem ex aliqua parte, condita est, ut ipsi uni pura et vera Lingua Semitica uterentur, quisque videt istam *Linguam Semiticam* in Monumentis Aegyptiorum unice esse inveniendam: Si vero sint qui malint Linguam Popularem et Plebeiam Aegyptiorum ex colluvie variarum Tribuum heteroglossarum, et corruptione et depravatione populari veteris Linguae factam, viderint hi quam immaniter ab ista distitisse necesse est Linguam Sacerdotalem, arcanam, puram, Sanctam; Et an haec alia esse possit a Semitica penes plures alias Gentes aeque Sancta, pura, Sacerdotali, Theologica.

### A R T. III.

*Linguam Sacram et Theologicam Sacerdotum Aegyptiorum longe praestantiorem Graecâ, et Grammatodynamicam, adeoque Semiticam, extitisse primo vel secundo saeculo Christiano altissime profitebatur Pseudo-Asclepius Aegyptius* : Append. ad Poemandrum Edit. Candallae Pag. 41.

Inter alia enim, quae omnino legi merentur, haec habet: Ο δε λογος τῃ πατρῳᾳ διαλεκτῳ ἑρμηνευομενος εχει σαφη την των λογων νουν: Και γαρ αυτο το της φωνης ποιον, και ἡ των Αιγυπτιων ονοματων

δυναμις εν ἑαυτῃ εχει την ενεργειαν των λεγομενων.. ...... Ελληνες γαρ, ω βασιλευ, λογους εχουσι κενους αποδειξεων ενεργητικους· και αυτη εστιν Ελληνων φιλοσοφια λογων ψοφος· ημεις δε ου λογοις χρωμεθα, αλλα φωναις μεσταις των εργων. *Dictio autem Patriâ Linguâ interpretata perspicue ostendit sermonum intelligentiam: Ipsaque vocis qualitas, et Aegyptiorum Nominum potestas in se ipsa habet vim et efficientiam eorum, quae dicuntur. ...... Graeci, o Rex, verba habent inania, composita ad ostentationem, estque haec Graecorum Philosophia vocum strepitus. At nos non verbis, sed vocibus rerum et factorum plenis utimur.* Scilicet *Lingua* sua Patria et Sacerdotalis erat *Grammatodynamica*, eoque *Temurica*, et *Lexeographica*, ut nos Deo dante in Tractatu de Linguarum origine pluribus dicemus. Atqui una *Lingua Semitica*, eaque purior et vetustior est *Grammatodynamica* et *Lexeographica*, unaque fere ab his characteribus et proprietatibus ceteris remotior est Lingua Coptitarum.

## A r t. IV.

*Linguam Sacram et Theologicam Aegyptiorum et Semiticam et vetustissimam perdurasse immotam, fixam, constantem ad quartum saeculum Christianum testimonio Scriptoris nobilissimi eiusdem aetatis certum est.*

Iamblichus Chalcidensis Syrus, origine Semitoglossus, saltem ex parte, ex maximis Philosophis, qui tertio, quartoque saeculo Christiano floruerint integro opere de Mysteriis unam fere et eamdem esse contendit tum Theologiam, tum *Linguam Sacram* Assyriorum, Chaldaeorum, et Aegyptio-

rum, et eam a primis et antiquissimis temporibus unam, constantem, perennem, ab ipsis Diis datam. Atqui nemo nescit Assyrios et Chaldaeos fuisse Semitoglossos: Ergo et Semitoglossos fuisse Sacerdotes Aegyptios tenendum est. Quin Sectione VII. pecularibus Capitibus id demonstrare adgreditur, pluraque de intima potestate, et Grammatodynami *Aegyptiae* et Assyriae *Dialecti* animadvertit, quae uni Linguae Semiticae possunt convenire. Omnia quidem haec et alia plura, quae sunt in opere, diligentissime colligenda et consideranda essent: Nobis vero satis est pauca ex Cap. IV. hîc proferre. Αλλα διατι των σημαντικων ( ονοματων ) τα Βαρβαρα προ τον ἑκαςων οικειων προτιμωμεν; Εςι δε και τουτου μυςικος ὁ λογος. Διοτι γαρ των ἱερων εθνων, ὥσπερ Αιγυπτιων τε, και Ασσυριων οἱ θεοι την ὁλην διαλεκτον ἱεροπρεπη κατεδειξαν, δια τουτο και τας κοινολογιας οἰομεθα δειν τῃ συγγενει προς τους θεους λεξει προσφερειν· και διοτι πρωτος και παλαιος εςιν ὁ τοιουτος τροπος της φωνης. *At cur significativa nomina Barbara* ( Semitica ) *nostris et domesticis anteponimus? Est huius rei mysticus sermo: Quoniam Sacrarum Gentium veluti Aegyptiorum et Assyriorum totam Dialectum ipsi Dii Sacris opportunissimam iudicarunt, et propterea existimamus sermones habendos esse ad Deos vocibus eiusdem generis, et etiam quod primus et vetustissimus est huiusmodi modus loquendi* ( per Dialectum nempe Aegyptiorum et Assyriorum ).

*

## CAPUT XI:

*Quoniam demonstratum est Libro II. Scripturam Aegyptiorum Theographicam, Hiero-emblematicam, Hieroglyphicam, Hieraticam, et Oligotypicam esse Lexeographicas et crypticas, una tantummodo Linguâ Semiticâ eâque vetustiore et puriore potuerunt condi, et poterunt explicari.*

Nam ex omnibus *Linguis* Terrae sive veteribus, sive recentioribus una *Lingua Semitica*, eaque radicalis et pura, ut illa est, quae potissimum in libris Legis et Prophetarum Hebraeorum continetur, ea inquam una est Temurica, Homiophonica, et Grammatodynamica, scilicet una opportuna et idonea ad constituendam Scripturam omnem *Crypticam* et *Lexeographicam*, ut *Aegyptiae* sunt. Lingua vero *Coptica* ex ineptissimis est, quum plurimae radices sint tantum *biconsonanticae*, quod hiatus Diphthongorum sit frequens, et alia sint huiusmodi plura, adeo ut, ne pauca quidem *Lemmata* ad experimentum possint per *Linguam Copticam Lexeoschematice* condi et efformari.

## SECTIO II.

LINGUA SCRIPTURAE SINICAE TAM POLYGRAPHICAE, QUAM OLIGOGRAPHICAE, ET LINGUA SCRIPTURAE CUNEOFORMIS CHALDAEORUM, MEDORUM, ET PERSARUM UNA VETUS ET PURIOR SEMITICA HABENDA EST.

### CAPUT I.

### *Lingua Scripturae Sinicae Polygraphicae una Semitica vetus et purior habenda est.*

#### ART. I.

*Data quacumque hypothesi de natura et constitutione Scripturae Sinicae Polygraphicae, ea absque ope Linguae copiosae, certae, et constantis nec formari, nec servari per plurima saecula potuit.*

Nam, ut saepius in Libro primo animadvertimus, in hac Oeconomia non loquimur tantum et cogitata aliis per verba et voces exprimimus, sed cogitamus etiam, et ideas in mente nostra notamus, firmamus, distinguimus, coniungimus, ordinamus, servamus verbis et vocibus: Adeo ut quemadmodum data *Lingua* copiosa, certa, perspicua, clare etiam et perspicue cogitamus, et eloquimur, et diutissime cogitata et prolata servare valemus; ita contra data *Lingua* inopi, ambigua, incerta, aegre et imperfecte cogitemus, ambigue eloquamur, et impossibile sit cogitata et prolata diutius servare, et adeo aeque impossibile Scripturam copiosam, certam, et perspicuam condere quaecumque

methodo. Atqui *Scriptura Sinica Polygraphica* certa est, et perspicua, utpote qua omnia Imperii et gravissima negotia aguntur et absolvuntur; copiosa est et dives, utpote quae constat plusquam 30,000 Polysematum, quae a plurimis adhibentur: est constans, fixa, immota, perennis, quia per plurima saecula eadem et ipsa manet. Ergo *Lingua* vera et originalis *Scripturae Sinicae* nullo pacto esse potuit *Lingua* brevis, inops, ambigua, incerta: Sed omnino esse debuit *Lingua* copiosa dives, certa, fixa, praestans. Quod profecto iam animadvertimus Lib. I. Sect. III. Cap. I. art. 9. P. 53. Quamobrem si qui adhuc vellet tenere *Scripturam Sinensem Polygraphicam* esse *Ideographicam*, et potuisse condi datâ Linguâ inopi, ambigua, incerta, non modo esset ignarus, sed etiam incapax horum studiorum.

## Art. II.

*Linguam veram et originalem Scripturae Sinicae Polygraphicae fieri ab illis Voculis, quibus Polysemata indicantur et pronuntiantur impossibile est.*

Nam illae *Voculae* tam paucae sunt numero, ita ambiguae et aequivocae, ut perspicue cogitare, et clare per eas proloqui non modo longe difficillimum, sed plane sit impossibile. Et profecto ubi Indicem illarum *Vocularum* collegeris, si ut *Lexicon Linguae* considerare mavis nullum nec deterius, nec ineptius, nec absurdius *Lexicon* concipere animo valebis. Neque *Lexicon* est Gentis utcumque miserae et deiectae, utcumque barbarae, et inconditae, quae varietate sonorum, vocum multitudine, et potestatum certitudine *Sinensi*

isti non praestet. Atqui contra, ut animadvertimus, et perspicue cogitare, et satis clare cogitata patefacere per *Scripturam* suam valent Sinenses: Sunt plusquam 30,000 *Polysematum* a plurimis adhibita; Polysemata plurima tribus, quatuor, quinque *Sematibus* constant, et singula certae, et exploratae, et constantis sunt potestatis. *Lingua* igitur propria *Polysematum* numquam effici potuit a *Voculis* illis paucis, ambiguis, aequivocis, quibus pronuntiantur, et *Sono* significantur, et exprimuntur.

### A r t. III.

*Nulla Lingua Monosyllabica et aequivoca, etiamsi aliquanto plenior et certior illa qua pronuntiantur Polysemata Sinica, potest esse Lingua originalis et propria Scripturae Sinicae Polygraphicae.*

Nam *Scriptura Linguarum Monosyllabicarum* et aequivocarum, de qua egimus Libr. I. Sect. V. Cap. 2. Pag. 77. maxima ex parte diversa est a *Scriptura Sinensi Polygraphica*: Adeoque nulla *Lingua monosyllabica* et aequivoca potest in ista *Scripturâ* quaeri, et inveniri.

### A r t. IV.

*Nulla Lingua Classica potest esse Lingua originalis et propria Scripturae Sinicae Polygraphicae.*

Leges enim *Scripturae* Linguarum *Classicarum*, de qua egimus Libro I. Sect. V. cap. I. Pag. 71. sunt penitus diversae a Legibus, quibus *Scriptura Sinica* constat: Adeoque nulla mutua relatio invicem esse potest.

A r t. V.

*Quum Scriptura Polygraphica Linguarum Temuricarum ipsa et eadem sit ac Scriptura Polygraphica Sinensium, una utique Lingua Semitica vetus et purior esse potest Lingua propria et originalis Scripturae Sinensis.*

Nam ex omnibus *Linguis* notis sive veteribus, sive recentioribus una prorsus *Semitica* vetus et purior nempe *Gutturalis*, *Consonantica*, *Radicalis*, *Triliteralis* est *Temurica*, et *Homiophonica*, et *Grammatodynamica*, et adeo ad condendam *Scripturam Polysematicam* et abstrusam idonea. Ceterae Linguae universae, nulla excepta, nec *Temuricae* sunt, nec *Grammatodynamicae*, adeoque sunt prorsus ineptae ad *Scripturam* illam condendam. Naturam autem Scripturae *Sinicae Polygraphicae* esse omnino *Lexeosematicam* ostendimus Libro II. Sect. IV. Cap. 2. Pag. 213. ad 222.

CAPUT II.

*Monosyllaba Polysematum Sinensium spectare omnino debent ad intimam constitutionem Lexeographicam ipsorum Polysematum.*

A r t. I.

*Monosyllaba Sinensia esse nequeunt prima Vocabula naturalia, et physiophonica, primae voces Gentium barbararum et inconditarum.*

1. Nam primo, si *Gens Sinica* in eam immanem barbariem decidisset, ut vix pauca quaedam

*Monosyllaba* scisset proferre; quoniam cultus, humanitas, et disciplinae sociales absque Lingua clara et copiosa, sive propriis viribus, sive aliorum ope parata, dari non possunt, et dato cultu, humanitate, et socialibus disciplinis data statim est necessario Lingua copiosa, dives, certa: Sinenses quum ad insignem humanitatem pervenissent, necesse plane fuisset inconditam illam priorem linguam vel deponere, vel augere plurimum et locupletare, quod ceterae omnes Gentes et fecerunt semper et faciunt. Atqui numerus ille et natura illa *Monosyllaborum* constans, certa, et fere eadem semper mansit apud Sinenses. Ergo minime spectare potest ad nescio quem imaginarium statum sylvestrem et ferum, ad nescio quam paupertatem *Linguae* Gentis barbarae et inconditae.

2. Secundo *Fontes* praecipui *Linguarum* naturalium, et *Physiophonicarum*, nempe earum, quae condi ponuntur *Naturâ* duce a Gentibus Barbaris et incultis; et quarum voces adoptari etiam et recipi a Gentibus cultioribus et doctioribus certum est, sunt *Paedophonia*, sive imitatio *vocum*, quas Infantes emittunt; *Pathophonia*, quae voces suppeditat, quas proferunt Homines affectibus acrioribus agitati; *Somatophonia* sive imitatio strepitus et soni, quem edunt corpora et animalia sive sponte sua, sive ab hominibus acta. Atqui impossibile est ex *Lexico Sinico* trahere seriem aliquam *Vocum Paedophonicarum*, *Pathophonicarum*, *Somatophonicarum*. Et contra exceptis Linguis Sinicae simillimis nulla Lingua reliqua est sive docta, sive indocta, sive literata, sive barbara per universam Terram, ex qua series aliqua, et saepe valde prolixa *vocum* illarum *physiophonicarum* trahi et condi non possit. *Lingua*

ergo *Sinensium monosyllabica* penitus diversa est a quacumque *Lingua Physiogenita*, et *Physiophonica.*

3. Tertio, impossibile plane est Gentes barbaras et inconditas, quibus sunt plusquam 30 Elementa vocalica, et Chiliades Monosyllaborum, quae potissimum *Somatophonia* suppeditat, Linguam 350 circiter *Vocularum* ex 15. vel 16. veris Syllabis levi diversitate *Diphthongorum* conficere, et multo minus leviore *Tonorum* discrimine eas voces ad 1600. fere adtollere, et una eademque *Vocula* brevissima 9. 10. 12. 15. etc. obiecta et ideas penitus et intime diversas significare et denotare. Quin haec omnia absque mira mentis docilitate, summa animi patientia, absque magna flexibilitate organorum, adeoque absque multa humanitate dari non possunt.

Et propterea quum literae ab Hominibus pronuntiabiles sint plusquam sexaginta, et monosyllaba longe plurima, et voces polysyllabicae et diversae innumerae, quum conatus loquendi, et impetus diversa et varia proferendi iugis, continuus, perennis, et elementa *Grammatodynamis*, quae in nobis sunt, perennia, et *Somatophonia* circumstantium obiectorum etiam perennis et iugis; et iugis ac perennis *Pathophonia*: Omnino tenendum est Linguam Sinicam *Librorum* potissimum huiusmodi esse, quae ex omnibus humanis Linguis et ordini, et legibus, et effectibus *Naturae* penitus adversetur: Et quae propterea numquam per *Naturae* ipsius vires et potestates potuit oriri et condi: Sed omnino condenda fuit certo et profundo consilio, acerrimo et pertinacissimo proposito alicuius *Politici Collegii*, coniuratione constantissima Sectae alicuius Samanaeae.

## A r t. II.

*Pleraque Polysemata Sinica nominari non potuerunt nec voce sua Semitica triliterali, nec voce communi populari et recepta, nec prorsus ficta et inani.*

Nam si plerisque Polysematibus Samanaei Sinenses imposuissent vocem ipsam *Semiticam triliteralem*, adeoque *trisyllabicam* respondentem, tum primum arcanum prodidissent, *Scriptura* non fuisset amplius *Cryptica*, et quod gravius reddidissent ineptissime abstrusam, quia tota *Polysematis* intrinseca difficultas adhuc mansisset, et tum Scriptura alphabetica, quam ipsi penitus norant, erat potius et necessario adhibenda. Si addidissent plerumque vocem popularem et receptam, Scripturam fecissent prorsus popularem et communem, quod ipsi vitare potissimum et fugere constituerunt, et tum iterum Scripturâ Alphabeticâ uti satius fuisset. Si denique addidissent voces temere adsumtas, vocabula inania, vis et potestatis vacua, tum haud certa et tuta ratione addiscere Polysemata potuissent, et pleraque confundere et pervertere, et adeo frequentissime decipi et fallere necesse fuisset.

## A r t. III.

*Monosyllaba Polysematum Sinicorum debent plerumque respondere sive uni sive duplici literae omnibus Sematibus communi.*

1. Nam primo fieri plerumque potest ut voces *Sematum*, quibus *Polysema* conficitur in una vel duplici litera congruant, sive plane eadem, sive homiophona.

2. Secundo, quia necesse est singulis *Polysematibus* vocem suam, quae ei sit propria imponere, ut discernantur, appellentur, legantur, serventur. Atqui demonstratum est vocem hanc esse non posse plerumque *Semiticam* triliteralem, popularem, fictam, et inanem.

3. Tertio, quia *Syllaba* huiusmodi est usus et utilitatis prorsus praestantissimae. Nam fit *Clavis* et criterium nobilissimum totius *Scripturae*, et quod capital est arcanum adhuc et crypticum, et unâ satisfacit omnibus *Postulatis Scripturae* difficilis et abstrusae, sed quae nosci perfecte debet, ut pura, constans, immota, et certa servetur. Plerumque igitur *Monosyllaba Polysematum Sinicorum* respondere necesse est Literae vel Syllabae omnibus Sematibus communi: qua Syllaba *Polysema* datum nominatur, distinguitur, servatur, solvitur, et explicatur.

Dixi *plerumque*; Nam non raro fit, ut potiores et praestantiores voces, quae adhibendae sint careant *Litera* communi. Tum autem licebit adhibere vel vocem ipsam *Semiticam* si efferri possit, ut *Monosyllabica*, vel ipsam vocem communem et receptam. Nam quum earum numerus prae reliquis sit parvus, nil prorsus damni *Crypticismus* ille sacerrimus poterit pati: eoque magis, quod non agatur de *Lingua* plane populari et plebeia, sed doctiorum, et ipsorum literatorum. De his autem Physiosophice, sive ut solemus dicere *a priori* nonnulla diximus Libro I. Sect. V. Cap. 4. Pag. 85. etc., et *Practica* exempla adtulimus in nostra *Centuria Sinogrammatum* iam Typis data.

## CAPUT III.

### *Scriptura Oligographica Sinensium una Lingua Semitica potest tentari.*

Ita enim obscura et ardua est, ita implexa et profunda, ut nisi ope *Linguae Temuricae, Homiophonicae*, et *Grammatodynamicae* nec constitui, nec explicari umquam potuerit. [Quum autem levissima plane sint quae hactenus Gaubilius, Visdelu, Premare, aliique de ea dixerunt, orandi omnino sunt horum studiorum curiosi, ut aliquem tractatum ex innumeris vertant diligenter: Fieri enim posset, ut inde lumina etiam colligeremus ad tentandam *Scripturam* Cuneoformem, ut iam superius monuimus.

## CAPUT IV.

### *Lingua Scripturae Cuneoformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum habenda pariter est una Semitica purior et vetustior.*

#### ART. I.

*Nulla Lingua popularis et plebeia Chaldaeorum, Medorum, et Persarum, ut Pehlavica et Parsa adhiberi potuit in Scriptura Cuneoformi.*

1. Primo, quia *Linguae populares* et plebeiae nisi Libris classicis et pluribus constituantur et figantur sunt rudes, incertae, fluxae, inconstantes: Et contra *Lingua Inscriptionum Cuneoformium* habenda est certa, fixa, constans, quia

Sacra, Theologica, Liturgica, et eadem per plura saecula perdurans. Et profecto certum est *Linguam Pehlavicam Popularem* Sassanidum aetatis esse satis discrepantem a *Pehlavica* Librorum Avesticorum; etsi dubitari non possit, quin sub ipsis *Sassanidis* pars *Liturgiae Zoroastraeae* in Linguam Pehlavicam fuisset conversa. Vid. Silvestri de Sacy Viri praestantissimi animadversiones in *Mémoir. sur divers Antiqu. de Pérse. Mém. de l' Institut.* Tom. II. 1815. Pag. 162. etc. *Iourn. des Savans* 1823. *Pag.* 237. etc.

2. Secundo, quia in *Regiminibus Casticis*, ubi scilicet est saltem *Casta Sacerdotalis* hereditaria et separata, *Lingua* Sacra Sacerdotalis et *mystica* semper est diversa et alia a populari, ut ostendimus Sect. I. Cap. VII. pag. 320. et Lingua Sacra et Sacerdotalis, non plebeia et popularis, in placaminibus Deorum, in amuletis, in elogiis etiam sacris summorum Regum adhiberi debuit.

## A r t. II.

*Ne ipsa quidem Lingua Zendica inveniri poterit in Inscriptionibus Cuneoformibus Persicis.*

1. Primo, quia quamvis *Lingua Zendica* fuisset Sacra et Liturgica, non Popularis et Plebeia, ut animadvertimus Libr. II. Sect. V. Cap. 4. p. 263. fuit tamen *Lingua*, quam Populus in Precibus et Orationibus audiebat, et poterat utcumque et ex parte saltem addiscere. Atqui Regimina Castica omnino egent *Scriptura* et *Lingua* prorsus *arcana* et incommunicabili.

2. Secundo, quia in *Libris Avesticis*, quos habemus, ea de *Zoroastro* traduntur, et ita de

eo agitur, ut plane sit exploratum Libros illos nonnisi diutissime post eius mortem fuisse descriptos. Et propterea iure tenent plures solertissimi Viri libros *Zendicos* nonnisi sub finem III. saeculi Christiani, vel IV. initio condi et describi coepisse. Atqui si una et eadem fuisset *Lingua* librorum *Zendicorum*, et *Inscriptionum Cuneoformium* omnino maturius libri *Avestici* descripti fuissent, omnino coaevi extitissent ipsis *Inscriptionibus*, et adeo vetustiores ad nos pervenissent. Et propterea si dubitari non potest quin Inscriptiones Cuneoformes sint multo vetustiores libris Zendicis, tenendum est linguam Zendicam Librorum Avesticorum in illis contineri non posse.

## ART. III.

*Una Lingua Semitica vetus et purior adhiberi debuit in Inscriptionibus Cuneoformibus.*

1. Primo quia Assyrii et Chaldaei auctores principes, et originales *Scripturae Cuneoformis* fuerunt, ut notum est, *Semitoglossi*.

2. Secundo, quia *Magi* Medorum et Persarum in *Lingua* Semitica, eaque veteri et puriore aeque docti et versati fuerunt, ut ex *Specimine* nostro *Lexici Hierographici* Parsorum constat, quod Deo dante quam primum edetur.

3. Tertio, quia *Lingua Semitica Radicalis Triliteralis, Temurica, Homiophonica, Grammatodynamica* unica est ex universis Linguis Terrae idonea ad condendam *Scripturam Lexeographicam* et *Crypticam*, *Theologicam*, et *Liturgicam*, ut saepius diximus.

## Art. III.

*Si verum est Polysemata Cuneoformia procedere a sinistra ad dextram id minime potest obstare quominus verba Semitica in eis agnoscere possimus.*

1. Nam non facit ad essentiam *Linguae* dispositio literarum. Eadem sunt verba *Semitica* sive a dextra sive a sinistra scribis et collocas. Nec aliquis fuit, qui verba *Semitica* communia *Arabibus* et *Abissinis* differre dixerit, quod *Arabes* a dextra, *Abissini* a sinistra describant. *Chaldaei* igitur potuerunt purissima verba Semitica a sinistra scribere, ut ab *Hebraeis* magis sese discernerent, et magis Crypticam Scripturam suam facerent.

2. Secundo, quod *Polysemata Lexeographica* haud aequum est considerari, ut *literas Alphabeticas*; sed in eis ordinandis et disponendis longe liberior esse potes; et plurima sunt *Monumenta Aegyptia* in quibus e dato centro duae series *Polyschematum* proficiscuntur haec ad dextram, haec ad sinistram, et quod magis est *Polyschematum* simillimorum. Haudquaquam igitur potest iure obstare ne *Linguam Semiticam* in *Scriptura Cuneoformi* plerumque agnoscamus, quod *Polysemata* videantur procedere a sinistra ad dextram.

## SECTIO III.

LINGUA HIEROGRAMMATUM GRAECORUM, LATINORUM, ETRUSCORUM, SCANDINAVORVM, INDORUM, etc. NON GRAECA, LATINA, SCANDINAVICA, SAMSCRITICA, etc. SED UNA SEMITICA VETUS ET PURIOR HABENDA EST.

### CAPUT I.

*Etiamsi Panthea Graecorum, Latinorum, Etruscorum, Scandinavorum, Indorum Ideographice, quod falsum est, non Lexeographice condita ponantur, Linguâ tamen copiosâ, certâ, fixâ necessarium semper fuit ut conderentur et servarentur.*

1. Nam primo huiusmodi *Panthea* constitui non potuerunt absque magno numero *Idearum Theologicarum*, *Ethicarum*, *Politicarum*, quia *Typi Divini* et *Theologici* respondent omnibus necessitatibus humanis socialibus, *Politicis*, *Ethicis*, *Scientificis*, *Technicis*. Et ingens numerus idearum Theologicarum, Ethicarum, Politicarum haberi non potest absque Lingua copiosa fixa et certa. Sunt qui in Pantheis et Mythis harum Gentium omnes profunditates Cosmologiae, et Theosophiae conditas tenent: Alii Naturae universae phaenomena et cursum: Alii Theoremata praecipua et historiam Astronomiae: Alii institutionem et cursum Agriculturae: Alii historiam et cursum Crisium, immutationum, et vicium Mundi: Alii in eis conditos Annales propriae Gentis, vel Hebraeorum: Alii tandem cursum et quasi processum

Civilitatis et humanitatis nostrae servari arbitrantur. Et quoniam haec sollerter condi, et tradi non potuerunt absque Linguâ ubere et certa, hinc nemo esse potuit ex huiusmodi Interpretibus Pantheorum et Mythorum harum Gentium, qui Conditoribus et Auctoribus earum uberem et certam Linguam non debuerit tribuere. Nos quidem has interpretationes ea latitudine, qua a suis Auctoribus proponuntur, non probamus; particulam tamen quamdam fere ex singulis quasi decerptam et desectam probandam esse censemus, quod satis superque est, ut Lingua copiosa et praestans Pantheorum et Mythorum Conditoribus et Auctoribus concedatur.

2. Secundo, quia etsi tenuia, levia, communia in *Pantheis* et *Mythis* Graecorum, Indorum, Latinorum, Etruscorum, Scandinavorum condita et servata ponamus, quum *Panthea* huiusmodi iisdem formis, iisdem Symbolis, iisdem characteribus instructa summa constantia, mira integritate per longum temporis spatium, per plurima saecula ab amplissimis, solertissimis, et inclytis Gentibus fuissent recepta, servata, et custodita, omnino tenendum est ea Lingua certa, fixa, iam constituta, et plane definita fuisse condita et efformata.

## CAPUT II.

*Quum certum sit Panthea Graecorum, Latinorum, Etruscorum, Indorum, Scandinavorum esse vetustiora, saltem ex parte, Linguâ suâ populari et communi perfectâ et absolutâ, haudquaquam harum Linguarum ope, sed unius vetustissimae Semiticae condita fuisse tenendum est.*

1. Linguae populares et communes antequam Codicibus Religiosis, vel Politicis, antequam Bibliotheca Classica communi figantur, augeantur, expoliantur, inconditae, impurae, hybridae, inconstantes fluunt, ut saepius dictum est. Atqui vetera *Panthea* condi non potuerunt, ut dictum pariter est, nisi Lingua certa, fixa, constanti.

2. Bibliothecae Classicae et communes Gentium vix saeculo decimo a Gentis cujusque constitutione condi possunt; et certe Graeci, Latini, Scandinavi, et India constituta sua Bibliotheca Classica plusquam decem saecula ad primas origines suas numerant. Chronologia Linguarum absolutarum, quam ego mihi constitui, longe magis his rationibus favet, sed quoniam deest hìc locus probandi, generalibus tantum argumentis contentos nos esse necesse est.

3. Atqui contra Panthea Latinorum, Graecorum, Etruscorum, Indorum etc. saltem ex parte coaeva fuisse ipsis Gentium originibus certum est. Nam origines istae et historia vetus uniuscuiusque Gentis ita intime, ita penitus, ita profunde *Pantheo*; Religioni, et *Mythis* suis coniuncta est, et co-

pulata, ut plane coaeva dicenda sint, plane indivisa. Ergo *Panthea* Graecorum, Latinorum, Etruscorum etc. quae Lingua certa, fixa, condita fuerunt, haud condi potuerunt *Lingua* populari earum Gentium, quia ea tum erat adhuc incondita, incerta, rudis.

4. At lingua Semitica certa et fixa fuit a sua vetustissima origine, utpote *Triliteralis* et *Grammatodynamica*, et ipsa quam adhibuerunt Familiae Antediluvianae, et Noachidae primi postdiluviani, et statim plures Gentes amplissimae et potentissimae in Assyria, Syria, Chaldaea, Palaestina, Aegypto, Abissinia, Arabia etc. et propterea est longe vetustior Lingua Graeca, Latina, Scandinava, Samscritica absoluta et perfecta. Ergo si aliqua Lingua certa fixa constanti *Panthea* Graecorum, Latinorum, Indorum etc. condenda fuerunt, et Lingua harum Gentium popularis, utpote nimis sero absoluta, adhiberi non potuit, utique adhibenda fuit *Lingua Semitica* certa, fixa, constans, antiquissima, et a Gentibus amplissimis, solertissimis, plurimis adhibita.

## CAPUT III.

### *Quum Panthea Graecorum, Latinorum, Etruscorum Scandinavorum, Indorum fuissent Cryptica et arcana haudquaquam in illis condendis Lingua popularis et communis harum Gentium potuit adhiberi.*

Nam quae conduntur *Lingua* populari et communi, ut ut sollerter et acute condantur numquam esse possunt cryptica et arcana. Exposita animad-

versioni plurimorum serius ocius comprehenduntur, quum nil obstet, quin comprehendantur, et arcanum perit. Fuisse verò Cryptica et arcana *Panthea* harum Gentium patet: 1. Primo, quod Custodes et Sacerdotes fuerint vel Tribus speciales penitissime a reliquo Populo divisae; vel Optimates superbissimi, et Plebi infensissimi, et qui clamarent *Religiones* et *Auspicia* esse *sua*, et Plebi incommunicabilia; vel familiae Sacerdotales selectae separatae; vel tandem Collegia quidem eclectica, sed ex probatissimis, doctissimis, et prudentissimis Viris composita: Adeo ut Vulgus, Plebs, scilicet plusquam novem partes ex decem cuiusque Gentis, plane extranea notitiae veri Systematis Religiosi sui fuerit. 2. Secundo, quia si *Panthea* harum Gentium non fuissent arcana et Cryptica, numquam Philosophi Graeci, et Romani per plura saecula plurimas quaestiones de *natura Deorum* acerrime et frustra agitassent, quod et animadvertimus Libro I. Sect. IV. Cap. 4. Art. 2. p. 68. 69. 3. Tertio, quod ipsi Scriptores Graeci et Latini tam frequenter Sacra et Mysteria sua esse *Cryptica*, incommunicabilia, ἀπόῤῥητα apertissimis verbis professi sunt, ut Liber ex eorum testimoniis condi posset et deberet.

## CAPUT IV.

*Quum demonstratum sit Libro secundo Sectione prima* pag. 109. 113. *Hiero-Emblemata, Theogrammata, et Tropodramata Veterum Gentium, esse Lexeoschematica; unâ omnino Linguâ Semiticâ, eâque puriore et vetustiore potuerunt condi, et poterunt explicari.*

Nam una Lingua Semitica, ut saepius dictum est, *Temurica est*, et *Homiophonica, una Grammatodynamica*, et adeo una opportuna et apta ad condenda huiusmodi *Agalmata*; Ceterae vero Linguae prorsus ineptae: Adeo ut condere unum *Theogramma* insigne per *Linguam* sive *Graecam*, sive *Latinam*, sive *Samscriticam*, sive *Scandinavicam* non difficile tantum sit, sed prorsus impossibile. Contra vero dato Lexico 3000. vel 4000 Radicum *Linguae Semiticae* possunt condi, ut animadvertimus Lib. I. Sect. IV. Pag. 71. 72. innumera *Theogrammata*, innumera *Hiero-Emblemata*, innumera *Hierodramata*, et quod magis est, plane similia *Theogrammatibus*, *Hieroemblematibus*, *Hierodramatibus* Graecorum, Latinorum, Etruscorum, Indorum etc. Quamobrem, ut dicebamus, una *Lingua Semitica* Radicali, Triliterali, Consonantica, adeoque *Temurica*, *Homiophonica*, *Grammatodynamica Agalmata*, *Hiero-Emblemata*, *Hierodramata* symbolica veterum Gentium potuerunt olim condi, et poterunt recte deinceps explicari: Quod nos in *Problematibus Hierographicis* Specimine practico ut ut tenuiter ostendere conati sumus.

# SECTIO IV.

## Una lingua semitica vetus et pura esse potuit typus primus, et exemplar originale scripturae veterum hieroglyphicae, sive schematicae, sive sematicae.

## CAPUT I.

### *Recensentur praecipuae proprietates et characteres Linguae Semiticae vetustioris et purioris, quae potissimum servatur in Libris Legis et Prophetarum Hebraeorum.*

### Art. I.

***In Linguis Radicalibus decem vel duodecim millia circiter Radicum sunt plusquam satis et super ad exprimendas quascumque humanas necessitates et cogitationes.***

Quamvis enim in *Linguis Radicalibus* res, obiecta, passiones, facta diversa voce sua propria et radicali sint exprimenda, quum tamen plurima in Mundo sint, quae non naturâ et intimâ constitutione, sed tantum circumstantiis et adiunctis distinguantur; et aequum sit haec exprimi per *Literas* non *Radicales*, sed *Determinantes*, quas *Serviles* appellant: Hinc fit quod 10,000, vel 12,000 *Radicum* possint ad plusquam 100,000 vocum converti, quae in hac nostra Oeconomia longe superant quascumque humanas necessitates: Nec profecto fuit, vel adeo est *Lingua* aliqua cui vel fuerint, vel sint 10,000 Radicum, et 100,000 Vocabulorum satis inter se diversorum.

## Art. II.

*Linguae Temuricae fiunt et gignuntur multiplicatione mutua Literarum dati Alphabeti.*

Nam si dato *Alphabeto* viginti ex. gr. Literarum, has *Literas* per seipsas multiplico habebo 20×20=400 : nempe quadringentas *Radices Biliterales*, easque *Temuricas*: Quas *quadringentas Radices* si iterum per illas *viginti Literas* datas multiplico, ut habeam 20×20×20=8000, vel 400 ×20=8000, erunt nobis octo millia *Radicum Temuricarum*. Et si vellem *Radices Temuricas* quatuor Literarum omnino necesse esset, ut quartam Potentiam numeri 20, sive 20×20×20×20= 160,000 mihi compararem: scilicet ut octo millia *Radicum* triliterarum per illas datas literas multiplicarem, et ita porro. Adeoque quum nulla alia sit via ad obtinendam *Linguam Temuricam*, quam mutua Elementorum datorum multiplicatio, tuto tenebimus genesim *Linguae Temuricae* deberi *Literis* dati *Alphabeti* aliquoties invicem multiplicatis.

## Art. III.

*Radices Linguae Temuricae sunt omnes biliterales vel triliterales, numquam quadriliterae.*

1. Primo, quia ut habeantur *Temurae quadriliterae*, ut innuimus, opus est dari quartam Potentiam Literarum *Alphabeti genitoris*, quarum numerus, si datur tantum viginti, necesse esset constitui 160,000 *Radicum*, qui immanis numerus mente nostra servari non potest, et

omnino superat quascumque vires ingenii Gentis humanae.

2. Secundo, quia datis *Radicibus* pluribus *quadriliteris* vocabula in compositione Grammatica fierent nimis prolixa, et longa, additis ut aequum est *Literis determinantibus*, vel syllabis Grammaticis.

3. Tertio, quia *Linguae* huiusmodi sunt etiam *Grammatodynamicae*, et si definire aliquod obiectum, aliquam ideam Grammatodynami duarum vel trium literarum gravissimae fere semper est difficultatis, longe difficilius, et non raro impossibile definire Literis quatuor.

4. Quarto, quia etiamsi concedatur facilis esse et levis laboris omnia obiecta et ideas per quatuor Literarum potestates definire, id minime praestaret et conduceret ad Linguae perfectionem; quin esset saepius noxium et damnosum. Nam obiectis et ideis pressius et certius definitis Vocabula fierent pene omnia individua et peculiaria, et tum opus esset singulis obiectis, singulis ideis peculiaria sua vocabula adsignare, et Linguam adeo innumeris Vocabulis constantem, difficillimam, et huic nostrae conditioni incongruam et ineptam procudere.

## A r t. IV.

### *Lingua Semitica purior et vetustior est Temurica.*

Scilicet *Radices Semiticae* data quacumque transpositione Literarum quibus constant, producunt plerumque *Radices* aeque receptas et probatas Linguae eiusdem: ut אבד ABD, דבא DBA, דאב DAB, בדא BDA etc; דבר DBR, ברד BRD,

בדר BDR, רבד RBD etc. etc. quae omnia significatione et usu suo gaudent in Lexico Semitico.

### ART. V.

*Radices possibiles Linguae Semiticae purioris sunt plusquam 10,000.*

Nam *Alphabetum* genitor *Linguae Semiticae* constat Literis 22. Atqui 22×22=484; et 484×22=10,648. Et *Radices* Linguae *Semiticae*, ut aequum est, ob naturam suam *Temuricam* sunt tantum *Biliterales* vel *Triliterales*.

### ART. VI.

*Radices selectae et receptae Linguae Semiticae purioris sunt circiter quatuor mille in Gentium Semiticarum Encyclopaedia, duo vero, vel tria millia in Scriptura Hieroglyphica saltem vetustiore.*

Excussis enim Lexicis Dialectorum Semiticarum Hebraicae, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Abissinicae etc. Voces, quae ad commune quoddam et vetustius Lexicon spectare possunt, et quae ad accuratas leges et normam *Linguae Temuricae* et *Grammatodynamicae* sint exigendae, et quae vere *Radices* sint, haud superare puto numerum quatuor millium. Et ita quidem. Nam quamvis *Radices* possibiles *Semiticae*, ut modo diximus, sint plusquam 10,000, plures tamen ex his sunt Cacophonae, plures Homiodynamicae, plures ineptae ad Grammatodynamin. Et contra quatuor millia Radicum, data *Polydynami* plurimarum, et adiectis *Literis determinantibus* sive Grammaticis possunt efficere Lexi-

con ita copiosum, ut aliud nullum possit ei comparari.

Quin in Scriptura Hieroglyphica et Sacerdotali de cuius limitibus egimus lib. I. pag. 72. 73. 74. 2009 in 3000 *Radicum*, quot indicavimus p. 63. 64. sunt satis superque ad rem.

### A r t. VII.

*In Vocabulis omnibus Linguae Semiticae purioris singulis literis singulae potestates insunt, et omnes unam et eamdem ideam et cogitationem significant.*

Scilicet *Ideae* et cogitationes humanae, quae respondent *Vocabulis Linguae Semiticae*, non respondent ex arbitrio Auctoris, non voluntate Conditoris eius Vocabuli, non respondent ex *Somatophonia*, quam Plebecula collegit ex corporum circumstantium rumore et strepitu, sed respondent ex ipsa Vocum vi, ex ipsa potestate *Literarum*, quibus constant, ex ipsa vi Elementorum pronuntiationis humanae, quam Conditor *Linguae* antea noverat et expenderat. Id autem nos quam primum, Deo dante, praestabimus, tum per *Physiosophiam*, et diversa Theoremata, tum per *Specimen practicum*, sive per *analysin* ipsam *Grammatodynamicam* partis *Lexici Hebraici*, quo uno vetustior et purior *Dialectus Semitica* continetur.

### Art. VIII.

*Potestates XXII. Literarum Alphabeti Genitoris Linguae Semiticae purioris sunt circiter ducentae.*

Nam non una esse potest vis et potestas Literarum, sed debet esse multiplex et varia: Et si exclamationibus sive Aspirationibus vocalicis *haha hehe*, *hoho* etc. septem, octo, decem distinctas et diversas animi affectiones revera significamus, utique hae omnes potestates sunt illis Literis, sive *vocalicis Aspirationibus* tribuendae. Similia de *Consonis* plerumque dicendum est: Et quoniam $22 \times 9 = 198$. ideo ego teneo posse numerari *ducentas* circiter *Grammatodynames* in XXII. *literis Alphabeti Hebraici*, quas, Deo dante, in *Specimine* practico quam primum prodemus.

### Art. IX.

*In Alphabeto genitore Linguae Semiticae aliquae Literae sunt Polydynamicae, aliae Metriodynamicae, aliae Oligodynamicae.*

Ita quidem: Nam literis ex. gr. ו V, ז Z, צ TZ etc. vis sive varietas potestatis est longe contractior et brevior, quam *Literis* א A, ב B, ג G, etc. et propterea habebimus alias *Literas*, quibus erunt 12, vel 10 potestates, alias quibus 9, vel 8, alias quibus 4, vel 5. Idque summa utilitate, ut nempe vi *Literarum* certiore et magis coërcita certior et magis definita fieret vis et potestas *Vocis* totius.

### A r t. X.

*Ipsa Vocabula Linguae Semiticae purioris possunt discerni in verba Polydynamica, Metriodynamica, et Olygodynamica.*

Nam alia est amplitudo potestatis Vocum ex. gr. בר BR, רב RB, דבר DBR, גל GL, חלל CLL, חל CL, חבל CBL: et alia vocum כלב KLB, מלך MLK, שמש SCMSC, עבד OBD etc. et ita porro.

## CAPUT II.

## *Conferuntur characteres et proprietates praecipuae Linguae Semiticae purioris cum characteribus et proprietatibus Scripturae Hieroglyphicae Aegyptiae, et Sinensis.*

### A r t. I.

*Quae relatio intercedit inter Radices possibiles, et Radices reales Linguae Semiticae purioris in Scriptura Hieroglyphica adhibitae; eadem fere interest inter Schemata possibilia, et Schemata recepta Scripturae Hieroglyphicae Aegyptiae.*

Ratio *Radicum* possibilium ad *Radices* receptas in Lexico *Linguae Semiticae* Hieroglyphicae purioris est fere ut 4. ad 1. Nam radices possibiles sunt circiter 10,000. Radices receptae in Scriptura Hieroglyphica 2000 in 3000. Atqui Schemata selecta et recepta in *Scriptura Hieroglyphica* Aegyptiorum sunt circiter 1000, quot fere numeravit diligentissimus Zoega de Obelisc. pag. 497. et cir-

citer 4000 sunt Schemata, quae in Gente bonis artibus exculta, aliquis *Scripturae Schematicae* Conditor posset desumere ex Animalibus, Plantis, Vasis, et Supellectili sociali omnis generis, quae possint commode exculpi et expingi, et quot revera desumenda fuissent in *Scriptura Lexeoschematica* Regulari et legitima, ut diximus Libr. I. Sect. IV. pag. 61. Quamobrem dicendum videtur Conditores *Scripturae Hieroglyphicae* Aegyptiorum intra numerum millenarium Schematum sese continuisse, ut eamdem fere relationem servarent ad *Schemata possibilia*, quae inter *Radices selectas*, et *Radices possibiles* Linguae suae originalis intercedebat.

A r t. II.

*Quemadmodum ducentae circiter sunt Potestates XXII. Literarum Alphabeti genitoris in Lingua Semitica primigenia: Ita ducenta circiter sunt sive Schemata, sive Semata Radicalia Scripturae Hieroglyphicae tum Sinensis, tum Aegyptiae.*

Scripturam *Sinicam* totam prorsus *ducentis* circiter *Sematibus* absolvi et confici, qui aliqua attentione *Lexica Sinica* lustraverit, *Polysemata* consideraverit, et in sua elementa solverit haud difficulter perspiciet et colliget. Idque iam iure affirmavit, et testatus est vir hisce in studiis praestantissimus Abel-Remusatus in Iourn. Asiat. T. II. p. 129. 130. etc. 1823. et in Act. Acad. Inscript. Tom. VIII. Pag. 16. 17. etc. An. 1827.

*Schemata* porro *Elementaria* Scripturae *Hieroglyphicae Microschematicae* Aegyptiorum esse pariter circiter *ducenta*, qui aliquâ curâ Monumenta *Hieroglyphica* inspexerit facile et necessario

assentietur. Et miratus semper sum vehementer, quomodo Auctores *Alphabeti Hieroglyphici Anglo-Gallici secundam Centuriam* Schematum suorum non absolverint, quod suis etiam rationibus fuisset utilius. Ipsi quidem numerant 134. *Schemata* quasi *literas*, sed certum est circiter sex ab iis ipsis praeteriri, quod ego mihi dudum adnotavi, et quod Alphabetophilis iure obiecisse nuper animadverti Iulium Klaprothum *in Observ. Critiq. sur l'Alphab. Hierogl.* Pag. 9. 10. 11. Adeoque nos recte eis adtribuisse rotundo numero Alphabetum 140. *Typorum.* At hunc numerum posse aliis sexaginta *Schematibus* aeque frequentibus, aeque insignibus, aeque repetitis augeri certissimum est. Nam ex. gr. *Circulus*, *Biangulum*, *Ellipsis cum linea recta osculatrice*, *Securis manubriata*, *Spiculum verticale*, *Situla dentata*, si ita appellare fas est, *Scabellum* tribus gradibus distinctum, *Scala*, *Remus*, *Siphon angulosus*, etc. etc. et alia huiusmodi plura, aeque frequenter ac illa 140. occurrunt. Adeoque teneri iure potest etiam Aegyptiis *ducenta* circiter *Schemata Radicalia* et fundamentalia fuisse, quibus universa fere inniteretur et superstrueretur *Scriptura Hieroglyphica Microschematica:* Et quoniam *ducentae* pariter sunt *potestates* et vires *Literarum Alphabeti Genitoris*, quibus potestatibus tota innititur et superstruitur *Lingua Semitica*, visum est aequum et congruum Conditoribus *Scripturae Hieroglyphicae* sive *Schematicae*, sive *Sematicae*; eumdem numerum servare in Elementis Scripturae suae.

## Art. III.

*Quemadmodum in singulis literis Alphabeti genitoris Linguae Semiticae non est una et individua potestas, sed sunt 12. 10. 8. 4. adeo ut ducentae potestates 20. circiter Literis contineantur: Ita pariter Schematibus vel Sematibus singulis Scripturae Hieroglyphicae non una vox unum verbum respondet, sed saepius 20. 15. 10. 5. 4. adeo ut ducentis tantum Signis duo millia olim, et deinceps tria, vel etiam quatuor millia Vocabulorum exprimerentur.*

Haec autem ex ante dictis constant, tum praecedenti capite, tum Lib. I. Sect. IV. Pag. 63. 67. et Sect. V. pag. 81. et quamvis non negem posse contineri in *Scriptura Sematica* Sinensium, et *Schematica Hieroglyphica* Aegyptiorum vel quatuor millia *Radicum* purarum *Semiticarum*; puto tamen prima Conamina tum, quod essent prima, tum quod potissimum spectarent *Sacra* tantum, vel *Civilia* substantialia, non universam humanam Encyclopaediam, potuisse et debuisse confici Lexico *duum millium* tantum *Radicum* purarum et verarum: quem numerum in locis citatis propterea tenere malle visi sumus. Et propterea quum sit 20: 200=200: 2000 valde probabile videtur Conditores *Scripturae Hieroglyphicae* eamdem fere rationem voluisse constituere inter *Schemata*, vel *Semata Radicalia* et fundamentalia, atque *Radices* et *Vocabula* fundamentalia *Linguae* suae; ac illa esset, quae intercederet inter numerum *literarum Alphabeti* Genitoris, et *numerum Potestatum* earumdem literarum.

## Art. IV.

*Quod in Lingua Semitica sunt Vocabula duabus, tribus, quatuor, quinque etc. literis constantia; idipsum sunt in Scriptura Hieroglyphica Polyschemata, vel Polysemata facta ex duobus, tribus, quatuor, quinque etc. sive Schematibus, sive Sematibus.*

In *Lingua Semitica* pura significatio et sententia verborum, et vocum ex vi et potestate singularum Literarum colligitur; eaque significatio secundum etiam numerum Literarum variatur et immutatur miro modo: Quemadmodum igitur in *Lingua Semitica* ut idea vel cogitatio aliqua perspicue exprimatur necessarium est, ut duae vel tres Literae opportunae seligantur, tum saepius ut alia, vel binae Determinantes sive Serviles adhuc addantur; ita pariter in *Scriptura Hieroglyphica* ut idea et cogitatio aliqua clare significetur necesse est in unum Syngramma componere duo, tria, imo quatuor quandoque, et quinque sive *Schemata*, sive *Semata*: Quod profecto in *Scriptura Sinica* deprehendere planum est et facile; in *Hieroglyphica* vero Aegyptiorum saepe haud difficillimum.

## Art. V.

*Quemadmodum Radices Linguae Semiticae sunt Biliterales, vel Triliterales: ita Schemata potissimum Scripturae Aegyptiae Hieroglyphicae bis vel ter continuo repetuntur, et saepissime Microstichi tribus Schematibus constant, et divisio ternaria utcumque frequenter adhibetur.*

Qui vel leviter in *Scriptura* Aegyptiorum versatus est, statim animadvertit, quae hic affirmamus. Et qui meminerit *Radices* Linguae Semiticae purae esse Biliterales vel Triliterales, facile nobis concedet id factum, ut solemnes illos numeros in *Lingua* primigenia, etiam in sua *Scriptura* Conditores eius repraesentarent et servarent.

## Art. VI.

*Quemadmodum ex Literis Linguae Semiticae aliae sunt Radicales et immutabiles, aliae contra Determinantes, mutabiles, serviles: Ita etiam in Scriptura Hieroglyphica Aegyptiorum alia Schemata sunt Radicalia et constantia, alia Determinantia et mutabilia.*

Iam animadvertimus *Schemata* Scripturae *Hieroglyphicae* Aegyptiorum *Radicalia*, fundamentalia esse circiter *ducenta*, eaque in omnibus Monumentis semper, quot opus sunt, conspici; esse vero et alia, quae pro arbitrio adsumantur, et seligantur magis certae et specialis significationis, ut difficultas *Scripturae* minuatur: et quae propterea recte possint comparari *literis Semiticis*, quas *Serviles* appellant, et quae satius dici pos-

sent *Determinantes*. Quamobrem etsi formae Vocum *Grammaticae* ex Scriptura *Hieroglyphica* tum ob *Crypticismum*, tum ob intractabilitatem fuissent fere semper exclusae, est tamen intrinsece probabile Conditores Scripturae voluisse in ea hunc Linguae characterem servare, et repraesentare, utpote eis notum, essentialem, et aliquando etiam adhibitum.

### A R T. VII.

*Quemadmodum in Linguae Semiticae Alphabeto sunt Literae aliae Polydynamicae, aliae Metriodynamicae, aliae Oligodynamicae, ut supra indicavimus pag.* 364. *Ita in Scriptura Hieroglyphica sive Schematica sive Sematica sunt Schemata vel Semata alia Polydynamica, alia Metriodynamica, alia Oligodynamica.*

Ita quidem. Nam in *Scriptura Aegyptia* sunt *Polydynamica* Schemata *Oris*, *Semicirculi*, *Gladii*, *Bacillorum coniunctorum*, *Vasis*, *Hydroschema*, *Metroschema*, etc. sunt *Metriodynamica Noctua*, *Siphon*, *Securis*, *Polyangulum*, *Manus*, *Oculus* etc. *Oligodynamica Lepus*, *Coturnix*, *Turtur*, *Fascis* etc. In Scriptura vero Sinica sunt Polydynamica *Homo*, *Caput*, *Os oris*, *Tectum*, *Aqua*, etc. Metriodynamica *Oculus*, *Sol*, *Canis*, *Terra* etc. Oligodynamica *Bos*, *Equus*, *Porcus* etc.

*

## Art. VIII.

*Quemadmodum in Lingua Semitica sunt Voces aliae Polydynamicae, aliae Metriodynamicae, aliae Oligodynamicae, ut indicatum est superius Pag. 365. : Ita in Scriptura Hieroglyphica sive Schematica sive Sematica sunt Syngrammata alia Polydynamica, alia Metriodynamica, alia Oligodynamica.*

Nam *Syngrammata*, quae fiunt ex Symbolis *Polydynamicis*, necesse est saepius esse etiam *Polydynamica*, ut contra necesse est fieri *Oligodynamica*, quae ex *Oligodynamicis* Signis efformantur. Nos autem huius tum *Polydynamis*, tum *Oligodynamis* Exempla dedimus in Analysi *Tabulae Rosettanae*, et *Centuriae Sinogrammatum*.

## Art. IX.

*Quemadmodum in Lingua Semitica puriori sunt 400. circiter voces Biliterales receptae, et quas dicimus Monosyllabicas: Ita Lingua docta et Literata Sinensium constat 400. circiter Voculis vel Monosyllabis.*

Voces *Biliterales* possibiles Linguae Semiticae purioris sunt 484: At ex his plures sunt excludendae, quod *Cacophonae*, aliae quod careant opportuna *Grammatodynami*: Adeo ut vix 400. circiter possint ex his numerari, ut revera susceptae et adhibitae. Atqui 400. circiter sunt voculae, quas adhibent Sinenses Literati in Libris suis legendis: Et nisi teneas severissima aliqua lege arceri, ne hos angustissimos fines transeant, num-

quam poteris animo capere quomodo in tam brevi Vocularum numero consistant: Et quoniam acerrima ista Lex nonnisi a Lege aliqua fundamentali Linguae suae originalis peti potest, omnino fatendum est hos limites, et quasi carceres, a numero Monosyllaborum originali Linguae Semiticae fuisse constitutos. Adeo ut quum Samanaei Sinenses decrevissent uti tantum Monosyllabis, sive vocibus, quae videri possent Biliterales in pronuntiatione Semitarum, necesse fuit hoc tantum numero esse contentos. Idque eo clarius constat, quod ipsum plane numerum 484 Vocularum quandoque praedicent. Vid. *Memoir. de Pekin.* Tom. VIII. pag. 146. 147.

ART. X.

*Numerus 540. Polysematum constitutus olim, ut aiunt, a Tsang-Kie, probatus a Li-sse, et receptus ab Hiu-chin habendus est Numerus multiplus Literarum Alphabeti Semitici tum originalis, tum contracti, tum dilatati.*

Nam nulla alia caussa aequa et rationalis huiusce Numeri videtur suppetere; Et qui putaret 540. Polysemata per plura saecula necessitatibus Imperii fuisse satis parum profecto saperet; Sed omnino habenda sunt pars aliquota Lexici totius, quod plane fecisse Li-sse constans traditio est.

Hinc est animadvertendum 1. primo, quod in Alphabeto Semitico 22. Literarum sint duae duplices, nempe צ Tzade, et ש Schin, adeoque Literas simplices et radicales esse tantum 20, quod saepe monuimus. 2. Secundo, quod Lingua Sinensis etiam Literata, sit essentialiter vocalica; et propterea dubitari non posse, quin Vocales

fuerint peculiari modo discretae, et adeo additae Alphabeto arcano Literarum 22, ut numerarentur 22+5=27. 3. Quod Sinenses eiecerint ex hoc Alphabeto in usum publicum quatuor literas ב B, ד D, ז Z, ר R, adeo ut numerarent tantum 18. Elementa: 4. Quarto, quod haec ipsa Elementa per aliquot varietates ad 26. elevassent: et 5. Quinto quod Vocales 4. Tonis distinxissent. Adeo ut fundamenta Grammaticae Sinicae videantur: Alphabetum Radicale 20. Literarum, Receptum 22. Contractum. 18. Dilatatum 26. et distinctum Tonis 4. Atqui 22+5×20=540. Et 26+4×18=540. iterum. Quin 540×18=9720=9,353+367. Et 367. circiter sunt voculae Linguae Literatae, et 9353. sunt Polysemata, quae Li-sse constituit, quae Hiuchin recepit, quae revera in Libris Classicis continentur, et quot fere esse Radices possibiles Linguae Semiticae pag. 362. diximus.

Et haec modo ad propositum sint satis, ceteris loco opportuniori reservatis. Teneamusque tandem iure unâ Linguâ Semiticâ vetere et puriore omnia Mysteria, omnia Sacramenta veterum Gentium profunda arte, mira diligentia, sollertia incredibili fuisse condita et constituta: Pronique Deo Opt. Max. grates agamus, quod Sanctos Hebraeorum Libros nobis indulserit, per quos fere unos non ex vacuis et egenis Mundi elementis, sed ex foecundissimis seminibus a sapientissimo, et misericordi Conditore inditis Sacramenta illa et illa Mysteria, et ipsius magni Dei Oeconomiam cum veteri Mundo miram, profundam, sanctam, universalem aperiri tandem et explicari posse laeta spes adsit.

*F i n i s.*

# CONSPECTUS ARGUMENTORUM ET CAPITUM HERMENEUTICES HIEROGRAPHICAE.

## LIBER PRIMUS

### DE NATURA, VARIETATE, USU, ORIGINE, ET CHARACTERIBUS SCRIPTURAE HUMANAE.

### SECTIO I.

*De natura, et varietate Scripturae humanae, deque eius usu penes veteres Gentes.*

## SECTIO II.

### *De Scriptura Ideoschematica, sive Ideographica et Schematica.*

## SECTIO III.

### *De Scriptura Ideographica et Sematica, sive Ideosematica.*

## SECTIO IV.

### *De Scriptura Lexeographica et Schematica, sive Lexeoschematica.*

## SECTIO V.

### *D Scriptura Lexeographica et Sematica sive Lexeosematica.*

## SECTIO VI.

### *De Scriptura Alphabetica.*

## LIBER SECUNDUS

### DE NATURA SCRIPTURAE VETERUM GENTIUM SYMBOLICAE, ET HIEROGLYPHICAE, SIVE POLYSCHEMATICAE, SIVE POLYSEMATICAE.

### SECTIO I.

### *De natura Emblematum, Theogrammatum, et Hierodramatum veterum Gentium, sive Lexeographica, sive Ideographica.*

★

## SECTIO II.

### *De Natura Scripturae Hieroglyphicae Aegyptiorum Microschematicae et Polygraphicae.*

## SECTIO III.

*Scripturam Aegyptiorum Microschematicam, ne ex parte quidem esse Alphabeticam, ex falsitate Alphabeti Hieroglyphici Anglo-Gallici nuper propositi luculentius demonstratur.*

## SECTIO IV.

***Scriptura Metriosematica, Metriotypica, et Metriographica, sive Hieratica Aegyptiorum: Metriotypica, Polysematica, et Polygraphica Sinensium: Oligotypica et Oligographica Aegyptiorum, Sinensium, et Geomanticorum maxima ex parte habendae sunt Lexeographicae.***

## SECTIO V.

### *Scriptura Cuneoformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum habenda est Lexeographica.*

# LIBER TERTIUS

## DE LINGUA SCRIPTURAE VETERUM GENTIUM SYMBOLICAE, ET HIEROGLYPHICAE SIVE POLYSCHEMATICAE, SIVE POLYSEMATICAE.

## SECTIO I.

### *Lingua Scripturae Aegyptiae Symbolicae, Hieroglyphicae, Hieraticae, et Oligotypicae non Coptica, sed vetus et purior Semitica habenda est.*

## SECTIO II.

### *Lingua Scripturae Sinicae tam Polygraphicae, quam Oligographicae, et lingua Scripturae Cuneoformis Chaldaeorum, Medorum, et Persarum una vetus et purior Semitica habenda est.*

## SECTIO III.

*Lingua Hierogrammatum Graecorum, Latinorum, Etruscorum, Scandinavorum, Indorum, etc. non Graeca, Latina, Scandinavica, Samscritica, etc. sed una Semitica vetus et purior Lingua habenda est.*

## SECTIO IV.

### *Una Lingua Semitica vetus et pura esse potuit typus primus, et exemplar originale Scripturae veterum Hieroglyphicae, sive Schematicae, sive Sematicae.*

FINIS.

2

# TABULAE ROSETTANAE
## HIEROGLYPHICAE
## ET CENTURIAE SINOGRAMMATUM
POLYGRAPHICORUM

## INTERPRETATIO
PER LEXEOGRAPHIAM TEMURICOSEMITICAM

TENTATA

A CATALDO JANNELLIO

REGIO BIBLIOTHECARIO, ET ACADEMICO HERCULANENSI.

NEAPOLI

TYPIS REGIIS.

MDCCCXXX.

A1

1-2 Omit
3. Chinese language - Characters

oD

*Omnium Rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa augentur, nec sine caussa: In primo enim ortu inest teneritas et mollities quaedam, ut nec res videre optimas, nec agere possimus.*

Cicero *de Finibus* Lib. V. Cap. 21.

*Itaque etiam non assequutis voluisse abunde pulcrum et magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis caussam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem iuvandi, praetulerunt gratiae placendi.*

Plinius Secundus *Praef. ad Histor. Natural.*

# LECTORI BENEVOLO
## C. JANNELLIUS.

I. INTERPRETATIO *Tabulae Rosettanae Hieroglyphicae* numquam visa mihi est tam aspera et dura, numquam tam ardua et difficilis, nisi quum ex *Physiosophia* Scripturae *Hieroglyphicae Aegyptiae*, quam in *Hermeneuticé Hierographica* constitueram, possibilem eam, et aliqua saltem ex parte tractabilem sum arbitratus: Iam tum sentiens omnia fere, quae ad plenam, certam, et rationalem Interpretationem instituendam et adsequendam faciunt, mihi deesse. Ut enim secundum leges *Hermeneutices Hierographicae* Monumentum Hieroglyphicum aequo et rationali modo explicetur, plura et gravissima requiruntur; Scilicet requiritur

1. Primo ampla et profunda peritia Dialectorum Semiticarum Hebraicae, Chaldaicae, Arabicae, Abissinicae etc. ex quibus Dialectus Hieroglyphica Aegyptiorum nisi per gravissimos labores, et variam sollertiam deduci et erui non potest. Atqui harum Dialectorum notitia et fuit, et est adhuc mihi omnino tenuis.

2. Secundo requiritur plena et distincta notitia *Vocabulorum* potissimum *Schematicorum*, Vocum figuratarum: nempe *Nominum*, quae spectant Instrumenta Artium, Vasa, et Supellectilia omnis generis, Membra corporis humani, vel brutorum; Vestes, Ornatus, Monilia: tum Quadrupedia, Volucria, Insecta, Herbas, Arbores, et ita

porro. Atqui haec *Vocabula* etiamsi voluissem noscere, et discere brevi, et facile haud potuissem. Nam Castelli Lexicum Heptaglottum magno Literarum damno caret adhuc Latino Indice, et omnes fere Indices Latini ceterorum *Lexicorum* Semiticorum ita sunt imperfecti, ita supine confecti, ut ad nullum fere usum Hieroglyphicum possint inservire.

3. Tertio requiritur, ut singulorum omnino *Schematum*, quibus datum Monumentum constat, nullo excepto, natura intima, destinatio vera, usus genuinus sit plane perspectus, et perfecte notus. Nam cognita *Schematis* natura, cognosci possunt *Nomina* et voces, quae ad illud spectant, et possunt adeo obtineri elementa legitimae interpretationis: At *Schematum* naturâ vel prorsus ignotâ, vel incertâ et ambiguâ, aut desunt ipsa elementa essentialia Interpretationis, aut sunt incerta et ambigua. Atqui naturam genuinam multorum Schematum Hieroglyphicorum et ignorabam, et ignoro, nec saepe nisi coniecturâ et opinione mihi figere et constituere valui. Idque porro non factum, quod aliorum doctrinam respuissem, quod disciplinam detrectassem: quin avidissime arripuissem, si adfuissent, qui benigne praebuerint. Atqui omnes prorsus, qui haec studia adhuc adtigerunt Kircherus, Pahlinus, Ricardius, Ioung, Champollionus, Seiffarthus, etc. nullam umquam aequam et rationalem analysin *Schematum Hieroglyphicorum* instituerunt, numquam peculiari cura et diligentia de eorum origine, formatione, et destinatione, quantum ego sciverim, disseruerunt. Sed quisque arbitrio et voluntate sua descripsit, definivit, appellavit. Catalogum porro analyticum *Hieroglyphicorum* iamdiu ab Academicis Aegy-

ptio-Gallis promissum nondum vidi, nec omnino scio quid sit.

4. Quarto requiritur, ut *Schematibus Hieroglyphicis* certis, notis respondeant Nomina et vocabula aeque certa, explorata, nota. Atqui in *Monumentis Hieroglyphicis* Schematibus etiam certis adsignare certa et recepta nomina saepius difficillimum, vel impossibile. Esto hoc Schema *Circulus*, esto *Quadrangulum*, esto *Quadratum*, esto Circuli *Quadrans*, esto *Polyangulum*, quis statim nota, certa, et explorata Nomina secundum Lexicum Hierophantûm adsignaverit?

5. Quinto requiritur, ut singulis Schematibus non una tantum Vox, unum Verbum respondeat, sed multa, sed plura: adtribuenda sunt omnia *Vocabula homiodynamica*, omnes voces, quae possunt haberi *Synonymae*, adeo ut non raro ad unum Schema 20. 30.50. voces sint adgregandae. Atqui exsequi id in Schematibus etiam notis et perspectis difficile et asperum, in dubiis et ambiguis incredibilis perplexitatis et laboris, in obscuris impossibile.

6. Sexto requiritur, ut adsint plura *Data Theologica*, plura *Data Liturgica* Religionis Aegyptiae: Scilicet dandae sunt plures *Notiones praeliminares* et anticipatae de Deorum Aegyptiorum natura, characteribus, muneribus, nominibus, ordine, numero, et plura insuper de sacrificiis, de oblationibus, ritibus, et ceremoniis sacris antiquis et originalibus. Atqui de Theologia et Liturgia Aegyptiorum paucissima tantum et tenuissima novimus, et quae ad Interpretationem legitimam adsequendam esse non possint satis. Quis, cedo, audebit Iliadem, Aeneida, Fastos Romanos interpretari nisi praelectae sint Institu-

tiones solidae Archeologiae Graecae, et Latinae?

7. Septimo requiritur idonea et opportuna peritia *Geometriae* et *Arithmeticae* Veterum Theologicae et arcanae: quia usus *Schematum Mathematicorum* est frequentissimus in *Scriptura Hieroglyphica*, et traditum est a Graecis et Latinis revera *Hierophantis* fuisse *Mysticam* et *Theologicam* tum *Geometriam* tum *Arithmeticam*, et quia est vehementer probabile *Mathemata* Theologica Pythagoricorum, Platonicorum, et Eclecticorum plura habuisse vel communia, vel similia cum *Hierophanticis*. Atqui *Theoremata* huiusmodi ex Timaeo, Platone, Philone, Nicomacho, Plutarcho, Sexto Empyrico, Porphyrio, Clemente Alexandrino, Iamblicho, Epiphanio, Theone, Chalcidio, Macrobio, Martiano Capella aliisque deducere, colligere, ordinare, et in Monumentis Hieroglyphicis experiri et probare gravissimi prorsus et molestissimi laboris est, et mihi profecto et tempus adhuc, et opportunitas, et animus defuerunt, ut adsumerem et reciperem laborem huiusmodi.

8. Octavo requiritur, ut *Syngrammata* sive *Polyschemata Hieroglyphica* saepius saltem sint mutuo discreta et divisa, saepius certo criterio invicem distincta, ne ridiculo errore *Schema Hieroglyphicum*, quod spectat ad praecedens attribuatur sequenti *Syngrammati*, et sententia obtineatur falsa et absurda. Atqui *Syngrammata Hieroglyphica* nullis certis signis plerumque distinguuntur, et saepius longe difficillimum est ea recte et accurate distinguere et discernere.

9. Nono requiritur, ut *Syngrammata Hieroglyphica* sint integra, omnibus suis elementis claris et notis constantia. Nam si unum *Schema*

deletum est, unum corruptum, unum ambiguum et incertum, non modo impossibile est recte vertere *datum Syngramma*, sed tota etiam Periodus saepe fiet obscura, lusca, incertaeque sententiae. Atqui in pluribus *Syngrammatibus Hieroglyphicis Tabulae Rosettanae Schemata* sunt vel deleta, vel corrupta, vel incertae et ambiguae naturae.

10. Decimo requiritur, ut versio *Monumenti Hieroglyphici* in certam et notam Linguam facta sit fidelis, accurata, plena, eiusque *Verba* singulis *Syngrammatibus* respondeant. Nam si est libera, vaga, compendiosa, contracta, facta per genericas quasdam sententias, impossibile fere est, quin ridiculi, pudendi, et pueriles errores frequenter admittantur, et Interpretatio saepe evadat absurda. Atqui certum et exploratum est *Textum Graecum Tabulae Rosettanae* haud respondere per omnia accurate *Textui Hieroglyphico.*

II. Tantas igitur difficultates, tot obstacula animo reputans et expendens a quocumque *Tentamine* adgrediendo diu me continui, inque eo diutius fui proposito, ut *Tabulam Rosettanam Hieroglyphicam* intactam prorsus feliciori Interpreti relinquerem. At quum deinceps cogitassem 1. Illos ipsos *Canones Hermeneuticos Scripturae Hieroglyphicae* absque *Specimine practico* vix fieri plerisque Lectoribus observabiles; 2. Quum sentirem pretium et considerationem ipsi *Scripturae Hieroglyphicae* unice posse per *Tentamina practica* conciliari et parari; 3. Quum animadverterem ex naturali nostra et ingenita ignorantia non omnes errores esse pudendos et ridendos, et in primis *Tentaminibus* esse utcumque ferendos: 4.

Quum praesentirem posse plures per errores nostros proficere; 5. Et quum dubitare haudquaquam possem, quin in ipsa *Scriptura Hieroglyphica* plura adsint adiumenta ad errores admissos expellendos, et emendandos; 6. Quum certo scirem ope *Schematum*, et *Syngrammatum homiodynamicorum*, quae plurima sunt in omnibus Monumentis Hieroglyphicis, genuinam et sinceram Veritatem necessario tandem esse detegendam, restituendam, et reponendam, ubi plures sint, qui ad laborem accedant, ubi per plures et repetitos conatus, ubi per variam et multiplicem sollertiam, ubi per plura et diversa ingenia *Schemata* illa, et *Syngrammata* illa *Hieroglyphica* versentur, agitentur, conferantur, ad tentandum hoc *Specimen* denique accessi, utque potui, post longas curas absolvi.

III. *Schematum Hieroglyphicorum*, quae in *Tabula Rosettana* occurrunt, naturam, destinationem, formationem, usum certum et exploratum, ut iam innuimus, in pluribus invenire et definire non valui. Nollem tamen Lectorem arbitrari omnia nos temere et nullo consilio adhibito proposuisse, omnia ex levissima tantum opinione in medium profudisse. Nam saepius longam et prolixam operam dedimus, ut errorem vitaremus, ut veritatem ipsam, vel verisimilitudinem adsequeremur. Ita ex. gr.

1. *Lineam undulatam* et crispatam habuimus *Signum Aquarum*, et cum Athanasio Kirchero diximus *Hydroschema*, quia omnes Gentes et singillatim Aegyptii hoc signo constantissime aquas fluentes expresserunt, et nullum est opportunius *Schema* in *Scriptura Hieroglyphica Aegyptia*, quo *Elementum* huiusmodi essentiale exhibeatur.

2. *Figuram* quasi *circularem*, quam dixi *Os oris*, dixi post longam disquisitionem. Nam quum ipsum hoc *Schema* in *Mensuris* Linearibus Aegyptiorum constanter comperissem, et haud possem statim comprehendere animo, quid *Stomatoschema* in *Mensura* faceret: quumque insuper venirent in mentem illa gravissima Clementis Alexandrini verba Strom. V. Pag. 567. adlata, nempe quod αριθμου, επινοιας, et μετρου μαλιϛα..... των Κυκλων ὁ λοξος Aegyptiis significaverit; quae egregie convenire videbantur non *Ori* humano, sed symbolo *Mensurarum*; quumque animadvertissem revera equitem Pahlinum in Interpretatione *Tabulae Rosettanae* figuram illam *Cyclimorpham* habuisse pro Κυκλῳ λοξῳ, et multo antea Kircherum in Obelisco Pamphilio tenuisse ut figuram *Cyclicam* et *Ovalem*, utque symbolum Coeli et Coelestium praedicasse; diu anxius dubitavi, quid ipsemet tenerem, et constituerem. At re accuratius perpensa et examinata vidi 1. Primo *Schema*, de quo agimus, non esse *Circulum*, non esse *Ellipsin Geometricam*, sed omnino constare duobus arcubus *Circuli* sese mutuo attingentibus, et propterea esse intime simile *Schemati Oris humani*. 2. Secundo, Κυκλον λοξον Clementis esse habendam *Ellipsin* veram et Geometricam, quae frequenter occurrit in *Monumentis Hieroglyphicis*, addita plerumque *Tangente* sive Linea osculatrice, et qua *Animam* potissimum humanam sedem naturalem αριθμου, επινοιας, et μετρου indicari et significari animadvertimus ad Tab. ipsam *Rosett.* Linea VI. n. 12. pag. 11. 12. etc. 3. Tertio *Schema oris* humani esse plane necessarium in *Scriptura Hieroglyphica*, cuius *ducenta* tantum sint *Schemata* fundamen-

talia et radicalia, et illud nisi in *Schemate* de quo loquimur, in nullo alio posse satius et congruentius inveniri. 4. Quarto *Schema Oris* humani posse rite et recte adhiberi in *Mensuris*, tum *Ideographice*, quia *Mensura* est praeceptum, est iussum, est mandatum summi Imperantis, quod *Ore* potissimum fit; tum *Lexeographice*, quia *Mensura* dicitur כיל KIL, כול KVL, et vox, iussum קול QVL; *Canere* cantare, quod *Ore* fit, שור SCVR, et *aestimare* metiri שער SCOR, et ipsa *Mensura* est מ־שור M-SCVR. 6. Sexto פה PHE *Os oris* esse etiam partem, portionem, *Mensuram*.

3. *Figuram* porro *Mathematicam*, quam diximus *Metroschema* ideo hoc *nomine* appellavimus: 1. Primo, quia eam constantissime *Mensuris* Aegyptiorum adpositam deprehendimus: 2. Secundo quia omnes eius partes Ideae Philosophicae *Mensurarum* respondere sunt visae. In *Mensura* enim, quae constet partibus aliquotis est *maius*, *minus*, et *aequalitas*. Atqui in illa Figura *maius* exhibetur *angulo maiore* et *latere longiore*, *minus angulo minore* et *linea breviore*, *aequalitas* vero tum *linearum parallelismo*, tum *aequali* earum *fine*, adeo ut si *Figura* illa quarta linea clauderetur anguli facti ad istam lineam essent recti. Potiora alii. Nam Pahlinus, et Alphabetophili de ista figura loqui detrectarunt, et Kircherus adversus quamcumque probabilitatem *Favissam* vel *sacram Cisternam* appellare maluit.

4. *Duos Bacillos capitatos*, vel *duos Malleolos* horizontales per capita sociatos et coniunctos dixi *Bacillos pulsatores*, quia a *Tympanis* desumtos sum arbitratus, et esse illas ipsas *Virgulas*, et *Malleolos*, quibus *Tympana* fe-

riuntur, sum ratus 1. Primo quia summam formae similitudinem intercedere visum est, et quum plures amicos de eo *Schemate* interpellassem, nemo probabiliorem opinionem potuit suppeditare. 2. Secundo, quia in Scriptura Liturgica *Schema Musicum* est essentiale, et aliud potius, et opportunius invenire nequivi. 3. Tertio quia animadverti *Bacillos* huiusmodi non modo semper *adiungi* mutuo et *sociari*, sed saepe penitus inhaerentes et copulatos exhiberi. Atqui צרב TZRB, צלל TZLL, נגן NGN, נגע NGO sunt *pulsare organa* Musica, ferire Instrumenta Musica, et attingere, adhaerere, copulare, coniungere.

5. Quos autem diximus *Gladios* sive *maiores* sive *minores*, sive tectos et vagina conditos, sive nudos et strictos diximus postquam plurima monumenta lustravimus, et mutuo formas comparavimus: miratique sumus quomodo ita simpliciter plures appellare potuerint vel *Folia*, vel *Pennas*, forma et similitudine prorsus adversante. Verum quidem est *Gladios* istos et *Cultros* maiores, quos appellavimus in Capite Personarum Sacrarum frequenter adfixos intueri, et certum contra esse, quod fuissent Aegyptiis Personae Sacrae dictae πτεροφοροι, de quibus praeter alios egerunt Schmidt *de Sacerdotibus Aegyptiis* Pag. 138. 139, et Villoison in *Lett.* II. *ad Akerblad* in *Millin. Magas.* Tom. I. pag. 175. 176. Sed non potest affirmari Personas illas esse hos ipsos πτεροφορους. Nam Clemens Alexandrinus Lib. VI. Strom. pag. 633. πτερα tribuit *Pterophoris*, et πτερον Βασιλειον περικειμενον, quod Eusebius *Praep. Ev.* Libr. III. Cap. 12. pag. 115. Deo *Kneph* tribuit, habendum est *Cidaris Pennis* instructa: Et Personae sacrae, quae iure haberi possunt *Pterophori* in

Monumentis certis, vel duas quasi alas ad tempora habent, ut in Pompeiano, et in Pompa Isiaca Monumenti Matthaeiani; vel in magna Cidari duas manifestas et perspicuas *Pennas* plumulis hinc inde extantibus gerunt, et ostentant. Et si Diodorus Libr. I. Cap. 87. Pag. 98. wess. το πτερον singulari casu dixit, animadvertendum est, quod loquatur de vera *Penna Accipitris*, quam facere similem illi Ornatui, de quo loquimur, absurdum est. Et si sunt in *Monumentis Aegyptiis* ex *Gladiis* quos dicimus, *Striati*, et *Lineis distincti*, nulla adhuc aequa coniectio est et rationalis eas esse *Pennas* vel *Folia*. Quin etiamsi esset de his cogitandum sedulo, et plura adhuc quaerenda, sufficiat nobis modo colligere, et tenere haud temere nos *Schemata* illa habuisse, ut *Gladios* tum tectos, tum nudos.

6. *Avis*, quae Schemati *Oris* apposita frequenter *Monumentis Hieroglyphicis* conspicitur anxium me diu tenuit, quia non semper eiusdem magnitudinis, et formae mihi videbatur; et interea difficile erat iudicare ex Ectypis saepe pravis spectarentne illae formae ad *Aves* generis diversi, puta *Gallinaginis*, *Turturis*, *Hirundinis*, an diversitas imperitiae Artificum esset tribuenda. Quum autem magnitudo *Schematis* in Ectypis *Tabulae Rosettanae* videretur maior, quam *Hirundini* posset convenire, *Gallinaginem* appellare malui, et habui *Avem* illam de qua Bochartus egit in *Hierozoico* Part. II. Libr. I. Cap. 12. pag. 80. 81. Haud negans posse aliquando haberi, ut *Turturem*, et egregiâ atque opportunâ sententiâ, ut quandoque in Commentario adnotavimus. Quin animadvertendum hîc duco, quod etiamsi *Avis* ista habenda quandoque sit etiam in Tabula Ro-

settana ut *Hirundo*, quia *Schemata determinantia* fuerunt plurima et plurimum variare potuerunt, sententia adhuc apta et congrua obtinebitur. Nam 1. *Hirundo* dicitur דרור DRVR, quae nempe accedit, circumitat, circumcursat, circumvolat דור DVR mansiones, aedes, domos, quae facere necesse est, qui ad Panegyrim et Conventum convolant.

2. *Hirundo* dicitur חטאף CTHAPH, et חטה CTHE est *Scribere* describere, et פה PHE est *Os, sermo*, et פתיח PHTIC est *sculpere*, insculpere, et פתק PHTQ est *Scriptura*, Scheda scripta: quae omnia esse debuerunt in Coetibus Sacerdotalibus Aegyptiorum.

3. *Hirundo* dicitur שננא SCNVNA quasi סנה SNE, שנה SCNE *Doctrina*, *disciplina*, נאה NAE *conveniens*, opportuna, congrua etc.

Et ita porro de reliquis, quae hic in vestibulo singillatim persequi e re nostra non ducimus, quum non Documenta doctrinae, sed specimen tenuis et levis *Tentaminis* tantum hoc opusculo praebere constituerimus, et aliquot alia adhuc monenda supersint.

IV. Quod porro *Sacram Dialectum* Sacerdotum Aegyptiorum ex Libris maxime *Legis* et *Prophetarum Hebraeorum* petiverimus haec fuerunt in caussa:

1. Primo, quia *Lingua Hieroglyphica* esse non potuit nisi purior et vetustior *Semitica*, utpote eminentissime *Temurica, Homiophonica*, et *Grammatodynamica*; et ex omnibus Dialectis *Semiticis Hebraicam* esse longe puriorem, perfectiorem, vetustiorem et indicatum est in *Fundament. Hermeneut.* Lib. III. Sect. IV. pag. 359. ad 374., et peculiaribus aliis Opusculis quam primum, Deo dante, ostendemus.

2. Secundo, quia nulla *Dialectus Semitica* scripta, et Libris solemnibus atque insignibus condita et recepta, quum maxime vigebat et florebat *Scriptura Hieroglyphica* Aegyptiorum, praeter unam *Hebraicam* ad nos pervenit. *Linguae Chaldaicae* vetustioris Fragmenta plane pauca et levia servarunt Hieremias, et Daniel, nato iam Cyro, et multo post pauca alia Esdras. Paraphrases porro Chaldaicae librorum Hebraicorum vix adsurgunt ad aetatem Apostolorum. Lingua Syriaca vix scribi coepta est Saeculo Christiano, primo, et Arabica atque Abissinica quinto vel sexto. Et propterea absurdum est cogitare quod hae *Dialecti* prae *Hebraica*, cuius Lexicon iam plene constitutum fuerat in *Pentateucho* Saeculo XV. Prochristiano, et plurimis Operibus praestantissimis firmatum usque ad quintum, esse possint aptiores ad *Monumenta Hieroglyphica* explicanda, quorum pleraque a XII. saeculo ad VI. Prochristianum condita et erecta fuisse certum et exploratum habendum est.

3. Tertio, quia ostendimus in *Fundam. Hermeneut.* Libr. III. Sect. I. Pag. 331. 334. Aegyptios veteres fuisse homoglossos, vel homioglossos Hebraeis, et tenendum esse, quod Collegia Sacerdotalia immutata Lingua Populari veterem Linguam servaverint, et sociati *Arabo-Chusitis*, qui deinceps *Thebaidem* occuparunt, eam in *Monumenta Hieroglyphica* transfuderint.

4. Quarto, quia *Arabes* auctores praecipui *Scripturae Hieroglyphicae* fuerunt filii *Heber*, et *Aram*, qui maiores etiam Hebraeorum vetustissimi, ex Paterno vel Materno genere; fuerunt singillatim *Abrahamidae* filii Keturae, et filii *Ismaelis*: et qui propterea a XII. maxime

saeculo Prochristiano ad VI. uti debuerunt *Lexico* prorsus *Hebraico* affini et simili.

V. Cur vero in tentando *Monumento Hieroglyphico Aegyptio* non contenti una *Dialecto Hebraica* saepe ad *Chaldaicam*, saepe ad *Arabicam* etiam deflexerimus, haec fuerunt in caussa:

1. Primo, quia hae Dialecti, etsi *Hebraicâ* minus purae, minus accuratae, et perfectae, sunt tamen, quoad plurima, eiusdem originis, eiusdem ingenii, eiusdem formationis. Et quum *Chaldaei* et *Arabes* iam a vetustis temporibus effecissent Gentes amplas, potentes, pluribus artibus, pluribus professionibus exercitatas, per plures Civilitatis gradus progressas dubitari non potest, quin plurima sint in Lexico eorum non modo utilia, sed plane necessaria ad *Scripturam Lexeoschematicam* sive condendam, sive explicandam. Adeo ut, siquis Nostrum vellet modo instituere *Scripturam* huiusmodi, haudquaquam posset penitus praeterire et negligere *Lexica Chaldaica*, et *Arabica*.

2. Secundo, quia conditores praecipui *Scripturae Hieroglyphicae Microschematicae* habendi sunt *Arabes*. *Arabes* enim fuisse Heliopolitanos solertissimos ex omnibus Aegyptiis, iam animadvertimus in *Hermeneut. Hierograph.* Libr. III. Sect. I. Pag. 332. 333: et *Arabes* sive *Arabo-Chusitas* habendos esse *Thebaeos* potissimos *Scripturae Hieroglyphicae* institutores *Tentamine* Historico, quam primum, Deo dante, edendo etiam animadvertemus.

Quamobrem si fundum *Linguae Hieroglyphicae* Aegyptiorum factum a *Lexico Hebraico*, recte tenendum est, complementum vero et quasi perfectionem additam a Lexico *Chaldaico* et *Arabico* non dubitabimus. Praesertim si meminerimus

*Linguas Literatas* adhibere omnes *Dialectos* cognatas et affines, quasi iure suo: Adeout quidquid sit de naturali *Hierophantûm Aegyptiorum* cognatione et adfinitate cum *Arabibus* et *Chaldaeis*, statim ac datum est eos non potuisse uti in *Scriptura Hieroglyphica*, nisi *Lingua Semitica*, et Historice ex alia parte certum est *familias Chaldaicas*, et *Arabicas* semper in Aegypto extitisse et mansisse, aeque iure teneri potest eos adhibuisse etiam pro opportunitate voces vel potestates *Chaldaicas* et *Arabicas*: Utque iam in *Hermeneut. Hierographic.* lib. III. Sect. I. Pag. 521. 522. animadvertimus ad unum fere hoc propositum et consilium potuerunt incolere *Cryptas*, et habitare diutissime in *Antris*, locisque subterraneis.

3. Tertio, quia Colonias Chaldaeorum in Aegypto ab antiquis temporibus consedisse tum *Babylon Deltica* ostendit, tum traditiones de expeditionibus *Semiramidis* firmant, tum *Arabum* et *Chaldaeorum* intima societas in *Babylonia Euphratea* et deinceps cum *Mesraitis* clare demonstrat.

VI. Sed quaequae haec et cetera nostra sint, ea omnia ut aequi bonique faciat Lectorem oro, nam non in speciem operis accurati et elaborati, sed in specimen *Tentaminis* tenuis et imperfecti edidimus: Et quae adhuc per plures conatus, per variam et multiplicem sollertiam sint versanda, agitanda, vexanda, expurganda, emendanda, perficienda. Quin si tu, Lector, ex iis es, qui studia *Hieroglyphica* vehementer ames, et probes, si impetum in animo tuo sentis, ut nostra emendes et corrigas, et sex priores Lineas *Tabulae* a me data opera praetermissas supplere et explicare velis, ut id facilius, et satius, et

certiore cum fructu facias, hos nostros monitus libenter, obsecro, audi. Scilicet:

1. Primo *Dialectum Arabicam*, et *Abissinicam*, quas ego vix levissime attingere potui, diligenter excole; haud enim dubitari fas est, quin saepius esse summi adiumenti, et certissimae utilitatis eas experiaris.

2. Secundo diligenter attende ad Polydynamin eiusdem *Radicis* secundum varias *Dialectos Semiticas*, et potissimum distingue *Potestatem Schematicam* ab *Aschematica*, in qua est cardo et principium *Scripturae*, ut animadvertimus in *Hermeneutic. Hierogr.* L.I. S.IV. C.I. p. 55.56.

3. Tertio loco in *Libello* chartarum purarum omnia *Schemata Hieroglyphica Tabulae Rosettanae* tibi expinge, et ea singula cum maximo numero *Schematum* similium per reliqua *Monumenta* Aegyptia comparato et conferto, adhibitaque amicorum sollertia naturam eorum, et usum, et formationem adnotato. Et si de veritate dubitas, si plures opiniones aeque probabiles ducis, omnes adponito, et describito, singulas expensurus et examinaturus loco et opportunitate sua.

4. Quarto loco, *Schematum* natura et usu definito, omnia *Vocabula Semitica Homiodynamica* adpone, omnes *Voces*, omnia Verba, quae videantur *Synonyma* adiunge: Adeo ut ex. gr. *Hydroschemati* non adscribes tantum nomina *fluvii*, *rivi*, *torrentis*, sed etiam *pluviae*, *humoris*, *libationis*, *effusionis*, *inundationis*, *natationis*, et ita porro.

5. Quinto loco *Textum Graecum Tabulae Rosettanae* diligenter expendito, et diu multumque versato, nec curas et animadversiones Doctorum Virorum hactenus editas, et quae mihi defuerunt, negligas.

6. Sexto loco deligito ex *Textu Graeco* Voces praestantiores, Nomina insigniora, Phrases frequentiores, et eas per *Canones Hermeneuticos* in Scripturam Schematicam vertere adnititor, ut possis iustam spem praecipere animo, quod *Methodo* huiusmodi *Scriptura Schematica* possit condi, et possit facilius condita explicari.

7. Septimo tandem ipsa *Inscriptione Hieroglyphica* examinata adnota tibi diligenter *Loca*, quae certis argumentis et illationibus evidentibus respondeant *datis Vocibus* Graecis, et inde versionem adgreditor, ut possis facilius in difficiliora pergere, et imperfecta perficere. Atqui si haec praestabis, praetermissa a nobis supplebis, reliqua emendabis, et reddes omnia longe meliora et potiora.

VII. Quod si miraris cur ego proposuerim tibi non interpretationem *Parietum Hieroglyphicorum*, qui sunt Karnaci, vel Tentyris, non explicationem *Obeliscorum Luqsoris*, vel *Alexandriae*, sed omnino aliam et repetitam explicationem *Tabulae Rosettanae*, dicam libere, id factum, quod prae nominis et famae meae vano rumore longe magis amo verum et solidum incrementum *Scientiae Hieroglyphicae*. Atqui impossibile est tentari rationali et aequo modo *Monumenta Hieroglyphica* absque *Lexico Hieroglyphico* rationali et aequo modo condito et probato: Et impossibile est *Lexicon Hieroglyphicum* rationali et aequo modo condi et constitui, nisi ope *Monumentorum Bilinguium*. Atqui inter *Monumenta Hieroglyphica Bilinguia* praestantissimum adhuc est *Tabula Rosettana*. Hinc absolutâ necessitate est versanda ea, et exagitanda per variorum Ingeniorum sollertiam, et eruditionem.

Dedi quidem operam peculiari *Disquisitione*, ut *Textum Hermapionis*, qui legitur apud Ammianum Marcellinum Libr. XVII. pag. 110. ostenderem esse authenticam et genuinam versionem *Obelisci Flaminii*, qui spectatur Romae in Populi Platea, et est etiam absolutae necessitatis ad incrementum et adiumentum *Lexici Hieroglyphici fundamentalis* et *radicalis*, ut iste *Obeliscus Flaminius* plene explicetur; sed satius et utilius est ordiri a *Tabula Rosettana*, et dare diuturnam operam, ut omnia *Syngrammata Hieroglyphica*, quae eâ continentur, fiant certae potestatis, et exploratae sententiae, ut esse possint rationalia et aequa *Elementa Lexici fundamentalis*, sine quo, ut dicebam, est impossibile vere proficere in interpretatione *Monumentorum Hieroglyphicorum* Monoglossorum, ut sunt omnia reliqua. Atqui, si tu sapis, si famam tuam curas, si in pueriles, ridiculos, et nulla venia dignos errores labi et ruere non velis, ab explicandis adhuc *Monumentis Hieroglyphicis*, quae versione carent, diligenter cavebis, et penitus abstinebis: Sed si haec studia amas, omnem curam, omnem sollertiam tuam in explicandis *Monumentis Bilinguibus* notis, scilicet *Tabula Rosettana*, et *Obelisco Flaminio*, et in ponendis fundamentis solidis Lexici Hieroglyphici Radicalis cum ingenti tua laude, et utilitate aliorum insumes, Lector, et impendes.

Sed tempus iam est ut aliqua etiam de Centuria Sinogrammatum animadvertamus.

I. Felicitatem ingenii eorum, qui *Scripturam Sinicam* communem et Encyclopaedicam clare et perspicue intelligere et explicare apud nos viderentur, vehementer semper sum admiratus. Nam

*Signa* elementaria huius *Scripturae*, ut iam diu Cibotus in *Memoir. de Pekin* animadverterat, sunt tantum *ducenta* circiter, et nemo est, qui plusquam ducenta Idearum millia tam brevi et angusto *Signorum* numero clare exprimi et exhiberi arduam et difficilem rem non iudicaverit. Tum *Polysemata* ex ducentis illis *Signis* sive *Sematibus* elementaribus condita non unam et singularem ideam, non unum et peculiare obiectum plerumque singula indicant; sed pluribus quidem et distinctis ideis et obiectis respondent, iisque minime intime secum relativis, haudquaquam invicem similibus ob Tropos et Metaphoras Ideographicas, ut fit apud plerasque Gentes, sed respondent pluribus Ideis, pluribus prorsus variis et adversis Obiectis: eo ipso pacto, quo *Voculae* illae, quibus in sociali usu pro *Lingua* utuntur *Sinenses*, plures et penitus diversas Ideas et res significant. Quin, quod longe etiam gravius et molestius est, si ad ipsam *Signorum* radicalium naturam attendimus, si potestatem singulorum *Sematum*, quibus singula *Polysemata* constituuntur cum potestate et vi totius *Polysematis* per congruentias Ideographicas conferimus et comparamus, loco intimae et clarae relationis, loco perspicuae et opportunae harmoniae apertam contra repugnantiam, summam adversitatem, et ridiculam vel absurdam elementorum compositionem deprehendimus: Adeo ut si *Scripturam Sinicam* puerili et infantili modo addiscere constituamus, tum Lexica infallibilis auctoritatis habere necesse sit, nec licere possit latum unguem excedere, numquam veram et originalem vim *Polysematis* scire, numquam amplitudinem, et originem, et rationem *Polydynamis* nosse. At si contra volumus

*Scripturam Sinicam* per rationalem *Signorum* analysim addiscere, datâ quacumque Scientiâ Ideographicâ, datâ quacumque sollertiâ Ideosophicâ, in Chaos ita tetrum, in absurditates ita evidentes coniectos nos esse sentiemus, ut infantilem et puerilem rationem addiscendi *Sinica Polysemata* isti Analyticae et *Ideographicae* praeferre cogamur. Nam quoniam Memoria omnis et recordatio nexu, vinculo, adsociatione, et analogia gignitur et producitur, et nexus et analogia aequa et rationalis inter ideas adversas, et oppositas non potest institui et servari: Hinc fit, ut quo tu sapientior et acutior eris *Ideosophus*, eo clarius et manifestius absurditates *Ideographicas Polysematum* Sinensium perspicias, et adeo longe maiorem repugnantiam, et difficultatem sentias ea *Polysemata* Memoriâ retinendi et animo diutius servandi. Et profecto si placeret tibi *Signo* A indicari *Hominem*, *Signo* B. *Sanguinem*, non repugnarem: Sed si velles *Polysemate* A+B significari *Quietem* et *Silentium* id aegerrime possem suscipere. Si iubes *Signo* X indicari *Resistentiam* oppositionem: Signo Z *Abscondere*, *celare*; Signo Y *Aequum*, *iustum* obtemperarem: Si velles Polysemate X+Z+Y indicari vel *Resistentiam*, vel *Abscondere*, vel *Aequum* non recusarem: Sed si imperares, ut X sit Signum *Hominis*, Z *Capitis*, Y *Scabelli*, et Polysemate X+Z+Y sive Signis *Hominis*, *Capitis*, et *Scabelli* significari *Resistentiam*: *Abscondere*: *Aequum*, summam repugnantiam in animo meo sentirem, nec tibi praestare possem an aliquando certo et firmo nexu eas potestates Memoria servarem et continerem. Atqui pleraque *Polysemata Sinensia* simili absurditate *Ideographica* laborare certum est. Quam

absurditatem si nemo adhuc ex Sinologis aperire et manifestare voluit, si nemo adhuc ex Sinophilis plurima *Polysemata Sinensia* per elementa *Ideographica* esse intractabilia demonstrare adgressus est, si imo plures extiterunt, ut Kircherus, Deguignesius, Cibotus, Deshautesrayes, Abel-Remusatus, qui acumen *Ideographicum* Doctorum Sinensium in aliquot *Polysematibus* quaesierint et laudaverint, non factum est, quod illam absurditatem non novissent, quia eam non nosse Sinologum impossibile est, sed quod si aperuissent et manifestassent incredibiles alias difficultates studio difficili et aspero ac frustra comparassent.

II. Incredibilem porro *Scripturae Sinicae* difficultatem absque Commentario demonstrant tum tenuissimi et levissimi progressus, quos Sinenses fecerunt in Scientiis Mathematicis, Astronomicis, Physicis, et etiam Ethicis et Politicis, quae angustissimos fines suorum librorum Classicorum excedunt: quidquid per duo fere annorum millia conati fuerint eis tradere Indi, Bactriani, Muhammedani Arabes, et Persae, atque Europaei: Tum summa raritas Sinosophorum Europaeorum: etsi iam ab aetate Matthaei Riccii plures Libri Sinici in Bibliothecas Europaeorum fuissent inlati; etsi plura adiumenta ad hanc Scripturam adsequendam Missionarii Catholici parassent; etsi pluribus et potentissimis Caussis Literati Europaei ad occupandam et penitus adsequendam Sinicam Literaturam agerentur, et plane cogerentur. Atqui ubi tu Catalogum *Sinophilorum* ex Thesauro Epistolico Lacrozii, ex Praefatione Bayeri ad Museum suum Sinicum, ex Praefatione Fourmonti ad suam Grammaticam, nam suas Meditationes videre adhuc non licuit, ex Bibliotheca Historica Struvii, et

Meuselii, ex Histoire de la Chine Fortia d'Urban, ex variis opusculis eruditissimi Abel-Remusati, aliisque mihi ignotis, tibi condes et compones; et ex alia parte acerba iudicia, quae de his ipsis retulerunt, praeter alios, idem Abel-Remusatus, Klaprothus, et Montuccius expendes et recoles, absque Commentario, ut dicebamus, colliges et tenebis *Scripturam Sinicam* communem et Encyclopaedicam esse longe abstrusam et difficilem.

III. Hinc aequum duxi in *Fundamentis Hermeneuticis Hierographiae Crypticae veterum Gentium* leges et conditiones formationis *Scripturae Sinicae* quaerere et investigare: Quumque plura tentassem, tenere tandem posse visus sum, quod 1. *Scriptura Sinica Encyclopaedica* sit *Lexeosematica*, eaque cryptica et abstrusa. 2. Quod propterea in ea condenda adhibenda fuit *Lingua Semitica* purior et vetustior. 3. Et quod *Voculae* adiectae ad intimam *Polysematum* compositionem spectent, et nexum, vinculum, et criterium eius certum constituant. Et hinc 1. omnium primum naturam intimam *Scripturae* patefactam sensi, et rationem comparatam, qua *Lexica Sinico-Latina*, vel *Sinico-Lusitanica*, vel *Sinico-Gallica* possint rationali analysi excuti: 2. Quod possit *Polydynamis Polysematum* definiri, et agnosci: 3. Hinc facta spes est, quod possint denique plurima ad *Sinicam Archaelogiam* spectantia, et quae ab Auctoribus *Scripturae* in ipsis visceribus *Polysematum* fuerunt condenda, aperiri et detegi. 4. Hinc methodus inventa, qua per nexum *Lexeographicum* Memoria vehementer iuvari possit ad addiscenda et retinenda *Polysemata Sinica*. 4. Hinc detectas perspexi origines Gentis hactenus

insociabilis et separatissimae, factamque intimam societatem Sinensibus cum Assyriis, Chaldaeis, Arabibus, et Aegyptiis: 5. Et ingens adeo adiumentum paratum ad intelligendam *Scripturam Aegyptiorum Hieroglyphicam* in *Scriptura Sinica* esse inveniendum, 5. Quin potui iam tum praecipere animo spem, ut conditis *Lexicis Sinicis* per Linguas *Semiticas*, et potissimum per *Lexicon Prophetarum Hebraeorum*, et iis per Missionarios nostros, praesertim eos, qui Neapoli hîc educantur, ipsis Mandarinis prudenter communicatis hi possent ad Sanctam Religionem nostram amplectendam parari et disponi. 6. Quin videbatur per *Lexica* huiusmodi *Sino-Semitica*, servata Literatura veteri indigena et Patria, posse ab ipsis Mandarinis facile et cito addisci omnem Literaturam Semiticam praesertim Arabicam, et ope *Linguae Arabicae* per opportunas versiones Literaturam universi Generis humani comprehendi et comparari.

IV. Restabat ut hanc ipsam *Polysematum Sinicorum* compositionem, hunc ipsum nexum *Lexeographicum*, hanc ipsam *Linguam Prophetarum Hebraeorum*, has ipsas spes conceptas, re, facto, reali *Polysematum* analysi et examine rationales, et vero fundamento innixas esse demonstrarem. Id quod hac *Centuria Sinogrammatum*, si minus ad absolutum Doctrinae documentum, ad speciem tamen sufficientem *Tentaminis* praestitisse arbitror: quum omnes Canonum Hermeneuticorum conditiones in *Interpretationibus* firmatae utcumque et explicatae inveniantur. Quod si solertissimis Lectoribus et doctissimis Sinologis Interpretationes nostrae videantur minus probabiles et aequae, minus verisimiles, quod iam

in aliis Praefationibus monuimus, et hic monemus: Scilicet ne *Methodum* statim culpent, ne *Canones Hermeneuticos* statim reiiciant; sed incongruentias, quae erunt, tribuant potius imperitiae nostrae. Nam non erubescimus fateri esse in Studiis Sinicis plane infantes, carere pluribus et necessariis Libris, destitui praeceptoribus, sodalibus, et fautoribus; non valuisse hactenus definire singula *Ducenta* illa *Semata* radicalia, quibus *Scriptura Sinica* constat, nec potuisse adhuc accuratissimam comparationem instituere inter Literas *Alphabeti* Hebraici et Arabici cum *Literis Sinicis* secundum pronuntiationem Lusitanorum, Anglorum, vel Gallorum. Qua in re monere insuper Lectores aequum est, ne quum in *Centuria* nostra videant *Che*, *chy*, *chun*, Gallica methodo descripta, habuisse me quasi Italice scripta, et quasi *Ka*, *Ke Kun* Gallorum, putent id factum oblivione: Sed factum, quod ex pluribus Speciminibus tentatis, et iis etiam, quae Deo dante edentur in *Etymis Hierographicis*, visum sit revera Sinis accidisse, quod Gallis, nempe eo ipso pacto, quo Galli *Caput* Latinorum pronuntiarunt *Scef*, *Cantare Scianter*, *Campum Sciamp.* ita etiam Sinenses, quod olim esset *Cha*, *che*, *chi* verterunt in *Scia*, *Sce Sci.* Hanc quidem Pronuntationis immutationem inveniri falsam, et a veritate alienam amavi, et desideravi, et modo lubenter ferrem, qui refutaret: Retinere tamen volui Interpretationes illas nostras iam prolatas, ut alii sint, qui id experiantur, et quaerant, et re maturius et prolixius discussa possint vel recipere, vel reprobare. Eoque magis, quod *Cha* Gallorum, sive *Xa* Lusitanorum a nonnullis Doctis viris pronuntiari, ut ipsum *Cha*, in *Charactere*, ut *Ca*

Italorum fateatur Souciet Praefat. ad *Observat. Mathem. et Astronom.* T. II. Pag. XXIII.

V. Orandus modo est praestantissimus Abel-Remusatus, ut *ducenta* illa *Semata* radicalia characteribus et formis suis quamprimum edat, et *Sinophilis* omnibus communicet; eoque pacto ingens et fundamentale beneficium *Sinicae Literaturae* praestet in quocumque possibili Systemate. 2. Orandus etiam est, ut seligat loca praestantiora, insigniora Doctorum Sinensium, quibus de natura, elementis, et formatione *Scripturae suae* agunt, ipsisque *Synogrammatibus* originalibus accurate conversis prodat. 3. Et tandem addat *Specimina Lexici* praestantissimi *Hiu-chin* vel *Hiu-scin* addita opportuna analysi, et interpretatione: quo etiam illi qui Sinosophi et Sinologi non sunt, possint aliquo pacto et naturam Literaturae nosse, et de ea pro opportunitate cogitare et disserere. Tum reliqui etiam Sinophili orandi sunt, ut tum de *Physiosophia Linguae*, et *Scripturae Sinicae* cogitata sua velint promere, tum *Methodum* nostram diversis Tentaminibus agitare, et varia cura et multiplici Linguarum peritia vexare, ut ex repetitis *Exhaustionibus* possit tandem de eius sive utilitate sive inutilitate iudicari. Et propterea tempus iam esset, ut *Sinophili Europaei*, sive Literati *Angli*, *Galli*, *Russi*, *Germani*, qui *Literaturae Sinicae* sunt iam capaces, et cum ipsis Sinensibus, et potissimum cum insignioribus Mandarinis versantur, omnem dent operam, omnes sollertiae modos experiantur, ut ab ipsis Praeceptoribus Sinensibus intimam compositionem *Scripturae Sinicae* exprimant. Ego quidem certissimus sum eam esse crypticam, secretissimam, arcanam, et a plurimis ignorari, sed dubitare aeque non

possum, quin doctiores et praestantiores sciant et penitus calleant, et quin ubi quaestiones sint factae prudenter, ingeniose, et argute, lumina manifesta veritatis ex ore eorum possint exprimi et expiscari. Fortasse erit, qui sciens me Neapoli scribere, ubi est Collegium Sinensium ipsorum, mirabitur, quod non per hos Sinenses potius, quam per alios remotissimos et ignotos id exsequi et perfici velim. Sed hi scire debent Sinenses, qui Neapoli degunt, venire huc prorsus adolescentes, et vix et plane leviter Literis suis imbutos; hic nullos Libros attingere nisi Latinos, et quibus *Literatura* nostra *Ecclesiastica* tradatur; Nullos esse constitutos Praeceptores *Literaturae Sinicae*, et Libros etiam Sinicos valde paucos praesto esse ad tantam rem. Esset profecto optandum ut ex his Adolescentibus et Iuvenibus Sinis sollertiores et ingeniosiores in profunda Literatura nostra, et potissimum in *Linguis* etiam *Semiticis* erudirentur, esset optandum, ut iam excultiores et iam doctiores in ipsis Literis suis huc adveherentur, vel potius darentur Praeceptores, etiam in his Literis: Sed non omnia, quae optantur fieri possunt, vel semper praestat ita fieri. Quae autem possibilia sunt, Sinophili, qui sunt in praestantissimis Academiis Galliae, Angliae, et etiam Indiarum pro suo erga Sinicas Literas amore exsequi, et ad optatum finem sive ad Sanctae Veritatis manifestationem et demonstrationem conatu nobilissimo perducere adlaborent. Hos autem nostros conatus, haec desideria aequi bonique fac, Lector, et Vale.

*Scribebam Neapoli Idibus Maii 1830.*

# TENTAMEN HERMENEUTICUM INSCRIPTIONIS HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

## CAPUT I.

### TENTATUR INTERPRETATIO LINEAE SEXTAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### ART. I.

*Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae VI. Hieroglyphicae.*

V. 38... στησαι δε του αιωνοβιου βασιλεως Πτολεμαιου θεου Επιφανους Ευχαριστου εικονα εν έκαστῳ ἱερῳ, εν τῳ επιφα (νεστατῳ τοπῳ) v. 39. ἡ προσονομασθησεται Πτολεμαιου του επαμυναντος τῃ Αιγυπτῳ etc. *Scilicet:*

*Synedrium decrevit:* Ponere immortalis Regis Ptolemaei Dei Epiphanis Eucharisti simulacrum in unoquoque Templo in manifestiore loco..... quod Simulacrum cognominabitur Ptolemaei ultoris Aegypti etc.

### ART. II.

*Summa versionis Latinae Lineae VI. Hieroglyphicae.*

*Synedrium* decrevit : Sacerdotes Charthumim ponere statuas propitiationis, organorum musicorum pulsatione, ritu mystico, solemnitate magna, statuas nempe Ptolemaei Dei, immortalis, viventis,

dilecti a Demiurgo Phtha, Regis Epiphanis, Eucharisti. Quem omnes Aegyptii appellabunt nomine ipsius Demiurgi Phtha vindicem et ultorem Aegypti, et collaudabunt, ut Demiurgum Phtha etc.

## A R T. III.

### *Analysis Lineae sextae Hieroglyphicae.*

 I.

1. *Siphon.* 2. *Cidaris.* 5. *Tria quadrangula.* 6. *Catenula*, 7. cum *Ore.*

*Synedrium* declaravit, decrevit, iussit.

1. *Siphon* דלו DLV; דלל DLL declarare, significare, notum facere, ipsum Graecorum δηλόω. *Siphon* סרק SRQ, vel שרק SCRQ; declarare, aperire שרח SCRC.

2. *Cidaris* כתר KTR, eius temura כרת KRT est statuere constituere, et temura homiophona כרז KRZ promulgare, iubere.

3. *Quadrangulum* I. est רבע RBO; Temura homiophona באר BAR est declarare, explicare.

4. *Quadrangulum* II. רבע RBO; בהר BER est clarum et perspicuum reddere.

5. *Quadrangulum* III. רבע RBO; ברר BRR est dilucidare.

6. *Catenula* est חרז CRZ, homiophonon כרז KRZ promulgare, iubere.

7. *Os oris* ipsum כרז KRZ iubere, decernere, quia haec ore fiunt; vel ob homiophoniam, quum קרצ QRTZ sit labia movere, pronuntiare.

 II.

1. *Malleus primus*. 2. *Securis prima*. 3. *Malleus secundus*. 4. *Securis secunda*.

Sacerdotes Charthumim.

1. *Malleus primus* est טרק THRQ temura homiophona חרט CRTH stili scriptorii, vocis fundamentalis nominis חרטמים CRTHMIM. *Malleus* est item הלם ELM, adeoque si utramque vocem coniungimus, et quasi superponimus habebimus vocem homiophonam חרטמ CRTHM.

3. *Malleus secundus* est חתר CTR, temura homiophona חרט CRTH; si adiungimus iterum הלמ ELM iterum exsurget alia vox homiophona הרטמ CRTHM.

4. *Securis prima* est קרדמ QRDM homiophonon חרטמ CRTHM.

5. *Securis secunda* est גזרן GZRN, כרת KRT, מ-כרת M-KRT, vel מ-גרן M-GRZ temurae homiophonae satis commodae חרטמ CRTHM, et nominis Sacerdotalis גזרין GZRIN.

 III.

1. *Vipera*. 2. *Hydroschema*. 3. *Cerastes*.

Ponere, erigere, statuere.

1. *Vipera* צבעא TZBOA, homiophonon יצב ITZB ponere, statuere.

2. *Hydroschema* צבב TZBB fluere manare homiophonon יצב ITZB collocare, statuere.

3. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפה SCPHE eminere, extare. *Cerastes* שרף SCRPH in altum tollere, erigere. *Cerastes* צפע TZPHO homiophonon יצב ITZB ponere, collocare.

 IV.

1. *Mumia.* 4. *Tria quadrangula.* 5. *Cidaris.* Simulacra, imagines, statuas insigni arte elaboratas.

1. *Mumia.* Arcâ sive capsâ Mumiacâ, quam hîc *Mumiam* brevitatis causa appellamus, effigiem et simulacrum humanum posse ideographice significari evidens est: tum ratione humani cadaveris, quod in ea conditur, tum formae suae, qua omnino simulacrum humanum exhibetur. Quum porro Mumiarum essentia in fasciarum et linteorum involutione sit posita, et עצב OTZB sit ipsum fasciare et linteis involvere, et praeterea dolere, queri, lamentari, quod cadaveri humano congruum; Mumias a Sacerdotibus Aegyptiis appellatas fuisse עצב OTZB verisimile est. Atqui עצב OTZB est etiam simulacrum, effigies, statua, et homiophonon verbo יצב ITZB statuere, ponere.

2. *Quadrangulum* I. רבע RBO, temura homiophona בריוא BRIVA formata, effigiata.

3. *Quadrangulum* II. רבע RBO, temura homiophona בריה BRIE nova, praeclara, insignis.

4. *Quadrangulum* III. רבע RBO homiophonon רביא RBIA pueri, adolescentis, ut tum erat Ptolemaeus ille Epiphanes, de quo hîc agitur, vix 14 annum aetatis agens.

5. *Cidaris* dicitur צנף TZNPH, statua צנם TZNM:

*Cidaris* est זר ZR, simulacrum צור TZVR: Statua dicitur עצב OTZB; et circumdare circumligare, cingere, quod *Cidaris* est, et quod omnia fere *Cidaris* nomina significant, est pariter עצב OTZB.

 V.

1. *Semicirculus primus.* 2. *Coturnix.* 3. *Semicirculus secundus.* 4. *Mumia.*

Statuas nempe propitiationis, et venerationis.

1. *Semicirculus primus* est חצי CTZI medius, דור DVR circulus. At חצי CTZI est etiam proprius, et צור TZVR homiophonon דור DVR est effigies, simulacrum.

2. *Coturnix* est שלו SCLV, שלה SCLE est pax, propitiatio, reconciliatio. Tum צלא TZLA homiophonon שלו SCLV est orare, precari, et צלם TZLM homiophonon temuricum מ-שלו M-SCLV, est simulacrum, statua.

3. *Semicirculus secundus* est פלג PHLG medius פלך PHLK circulus, quae sunt homiophona פלח PHLC colere, ministrare. Tum circulus est זר ZR, simulacrum est צור TZVR, medius est חצי CTZI, et idem חצי CTZI est proprium et peculiare.

4. *Mumia* עצב OTZB, ut dictum est, simulacrum statua etiam עצב OTZB. Et arcâ Mumioferâ posse rectissime statuam significari pariter dictum est.

 VI.

1. *Bacilli pulsatores.* 2. *Hydroschema.* 5. *Tria quadrangula.*

Organorum musicorum pulsatione.


1. *Bacilli pulsatores* sunt נגן NGN , נגע NGO , צרב TZRB , צלל TZLL pulsare organa musica.

2. *Hydrosch·ma* est חלל CLL fluere , lavare, et psallere ; est זרם ZRM inundare , זמר autem temura est psallere.

3. *Quadrangulum* I. est רבע RBO ; ערב ORB est suaviter , dulciter , iucunde.

4. *Quadrangulum* II. רבע RBO : homiophonon temuricum עבר OBR et חבר CBR sociatis , coniunctis.

5. *Quadrangulum* III. רבע RBO homiophonon רביע RBIO , ארביע ARBIO musicis instrumentis ita adpellatis.

 VII.

1. *Metroschema.* 3. *Duo Litui.* 5. *Duo Semicirculi.* 6. *Basis* , cum 7. *Scala.*

Ritu mystico , et ceremoniis arcanis consecratas et nuncupatas.

1. *Metroschema* מדד MDD mensura, ratio, modus , ritus.

2. *Lituus primus* לט LTH , לוט LVTH volvere, involvere , praestigias facere , arcana operari.

2. *Lituus secundus* לף LPH , iterum volvere,

circumvolvere, פלל PHLL est ominari, augurari, secreta captare. Unde Romanis *Lituus* לט LTH auguralis פלל PHLL.

3. *Semicirculus primus* est פלג PHLG medius, dimidius, סחר SCR gyrus, revolutio, circulus. Atqui פלח PHLC homiophonon פלג PHLG est ministrare, colere; סחר SCR est profari magica, et חרש CRSC est magicas praestigias facere.

4. *Semicirculus secundus* est חצי CTZI medius, et קסף QSPH circulus. Atqui חזה CZE homiophonon חצי CTZI est videns, propheta, et כשף KSCPH est magus praestigiator.

5. *Basis* est כנה KNE, cognominare, nuncupare item כנה KNE.

6. *Scala* est חנק CNQ homiophonon חנך CNK initiare, consecrare.

 VIII.

1. *Bacilli pulsatores*. 2. *Brachium*. 3. *Pedes angulosi*.

Coetu, solemnitate magna.

1. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB, temura צבר TZBR, et ipsum צרב TZRB sunt coetus, congregatio, idem significat צרף TZRPH homiophonon צרב TZRB.

2. *Brachium* סעד SOD, congregatio, conventus סוד SVD. *Brachium* אזרע AZRO, festum solemnitas עצרה OTZRE. *Cubitus* גמד GMD, גמע GMO coetus congregatio, גמר GMR cuncti, universi.

3. *Pedes angulosi* sunt רגל RGL, רגל RGL homines, homines, et פעמים PHOMIM vestigia, incessus, itio, conventus.

 IX.

1. *Schema oris*, vel *Clypei*. 2. *Duo brachia intorquentia* 3. *telum*.

1. *Vasculum*. 2. *Semicirculus*.

1. *Figura hominis stantis*, 2. *Cidari ornati*, *et* 3. *Baculo instructi*.

Ptolemaei, Dei, immortalis, viventis PTOLEMAEI.

1. *Clypeo*, sive *oris schemate*, *et* 3. *duobus brachiis intorquentibus* 4. *telum* Emblema sive Stemma Ptolemaei exhibetur tum Ideographicum tum Lexeographicum mira sollertia confectum. Et primo Ideographicum, quia PTOLEMAEUS est vir bellator, praeliator, qui pugnat, et qui propterea recte et perspicue significabitur *clypeo*, *brachiis*, et *telo*.

2. Praeterea PTOLEMAEUS, sive Bellator strenuus est qui dilatat extendit פתא PTA, bellum לחם LCM, vel לחם LHM, intorquens vehementer spicula in hostem. Atqui פתא-לחם PTA-LHM est homiophonon פתע-להט PTO-LEM-aeo. 3. Iterum PTOLEMAEUS sive egregius bellator ille est qui בעת BOT terrefacit, perterret, hostes feriendo vulnerando להט LEM. Atqui בעת-להט BOT-LEM est homiophonon פתע-להט PTO-LEM-aeo. 4. Quarto *Schema oris* est בטא BTHA pronuntiare proloqui; telum spiculum פתיח PTIC, motus brachiorum est בטט BTHTH; באט BATH est transfodere, vulnerare, et vulnerare et transverberare est להט LEM, et schema oris est iterum ליעט LOM comedere, לום LVM accusare, reprehendere. Atqui ex

his vocibus coniunctis plura homiophona פתע-להם PTO–LEM–aeo exsurgunt.

Ptolemaei Dei.

1. *Schema oris* est דנא DNA mussitare, murmurare homiophonon אדני ADNI Domini Dei: אלה ALE est iurare obtestari, quod ore fit, et ad Deum איל AIL, אל AL plerumque fit, homiophonon אלה ALE. Tum testari et obtestari est שהד SCED homiophonon שדי SCDI unius ex Dei nominibus apud omnes Gentes magis celebris, et Temurae vocis nostrae Latinae *Deus*, et Graecae Θεος.

2. *Brachium* est סעד SOD homiophonon eiusdem שדי SCDI Dei.

3. *Telum spiculum* est ipsum שדי SCDI Deus, et שדי SCDI est etiam iaculari vibrare, quo actu sunt brachia Stemmatis.

Ptolemaei immortalis, αιωνοβιου.

1. *Os oris* vel dicitur עדי ODI, vel significatur ab הודה EVDE laude, quae *ore* fit: עד ϘD autem est immortalis perpetuus. *Os* est דקם DQM, קדם QDM est perennis, iugis, aeternus.

2. *Brachium* est חצן CTZN, נצח NTZC est immortalis, aeternus. *Cubitus* est גמד GMD, homiophonon עמד OMD est immortalis et aeternus.

Ptolemaei hominis, nati, geniti.

1. *Vasculum* est גלה GLE, quod volvitur, currit, genesis, generatio: Homo est גלגלא GLGLA.

2. *Semicirculus* est חצי CTZI medius, דור DVR circulus. Atqui חצי CTZI est proprius peculiaris, et דור DVR est genesis, aetas, habitatio, mora.

Ptolemaei adolescentis Regis

*Cyrioschemate hominis staturâ minore et breviore*, qui *cidari* sit insignis et *baculo* instructus Ideographice et Lexeoschematice significatur iterum Ptolemaeus Rex adolescens. Ideographice

quidem, quia Reges apud plerasque Gentes coronati et sceptrati expinguntur: Lexeographice quia baculus est מקל MQL temura homiophona מלך MLK Regis.

 X.

1. *Cidaris.* 2. *Surculus Palmae.* 3. *Apis.* 5. *Semicirculi duo.*

*Ptolemaei* immortalis, in aeternum victuri, αιωνοβιου.

1. *Cidaris* כתר KTR, iugis, perpetuus, duraturus, pariter כתר KTR.

2. *Surculus*, *germen Palmae* est גדם GDM תמר TMR. Atqui קדם QDM temura homiophona גדם GDM est anterior, aeternus, תמד TMD est iugis, perpetuus, perennis.

3. *Apis* est גבה GBE, temura homiophona בקא BQA immortalis aeterni

4. *Semicirculus primus* est בקע BQO dimidius, קב QB circulus. Atqui בקא BQA est immortalis, perpetuus.

5. *Semicirculus secundus* est חצי CTZI medius, דור DVR circulus. At חצי CTZI est proprie, vere, דור DVR iugis, perennis, continuus.

*Et Ptolemaei* cari, dilecti, amati, ηγαπημενου.

1. *Cidaris* כבע KBO, חבב CBB, חבה CBE amare diligere.

2. *Germen*, *surculus* אביב ABIB, אבה ABE, האב EAB amare diligere. Tum surculus est אמיר AMIR, מרע MRO est intime amicus.

3. *Apis* est גבה GBE, diligere חבב CBB, amare אבה ABE. Tum *Apis* est דוד DVD, amatus, dilectus, carus pariter דוד DVD.

4. *Semicirculus primus* est בקיע BQO medius, קב QB circulus, utraque vox est homiophona חבב CBB amare diligere.

5. *Semicirculus secundus* est חצי CTZI dimidium דור DVR circuli. At חצי CTZI est proprie vere, דוד DVD homiophonon דור DVR amatus, dilectus.

Praeterea est animadvertendum germen Palmae et Apem dici utraque נחיל NCIL, et נחל NCL esse heredem, ex hereditate habere, succedere: quod *Ptolemaeo Regi* conveniens.


XI.

*Ellipsis*, et *linea recta* quasi tangens et osculatrix. In *Ellipsi* haec schemata conspiciuntur 1. *Quadrangulum.* 2. *Semicirculus.* 3. *Ramus curvus* et *fructifer.* 4. *Leo.* 5. *Metroschema.* 7. *Gladii duo.* 8. *Siphon.* 9. *Vipera* 10. *Crux ansata.* 12. *Semicirculus* 13. *quadrangula duo,* 14. *Semicirculus.* 15. *Catenula.* 16. *Aratrum* 18. alii *duo Gladii.*

*Ptolemaei nempe dilecti* a Demiurgo Deo, Terrae et coeli curatore, servatore, corde, et metro rerum, vicario, imagine Dei summi, eductore generationum, vitâ lucidissimâ et immortali, Terrae et Coeli vinculo, rerum Conditore, Phtha, Phtha secundo, sive Patulcio Jano.

1. Κυκλον λοξον *circulum obliquum*, quem επινοιας cogitationis, αριθμου numeri, et μετρου mensurae αρχην fundamentum suppeditasse Aegyptiis testatur Clemens Alexandrinus Libr. V, Strom. p. 567. esse ipsam *Ellipsin* Geometricam,

et quae frequentissime in monumentis Hieroglyphicis conspicitur, dubitari non potest. Tum quae Proclus in primum Euclidis p. 39. et 40. de circulo et linea recta profunde disserit, ipsis *Ellipsibus* Aegyptiorum posse aptari certum videtur: adeoque *Ellipsin*, *linea recta* quasi *osculatrice* et *tangente* adposita, Aegyptiis exstitisse symbolum animae tum divinae tum humanae tenendum est: quo nempe symbolo vis rationis, cogitationis, et mentis *lineâ curvâ* sive ipsâ *Ellipsi*, vis sentiendi, et percipiendi, gaudendi, dolendi *lineâ rectâ osculatrice* sit indicata. Et quoniam animas humanas vacuas et expertes idearum, sive naturali nuditate, sive quod fuerint oblitae, in hunc Mundum prodire Veteres autumabant; ideo earum animarum symbolum erit quidem *Ellipsis* sed *vacua*, ut omnino in pluribus monumentis Aegyptiorum hieroglyphicis cernitur. Contra vero anima Demiurgi, Mundana, Fontana, cui inesse intellectum agentem et efficientem, et ex qua omnes ideas in humanas animas, quasi effluere et dimanare putabant, simili quidem *Ellipsi*, sed plena, et schematibus quasi ideis et formis genitalibus et rationalibus referta significabitur. Et propterea hanc ipsam Mundanam et Fontanam animam, ipsum Demiurgi Aegyptii spiritum ab *Ellipsi* Rosettanae Tabulae significari necesse est, Phtha nempe Protogonum, Conditorem Mundi, opificem rerum, qui in Textu Graeco eiusdem Tabulae frequenter dicitur Φθα.

1. *Quadrangulo* רבע RBO Terram designari puto, quia Terra est רבע RBO germinans, herbescens, fructificans, et figurâ רבע RBO quadratâ ab omnibus Veteribus et constantissime fuerit significata. Nemini vero mirum esse poterit *Terram*

Coelo praeponi; quia in omnibus veteribus Cosmogoniis Coelum, astra, post Terram conditam absolvuntur.

2. *Semicirculo* Coelum indicatum reor. Nam est פלג PHLG dimidium פלך PHLK circuli. Atqui פלג PHLG est etiam eximius egregius, et פלך PHLK est Coelum ipsum, et firmamentum.

3. *Ramus fructifer et curvus* dici potest פאר PHAR, רף RPH; et פאר PHAR כפה KPHE. Atqui רפה RPHE et כפה KPHE sunt curare, mederi, adiuvare, servare.

4. *Leo* לביא LBIA: לב LB cor, animus, mens, quod est intimum בינה BINE. *Leo* est שחל SCCL. prudentia intelligentia שכל SCKL.

5. *Metroschema* מדד MDD, mensura, ratio, modus. Profunde Proclus in Euclidis primum Deum metrum rerum appellat.

6. *Gladius primus* est חלף CLPH, Chalipha, Dei summi et invisibilis Vicarius, successor in Imperio, potestate.

7. *Gladius secundus* צור TZVR, forma, imago, effigies est צור TZUR, nempe Patris summi et invisibilis; et צור TZVR efformator, fictor hominum ad suam imaginem צור TZVR.

8. *Siphon* דלו DLV, homiophonon דלל DLL manifestare, aperire, qui educit in apertum, qui invisibilia facit visibilia, qui Mundum informem, incertum, in Chao invisibilem, prodire iubet in lucem.

9. *Cruce ansatá* salutem, felicitatem, generationem, productionem, adeoque salutarem et felicem generationem indicari plures adnotarunt.

10. *Vipera* est חיה CIE serpens, dictus אפעא APHOA. Vita nempe חיה CIE, יפה IPHE pulcherrima, יפע IPHO splendidissima.

11. *Duo semicirculi* : bis פלג PHLG, פלך PHLK, egregia, eximia coelestis.

12. *Quadrangulo*, *semicirculo*, et *catenula* indicari puto Demiurgum Phtha esse catenam, vinculum, nexum Coeli et Terrae. Per eum duo elementa quasi adversa et pugnantia Coelum nempe et Terra in harmoniam perfectam conspirare.

13. *Aratrum* חרש CRSC, conditor, artifex, Demiurgus ipsum חרש CRSC.

14. *Gladius tertius* פתיח PHTIC, qui aperit, פתח PHTC fores Mundi, qui manifestat pandit creatione omnia.

15. *Gladius quartus* hic *secundus* פתיח PHTIC שני SCNI Phtha Janus Temura שני SCNI, nempe Patulcius Janus. De quo loco suo in *Theorematibus Hierographicis*, Deo dante, agemus.

 XII.

1. *Securis.* 1. *Polyangulum.* 2. *Schema oris.* 3. *Pedes angulosi.*

Regis Epiphanis.

1. *Securis* est קלם QLM, מלך MLK temura homiophona est Rex, *Securis* est כלף KLPH, חלף CLPH est Calipha, vicarius in Imperio, locum tenens Dei Phtha. *Securis* est גרז GRZ, גזר GZR est decernere, statuere, definire, quod Regum est.

1. *Polyangulum* est angulus, angulus, etc פאה PHAE, פאה PHAE et homiophona יפע IPHO illuxit, apparuit, exortus est, factus est *Epiphanes.*

2. *Os oris* פה PHE, פהה PHEE iterum homiophonon יפע IHPO resplenduit apparuit, *Epiphanes* fuit. *Os* דקם DQM, קדם QDM oriens, qui oritur, qui obviam venit.

3. *Pedes angulosi* פעם PHOM, פעמים PHOMIM vestigia pedum, incessus, adventus, apparitio, *Epiphania*. In toto Oriente *vestigia pedum* habentur, ut symbolum *Theophaniae*: et in pluribus locis *vestigia pedum* adorantur.

Si porro tres istas voces פאה PHAE, פה PHE, פעם PHOM coniungimus, et scribimus פאה-פה-פעם PHAE-PHE-PHOM, habebimus satis commodum homiophonon Pi-*Epi-phan-is*: adeo ut Ptolemaeus *Epiphanes* non tantum terno symbolo Lexeographico, sed etiam ipso fere eorum sono sit luculenter indicatus.



XIII.

1. *Pelvis*. 4. *Tria spicula*.

Eucharisto, gratioso, bono, amabili.

1. *Pelvis* est דוד DVD, carus, amatus, gratiosus ipsum דוד DVD. *Pelvis* est גביע GBIO amare, diligere חבב CBB.

2 *Spiculum primum* est חנית CNIT, חן CN חנה CNE est gratia, benevolentia, misericordia.

3. *Spiculum secundum* est רמח RMC, רחם RCM est misericordia, gratia, benevolentia.

4. *Spiculum tertium* est רצח RTZC, רצע RTZO perforans transverberans, רצה RTZE est placuit, gratiosus, benevolus fuit.

Praeterea *Pelvis* dicitur כיר KIR et קער QOR, quae pronuntiare poteris *Euchar*, cui si addis ריצע RITZO et planius *Risto* habebis *Euchar-Risto* sive *Eucharisto*, quod ipsum cognomen Graecum est Ptolemaei Regis, de quo in Tabulâ agitur.

 XIV.

1. *Gallinago.* 2. *Pelvis.* 3. *Homo sedens depressus.*

Quem Ptolemaeum appellabunt, nuncupabunt homines, Aegyptii scilicet.

1. *Gallinago* קורה QVRE, קרא QRA appellare, nuncupare.

2. *Pelvis* כיר KIR, קער QOR, קרא QRA vocare, invocare.

3. *Homo depressus incurvatus* est homo שוח SCVC, et שוח SCVC est loqui, dicere, narrare, adeoque appellare et vocare.

 XV.

1. *Circulus.* 2. *Semicirculus.* 3. *Psychogramma* 4. *Cerastes.*

Quotquot, inquam, sunt homines, quotquot animâ et vitâ praediti sunt.

1. *Circulus* est גלגל GLGL, et homo גלגלא GLGLA.

2. *Semicirculus* est dimidium חצי CTZI, circuli דור DVR. At חצי CTZI est propria vera, דור DVR aetas, generatio, nempe hominum.

3. *Psychogramma* est symbolum rationis, et sensationis, sive vitae Entis rationalis; ut supra adnotavimus num. XI. pag. 12.

4. *Cerastes* חיה CIE serpens indicat חיה CIE viventes, sentientes; *Cerastes* צפע TZPO indicat

צפה TZPHE intuentes cernentes: *Cerastes* שפף SCPHPH indicat שפה SCPHE labium, sermonem, ανθρωπους μεροπας.



XVI.

*Psychogramma*, quo insunt 1. *Quadrangulum.* 2. *Semicirculus.* 3. *Ramus curvus* et *fructifer.* 4. *Leo.* 5. *Metroschema.* 7. *Gladii duo.* 8. *Siphon.*

Phtha, ipso nomine Demiurgi Phtha, qui est Terrae et Coeli curator, Mens, metrum, qui aperit, educit, manifestat omnia. V. Num. XI. pag. 12.



XVII.

1. *Malleus.* 2. *Vasculum.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Oculus Iustitiae.* 5. *Semicirculus.* 6. *Choreschema.*

*Appellabunt*, *inquam*, *Ptolemaeum Phtha* vindicem et ultorem Aegypti.

1. *Malleus* טרק THRQ, homiophonon טרח THRC est fatigavit, vexavit, debellavit. *Malleus* הלם ELM, qui tundit, contundit, sternit. *Malleus* est כלף KLPH, et חלף CLPH est vindex et ultor.

2. *Vasculum* est כלי KLI, est גלה GLE, גאל GAL est vindex, ultor, redemtor, qui liberat ab oppressione et malo.

3. *Quadrangulum* est רבע RBO, רב RB, רבב RBB est iaculari, vibrare, ulcisci, vindicare.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI dimidium, גלגל GLGL circuli. Atqui חצי CTZI est proprie, vere,

גלל GLL, גאל GAL ulcisci, vindicare. Tum annulus sive circulus est טבע THBO, et תבע TBO est ulcisci, vindicare.

5. *Oculus Iustitiae* est Schema systematicum plane opportunum. Videtur enim *Oculus* עין OIN *lacrymas* דמע DMO fundens: adeoque symbolum ideographicum vexationis et afflictionis. Tum ענה ONE homiophonon עין OIN est afflictus oppressus, et דמה DME homiophonon דמע DMO lacrymae est excisus vastatus. Oculus ergo lacrymans etiam Lexeographice significabit oppressionem et vexationem. Quin quum *oculus* עין OIN sit inspicere, tueri, expendere, et דמה DME sit etiam considerare, providere non solam oppressionem, sed etiam ultionem, et vindictam oppressionis significabit *Oculus Iustitiae*.

6. *Choreschema* est Schema systematicum Regionis, Provinciae, vel etiam Terrae totius, οικουμενης, ut ex versione Obelisci Flaminii ab Hermapione tentatâ apparet. Plures enim Gentes et maxime Casticae regionem suam et cives suos genericis et universalibus nominibus saepius appellant, quasi existeret una sua Regio, et ipsi Homines non essent nisi illius tantum Regionis incolae. Ut igitur paulo supra *Homines* viventes erant *Aegyptii*, ita hic *Regio* χωρα est ipsa *Aegyptus*. Illud vero Aegyptium schema sive Regionis, sive της Οικουμενης sollerti et profunda ratione confectum est.

Nam 1. Sphaera ipsa, sive potius Circulus ambiens et continens ceteros est omnino arcanus ille חוג CVG, כף KPII *Caf* ab aliis pluribus dictus, Circulus Mundum ambiens, est ille גחן GEN limes ille curvus, de quo Prophetae Hebraeorum aliquando locuti sunt, et Poëtae Graecorum dixerunt *Ocea-*

*num* homiophonice, rotundo suo fluxu Mundum complectentem.

2. *Segmentum primum circuli*, et si vis circulus interior est פלג PHLG pars segmentum פלך PHLK circuli. Atqui פלג PHLG est eximius praestans, et פלך PHLK est ipsa regio, provincia.

3. *Segmentum secundum* est פלג PLG portio pars דור DVR circuli. Atqui דור DVR est genesis, generatio, aetas hominum, et פלג PHLG est eximia egregia.

4. *Segmentum tertium* est פלג PHLG, קארה QARE ; at קיר QIR est murus, paries, urbs, sedes hominum civilium, פלג PLG egregia eximia.

5. *Segmentum quartum* est פלג PHLG pars כור KVR circuli. At כרה KRE est fodere, emere, mercari, negotiari, convivari, comedere, quae coetuum humanorum propria.

Segmenta ergo circularia interiora erunt quatuor רבע RBO, quia Regna humana constant 1. Regione ipsa פלך PHLK; 2. Tribubus hominum דור DVR; 3. Urbibus oppidis קירה QIRE ; 4. Commercio et mercatura כרה KRE, et sunt et vigent ubi Terra ipsa רבע RBO germinet et fructificet.



XVIII.

1. *Navicula*, seu *Baris* ut videtur, *basi* vel *lineae imposita*. 2. *Brachium*. 3. *Cerastes*. 4. *Quadrangulum*. 5. *Lituus*.

Laudabunt, collaudabunt.

1. *Navicula* דבר DBR, loqui proloqui; אלף ALP docere, tradere, עבר OBR transferre transducere, scilicet laudes Phtha in Ptolemaeum sunt transducendae.

*

2. *Basis* est כנה KNE, nuncupare appellare ipsum כנה KNE; linea est קו QV, clamare, invocare קע QO.

3. *Brachium* איד AID, הודה EVDE laudare collaudare.

4. *Cerastes* שף SCPH, שפה SCPHE labium, Os, laus.

5. *Quadrangulum*, רבע RBO, רב RB multus.

6. *Lituus* לוט LVTH arcanis, magicis laudibus.



XIX.

*Psychogramma* cum *Stemmate Demiurgi Phtha.*

Scilicet Ptolemaeum laudent, ut ipsum Demiurgum Phtha, omnes laudes de Phtha per translationem ipsi Ptolemaeo tribuant.

# CAPUT II.

## TENTATUR INTERPRETATIO LINEAE SEPTIMAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### Art. I.

*Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae VII. Hieroglyphicae.*

v. 40. Και τους ἱερεις θεραπευειν τας εικονας· τρις της ἡμερας, και παρατιθεναι αυταις ἱερον κοσμον, και τ᾽ αλλα τα νομιζομενα συντελειν καθα και τοις αλλοις θεοις, Nempe:

*Iussit insuper Synedrium:* Sacerdotes colere Statuas ( Regis ) ter per singulos dies, et exornare sacris vestibus, et cetera omnia legitima absolvere, quae erga alios Deos observantur.

### Art. II.

*Summa versionis Latinae Lineae VII. Hieroglyphicae.*

Quotidie Aegyptii celebrent Ptolemaeum, Deum, immortalem, hominem, Regem, filium, et successorem Ptolemaei Regis, omnia legitima et praescripta exsequentes. Quotidie custodiant in omnibus Templis, lavent, et lotas apto indumento vestiant, et tabernaculo pariter mundo exornent Statuas et Simulacra ( Regis ) Sacerdotes custodes, et Ianitores tam vespere quam mane. Sacerdotes Charthumim congregentur magna et solemni Panegyri circa meridiem, quotidie laudes canant, quotidie mystica et magica murmurent. Celebrent collaudent etiam Sacerdotes Ianitores immortalem, et dilectum a Demiurgo Phtha *Ptolemaeum Regem,*

## A r t. III.

### *Analysis Lineae VII. Hieroglyphicae.*



I.

*Ichnogramma.* 2. *Circulus Solaris.* 3. *Pelvis.*
Quotidie, per singulos dies.

1. *Ichnogramma* est פעם PHOM, פעמים PHOMIM vestigia, incessus, reditus, vices.

2. *Circulus Solaris* est קרס QRS, גלגל GLGL circulus, revolutio חרס CRS Solis: quoties nempe Sol oritur, quoties revolutionem suam peragit, quotidie, singulis diebus.

3. *Pelvis* est אגן AGN, נגה NGE est splenduit, illuxit, *Pelvis* מ-זרק M-ZRQ, זרח ZRC est oriri nasci, et de luce et Sole proprie dicitur.

At quum sequens Syngramma in pluribus aliis Exemplis etiam *Pelvi* instruatur, valde probabile est ex illo loco huc fuisse translatam sive ad vacuum implendum, sive oblivione: adeoque etiam in eo rationem *Pelvis* habere aequum est.



II.

1. *Pelvis.* 2. *Vas ansatum.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Psychogramma.* 5. *Cerastes.*

1. *Schema ignotum* 2. *Siphon.*

Homines, quotquot sunt corpore et animo praediti, Aegyptii universi Laudent, laudibus extollant.

1. *Pelvis* est כיפה KIPHE, corpus humanum dicitur גופה GVPHE. *Pelvis* est קשה QSCE res dura gravis ponderosa, ut Corpus, et si vis מ-קשה M-QSCE, Corpus est גשם GSCM temura homiophona.

2. *Vasculum* est כלי KLI, גלה GLE, חלה CLE autem initium, כלי KLI finis, גלגל GLGL homo, גלה GLE generatio, ortus. Tum *Vas* est מאן MAN, et מין MIN, מון MVN imago, similitudo, forma, simulacrum, nempe דמה DME Temura homiophona אדם ADM hominis. In hoc Museo Borbonico servatur Musivum opus Pompeianum, quo conspicitur humanum Sceleton dextera unum, sinistra alterum *Vas* gestans.

3. Ansa sive auris vasis est אזן AZN: et זן ZN est imago forma figura, et זנה ZNE est concubitus, quo homines gignuntur.

4. *Quadrangulum* רבע RBO, ערב ORB turba caterva, רבה RBE multitudo, caterva.

5. *Psychogramma* appositum est ut luculentius et manifestius Homines indicarentur, qui hîc in Terrâ uni Animo, et Spiritu rationali et immortali sunt praediti.

6. *Cerastes* indicat viventes חיה CIE, loquentes שפף SCPHPH, quia שפה SCPHE est labium, et צפע TZPHO intuentes, quia צפה TZPHE est cernere speculari, ut iam diximus, linea VI. n. 15. pag. 16.

.. *Siphon* דלו DLV, דלי DLI tollere attollere, דלל DLL manifestare, praedicare, omnibus notum facere.

 III.

1. *Stemma Ptolemaei.* 2. *Vasculum.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Cyrioschema ipsius Regis.*

Ptolemaeum, Deum, immortalem, hominem, Regem.

1. *Stemma* Regis Ptolemaei: Quo significari ipsum Ptolemaeum, Deum, et immortalem superius vidimus Linea VI. n. 9. p. 8.

2. *Vasculo* indicari hominem diximus ibi pag. 9. et modo n. 2. p. 23.

3. *Quadrangulum.* In Syngrammate Lineae VI. n. 9. loco *Quadranguli* est *Semicirculus.* Nam ex lege fundamentali Scripturae Lexeoschematicae crypticae et abstrusae Symbola Syngrammatum semper sunt ex aliqua parte immutanda. Hic igitur loco *Semicirculi* appositum est *Quadrangulum* רבע RBO, sive ad praestantiam Regis indicandam רב RB, sive ad aetatem puerilem רביא RBIA, quam tum agebat Ptolemaeus.

4. *Cyrioschema* Regis baculo et Cidari instructi, nempe Ptolemaei Epiphanis, de quo in Tabula agitur, et cuius Schema etiam superius ad Scripturae certitudinem et absolutam perspicuitatem conciliandam productum fuit Linea VI. n. 9. p. 8.

Adnotandum porro hic est Anthroposchema huiusmodi esse statura brevius, quam sequens, quo indicatur Ptolemaeus Philopator Epiphanis pater: Ptolemaeus enim Epiphanes, ut iam monuimus, erat tum vix pubes, adeoque iustam hominis staturam adhuc non fuerat adeptus. Ex quo luculenter refellitur Cousinery, qui aliam aetatem Epiphani praestruebat.

 IV.

1. *Anthroposchema baculo instructum.* 2. *Gladius.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Vasculum.*

Ptolemaei Regis filium, heredem, successorem.

1. *Anthroposchema* baculo tantum מקל MQL, non etiam cidari instructum Ptolemaeum Patrem significat, quia fuerat מלך MLK Rex, sed cidaris כתר KTR non addita, quia iam defunctus potestatem Regiam alteri tradiderat.

2. *Gladius* est צור TZVR, imago, forma, similitudo etiam ציר TZVR. Scilicet Epiphanes Philopatoris tum generatione et nativitate, tum munere et dignitate erat imago et similitudo: Praeterea זרע ZRO semen filius est Temura homiophona צור TZVR *gladii*: Tertio *gladius* est חלף CLPH nempe Chalipha, Vicarius, heres, successor in imperio, et dignitate.

3. *Quadrangulum* רבע RBO est temura homiophona, vel homiophonon בר BR filii, nati, et רביא RBIA pueri.

4. *Vasculum* est כלי KLI, heres successor נ-חיל N-CIL. *Vasculum* גלה GLE, et insuper genesis, generatio.

 V.

1. *Metroschema.* 2. *Bacilli pulsatores.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Circulus.*

Legitimo ritu, praescriptis Ceremoniis.

1. *Metroschema* מדד MDD, מד MD, mensura, modus, ratio, ritus.

2. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB, modus, figura, forma etiam צרב TZRB.

3. *Quadrangulum* רבע RBO, ברר BRR est discernere, separare, eligere.

4. *Circulus rota* אפן APHN, modus, ratio, ritus idem אפן APHN.



VI.

3. *Tria quadrangula*. 4. *Metroschema*. 5. *Vasculum*. 6. *Os oris*.

Cuncta legitima, omnia τα νομιζομενα exsequentes.

1. *Quadrangulum* I. רבע RBO, ברר BRR est purificare, expiare.


2. *Quadrangulum* II. רבע RBO : בער BOR est urere, comburere, sacrificia et holocausta incendere.

3. *Quadrangulum* III. רבע RBO, רעב ROB est supplicatio, rogatio.

4. *Metroschema* מד MD ritus, ceremoniae.

5. *Vasculum* כלי KLI, mensura, ritus כיל KIL; כלה KLE perfectus absolutus.

6. *Os* כלא KLA vocare clamare, קול QVL vox, כיל KIL mensura, modus : דבר DBR, צוה TZVE praeceptum, iussum.



VII.

1. *Circulus Solaris*. 2. *Biangulum*. 3. *Catenula* 4. *cum Ore*.

Quotidie, singulis diebus.

1. *Circulus Solaris* קרס QRS, חרס CRS est symbolum Ideographicum diei, qui a Solis gyro et cursu putatur effici.

2. *Biangulum* sive angulus, angulus est פאה PHAE, פאה PHAE, sive יפע IPHO, יפע IPHO, nempe illuxit, apparuit, ortus est, quoties scilicet apparet et oritur Sol, scilicet quotidie.

3. *Catenula* est חרז CRZ, et temura זרח ZRC est oriri, splendere, et homiophonon חרס CRS est Sol.

4. *Os oris* est כרז KRZ proloqui clamare: et in eo inveniri iterum possunt חרס CRS Sol, et זרח ZRC oriri. Tum *Os* est פם PHM vices, itus, reditus.



VIII.

1. *Oculus.* 2. *Os.* 3. *Semicirculus.* 4. *Brachium.*

*Statuas* custodiant, servent, adservent, tueantur.

1. *Oculus* עין OIN cernere, עיר OIR vigilare, advigilare, נטר NTHR observare, custodire.

2. *Os oris* שור SCVR canere, et inspicere, intueri, et שער SCOR custodire: פצה PHTZE aperire os, צפה TZPHE speculari, observare.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI medius, דור DVR circulus. Atqui חצי CTZI est homiophonon חזה CZE videre, cernere, et דור DVR est manere morari, expectare.

4. *Brachium* אזרע AZRO, אצר ATZR est custodire diligenter, quasi res pretiosas adservare.

 IX.

3. *Tres gladii maiores 4. basi vel suggestu infixi.*

In omnibus Templis, in omnibus Aedibus sacris.

1. *Gladius primus* שכין SCKIN ; habitaculum, aedes, templum שכינה SCKINE.

2. *Gladius secundus* סגר SGR, quod etiam est locus clausus, conclusus ; homiophonon vero סגד SGD est locus adorationis, ubi quis veneraturus procumbit.

3. *Gladius tertius* מ-אכל M-AKL ; הכל EKL, מ-הכל M-EKL est domus, aedes, templum.

4. *Basis* כון KVN, תכונה TKVNE est sedes firma stabilis, locus certus. *Suggestus*, ara, altare במה BME locum proprie Templorum designant.

 X.

1. *Metroschema.* 2. *Phallus.* 3. *Bacilli capitati.* 4. *Hydroschema.* 5. *Tria quadrangula.*

*Statuas* Lavent, abluant, purificent.

1. *Metroschema* כיל KIL, חלל CLL est lavare, mundare, et מ-חל M-CL est purgare, mundare.

2. *Phallus* זכר ZKR, צחר TZCR est purus, mundus, candidus, et זכד ZKD est mundare, purificare. *Phallus* est שפך SCPHK, nempe fundere et effundere aquas per quas purgatio fit,

tum כבם KBS temura homiophona שפך SCPHK est lavare abluere.

3. *Bacilli pulsatores* sunt נגן NGN, נגע NGO; homiophonon נקע NQO est abluere, lavare.

4. *Hydroschema* est ipsum כבם KBS, חלל CLL, רחצ RCTZ lavare, abluere.

5. *Quadrangulum* I. est רבע RBO, ברר BRR est purificare, mundare.

6. *Quadrangulum* II. est רבע RBO, בהר BER est purum et candidum reddere.

7. *Quadrangulum* III. רבע RBO indicat רב RB רב RB multum valde bene.

Et *Statuas* lotas purificatas induant convenientibus vestibus, exornent decoris et aptis indumentis.

1. Idem *Metroschema* מד MD est vestis indumentum. *Metroschema* משח MSCC, velum indumentum. מסיך MSIK.

2. Idem *Phallus* ערה ORE, vestes indumenta עריע ORIO.

3. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB; velum tegumentum etiam צרב TZRB. *Bacilli pulsatores* צלל TZLL; obtegere velare etiam צלל TZLL.

4. *Hydroschema* גלל GLL, vestire, vestibus involvere etiam גלל GLL.

5. *Quadrangulum* I. רבע RBO; Temura homiophona פאר PHAR est ornamentum, ornatus, velum.

6. *Quadrangulum* II. רבע RBO; אפר APHR temura homiophona est velum, tegumentum.

7. *Quadrangulum* III. רבע RBO, אפד APHD, Ephod vestis, indumentum.



XI.

1. *Oculus*. 2. *Semicirculus*. 3. *Duae Lineae obliquae*. 4. *Bacilli pulsatores*. 5. *Hydroschema*. Et tentorio, tabernaculo suo exornent.

1. *Oculus* עין OIN, עון OVN tentorium tabernaculum.

2. *Semicirculus* est בקע BQO medius, קב QB circulus. At קבה QBE et חביא CBIA sunt tentorium, tabernaculum.

3. *Duae Lineae* sunt חיט CITH, חוט CVTH. Atqui חיט CITH sunt aulaea, vela, חוט CVTH sunt filamenta, funiculi, vincula, sine quibus tentoria non sunt.

4. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB; tentorium, tabernaculum צרב TZRB; צלל TZLL pulsare organa musica, צלל TZLL ipsum tegere, obtegere, tentorium, aulaea.

5. *Hydroschema* עין OIN fons scaturigo, עון OVN tentorium, tabernaculum: שוק SCVQ irrigare, שכך SCKK, מ-סך M-SK aulaea, tentorium.

*Tria Quadrangula* possunt recte spectare ad hoc Syngramma, secundum significationem, quam modo vidimus Num. X. Sed satius ad sequens referemus.



XII.

3. *Tria quadrangula*. 4. *Circulus*, ut videtur. 5. *Crus humanum*. 6. *Pelvis*.

Purgato, loto, mundo, candido.

1. *Quadrangulum* I. רבע RBO, ברר BRR est purgare, mundare.

2. *Quadrangulum* II. רבע RBO, בהר BER est purum et nitidum reddere.

3. *Quadrangulum* III. רבע RBO, באר BAR est etiam purgare, mundare.

4. *Circulus*, *annulus* טבע THBO, mergere, immergere ad lavandum.

5. *Crus*, *coxa* שוק SCVQ, שקה SCQE rigare, aquas fundere; *Crus*, *pes* רגל RGL, et רגל RGL est fullo linteorum purgator.

6. *Pelvis* כפר KPHR, purificare mundare.

Praeterea *Circulus* כור KVR, *Crus* כרע KRO, vel ירך IRK *Femur*, et כיר KIR *Pelvis* sunt omnia homiophona חור CVR candido, albo.



XIII.

1. *Semicirculus primus.* 2. *Coturnix.* 3. *Semicirculus secundus.* 4. *Mumia.* 5. *Cidaris.*

Statuas, Simulacra Regis *Ptolemaei.*

1. *Semicirculus primus* est פלג PHLG dimidius גלל GLL circulus. Atqui פלג PHLG est egregius eximius, et גיל GIL est statua simulacrum.

2. *Coturnix* שלו SCLV, propitiatio prosperitas שלה SCLE; orari, precari צלא TZLA, oratio precatio מ־צלא M-TZLA, simulacrum effigies צלם TZLM.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI medius, דור DVR circulus. Atqui חצי CTZI est etiam proprius peculiaris, et תאר TAR homiophonon דור DVR est simulacrum statua.

4. *Mumiá* significari statuam et Simulacrum superius adnotavimus Linea VI. n. 4. et 5. p. 4.
5. *Cidari* etiam Statuam exprimi posse ibi indicatum p. 4. 5.

 XIV.

1. *Basis* vel *Mensula*, super qua *duo brachia erecta.*
2. *Sacerdos brachiis carens*, *gladium genibus infixum gerens.*

Sacerdotes ostiarii, ianitores, addicti et consecrati ad custodiam Statuarum Ptolemaei Regis.

1. *Brachia duo erecta* sunt זרע ZRO, דרע DRO, קום QVM. Atqui זרע ZRO est temura homiophona אצר ATZR custodire, servare, claudere: דרע DRO est homiophonon תרע TRO ianuae portae, et דיר DIR Ianitori, ostiario, et קום QVM actum proprium standi et praestandi ianitorum significat.

2. *Basis* est כן KVN, et firmiter, constanter, perpetuo idem כון KVN: *Mensula* est פתר PHTR, quod etiam est manere, permanere, morari: *Mensula* est שלחן SCLCN, quae vox solvi potest in שלה SCLE tranquille, pacifice, et נוח NVC manere, quiescere.

3. *Sacerdotis schema* ideographicum est; quod vero careat brachiis Lexeographicum. Nam *truncus membris* dicitur חרם CRM, et ipsum חרם CRM est addictus, consecratus ad certum munus, devotus. *Gladius* vero שכין SCKIN est *impositus* יצב ITZB, *genibus* ברך BRK, quia *Sacerdos* est חרם CRM *addictus*, ut *maneat* יצב ITZB ad שכינה

SCKINE ad *tabernaculum*, aediculam Regis, ut ברך BRK *benedicat*, et oret.

 XV.

1. *Bacilli pulsatores*. 2. *Hydroschema*. 3. *Tria quadrangula.*

Tam vespere, tam vespertino tempore.

1. *Bacilli pulsatores* צלל TZLL; umbrare, inumbrare ipsum צלל TZLL; זואל ZVAL crepusculum.

2. *Hydroschema* מיא MIA, מים MIM aquae; עמם OMM tenebrae: עלה OLE fons, scaturigo, עלה OLE Sol occumbit, Vesper adest: שקה SCQE rigare, irrigare, חשך CSCK temura homiophona est umbra, tenebrae.

3. *Quadrangulum* I. רבע RBO, ערב ORB est vespera, tempus vespertinum.

4. *Quadrangulum* II. רבע RBO, הבר EBR est nigredo, obscuritas.

5. *Quadrangulum* III. רבע RBO, vel אל-רבע AL-RBO; Tenebrae caligo ערפל ORPHL, temura homiophona.

 XVI.

1. *Situla ansulata*, ut videtur, 2. *Gladius.* 3. *Oculus.*

Quam matutino tempore, quam Sole oriente.

1. *Situla* est דלי DLI; דלה DLE elevare, attollere: Homiophonon טלע THLO de ortu Solis sumitur.

2. *Ansulae* si dicuntur קרן QRN, interpretari possumus radios, splendores Solis; si sunt *radii*, ut radii rotarum חשר CSCR habebimus temuram homiophonam חרס CRS Solis; si sunt אגן AGN, temura homiophona נגה NGE est splendere, fulgere, coruscare.

3. *Gladius* est פתיח PHTIC aperire, manifestare, pandere; *Gladius* est ברק BRQ coruscare, splendere, radios spargere.

4. *Oculus* עין OIN, quod quasi proprie *Soli* און AVN adtribui ad *Hieroglyphica selecta* ex *Horo* pag. 33. 52. 64. animadvertimus.

 XVII.

1. *Cidaris*. 2. *Tria Quadrangula*. 3. *Securis*. Sacerdotes Charthumim.


1. *Cidaris* כתר XTR: חרט CRTH est Stilus Scriptorius symbolum proprium חרט-מים CRTH-MIM, sive *Charthumim*.

2. *Quadrangulum* I. רבע RBO; רבה RBE magna multitudo, ingens numerus.

3. *Quadrangulum* II. רבע RBO; רב RB est Praeceptor, Doctor.

4. *Quadrangulum* III. רבע RBO; רב RB est praestans, magnificus, illustris.

5. *Securis* est קרדם QRDM homiophonon חרטם CRTHM.



XVIII.

3. *Tres fasces bacillorum* vel *virgarum*. 4. *Metroschema*. 5. *Panegyreoschema*. 8. *Tria quadrangula*.

Conveniant congregentur magna et legitima Panegyri.

1. *Fascis primus calamorum* est אסף ASPH, קנה QNE, coetus congregatio, כהן KEN Sacerdotum.

2. *Fascis secundus bacillorum* est אלם ALM, חטר CTHR, vel מ־חטר M-CTHR conventus, congregatio חרט־ם CRTH-M Chartumim.

3. *Fascis tertius virgularum* est אגד AGD שבט SCBTH, nempe societas, agmen, congregatio שפט SCPTH iudicum, praeceptorum.

4. *Metroschema* מדד MDD est mensura, ritus, praescriptum.

5. *Panegyreoschema* est Lexeoschema אסף ASPH, אלם ALM, אגד AGD.

6. *Quadrangulum primum* est רבע RBO : רבה RBE est multitudo, magnus numerus.

7. *Quadrangulum secundum* est iterum רבע RBO, et ערב ORB est turba, caterva.

8. *Quadrangulum tertium* est רבע RBO, et רב RB, רב RB est magnificus, sublimis, doctor, praeceptor.



XIX.

1. *Pomum granatum inversum*, ut videtur,

2. *Quadrangulum.* 3. *Securis* 4. *Globo imposita.* 5. *Circulus Solaris.* 8. *Tria Quadrangula in triangulum disposita.*

. Meridie, Sole culminante.

1. *Pomum granatum* est רמאן RMAN homiophonon רם RM, און AVN. At רם RM est celsus sublimis, culminans, et און AVN, אן AN dictum Solem ab Aegyptiis in *Hieroglyphicis nostris selectis* animadvertimus. Sol autem maxime sublimis רם RM est in meridie.

2. *Quadrangulum* רבע RBO est temura homiophona בהר BER splenduit, coruscavit. Atqui Sol in Meridie est splendidissimus, quia umbrae tum brevissimae et minimae.

3. *Securis* est חצץ CTZTZ, קצץ QTZTZ. At חצי CTZI est dimidiare, in duas aequales partes dividere. *Securis* est גרז GRZ, et גזר GZR est dividere discernere, quod Sol in Meridie culminans facit, Mundum et diem in duas aequas partes tribuens.

4. *Globo* vel *Circulo* דור DVR, גור GVR, גלגל GLGL Securis קצץ QTZTZ est imposita vel infixa, ut omnino legeremus, חצי CTZI דור DVR, חצי CTZI גור GVR, חצי CTZI גלגל GLGL, in dimidio scilicet revolutionis, in dimidio gyri, in dimidio circuli Solis.

5. *Circulus Solaris* est Cyrioschema Solis, sive Cyriologicum signum ad plenam Syngrammatis perspicuitatem adpositum.

6. *Tria quadrangula* sunt tria רבע RBO, scilicet בהר BER claritas, splendor, ברר BRR puritas, serenitas, רב RB magna, multa; *Quadrangula* sunt ordine תור TVR disposita, quia טהר THER est meridies: sunt in cumulum תלה TLE ordinata, ut ostenderetur Solis discum דור DVR esse

תלה TLE elevatum sublimem, et indicare טהר THER Meridiem ipsum: efficiunt triangulum שליש SCLISC, quia שלשה est Meridies.



XX.

1. *Catenula* cum 2. *Ore* 3. *Polyangulum.* 4. *Circulus Solaris.* 5. *Hydroschema.* 6. *Semicirculus.* 7. *Brachium.*

Quotidie, per singulos dies.

1. *Catenula* חרז CRZ est temura vocis זרח ZRC oriri surgere, et homiophonon חרס CRS Solis.

2. *Os oris* est פם PHM, et פעם PHOM incessus, reditus, vices: adeoque hîc *Catenula* cum *ore* significabit פעם PHOM, זרח ZRC, חרס CRS, quoties nempe oritur Sol.

3. *Polyangulum* sive *angulus*, *angulus* etc. est פאה PHAE, פאה PHAE etc. At יפע IPHO יפע IPHO homiophona sunt illuxit, resplenduit.

4. *Circulus Solaris* signum Solis Cyriologicum. Adeoque sententia erit, quoties illuxit, quoties exortus est Sol, quae et superius non semel animadversa sunt.

5. *Hydroschema* מיא MIA aqua, temura homiophona יום IVM diei. *Fluvius* est נהר NER, lux, dies est idem נהר NER.

6. *Semicirculus* est חצי CTZI דור DVR propriis nempe gyris, et revolutionibus Solis.

7. *Brachium, Cubitus* est גמד GMD, גמר GMR est singulis, omnibus nempe diebus.

Canant, psallant, laudibus celebrent, laudes narrent.

1. Eadem *Catenula* est שירה SCIRE, שור SCVR canere, cantare.

2. Idem *Os* שור SCVR canere ; הלל ELL laudibus extollere.

3. Idem *Polyangulum* פאה PHAE פאה PHAE, etc. פה PHE Os oris , פעה PHOE clamare invocare.

4. *Circulus* est סהר SER , praedicare , manifestare , celebrare ; canere שור SCVR. *Sol* est חרס CRS temura שרח SCRC est declarare aperire.

5. Idem *Hydroschema* est זרם ZRM fundere , effundere , זמר ZMR est canere , psallere : *Fluvius* נהר NER , canere רנה RNE : נבע NBO fluere , et proloqui.

6. *Semicirculus* est פלג PHLG , סחר SCR. At ipsum פלג PHLG est eximie egregie , שרח SCRC manifestare , declarare.

7. *Brachium* איד AID , הודה EVDE laudare , celebrare. *Brachium* זרע ZRO , cantare צרע TZRO. *Cubitus* גמד GMD, מדח MDC temura homiophona laudare , collaudare.

 XXI.

1. *Catenula cum* 2. *Brachio*. 3. *Gallinago*. 4. *Duae lineae obliquae*.

Invocent , inclament , orent.

1. *Catenula* חרז CRZ est homiophonon כרז KRZ clamare , inclamare.

2. *Brachium* זרע ZRO , צרע TZRO canere, praedicare.

3. *Gallinago* קורה QVRE , קרא QRA clamare , invocare.

4. *Linea prima* קו QV , קעה QOE clamare inclamare.

5. *Linea secunda* שורה SCVRE , שור SCVR canere , praedicare.



## XXII.

1. *Polyangulum.* 2. *Circulus Solaris.* 3. *Metroschema.* 4. *Os.* 5. *Cerastes.*

Singulis diebus, per omnes dies, ritu legitimo et praescripto.

1. *Polyangulo*, et 2. *Circulo Solari* significari *quotidie, per singulos dies* supra num. XX. p. 37. adnotatum est.

2. *Metroschema* מדד MDD, ritus, ratio, modus.

3. *Os oris* symbolum etiam mensurae, ritus, modi; quia mensura est כיל KIL, vox קול QVL, כלא KLA clamare; mensura est מ-שור M-SCVR, et שור SCVR est canere etc. *Ore* fit דבר DBR iussum, צוה TZVE praeceptum, שפט SCPHTH iudicium, ritus.

4. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפת SCPHT; שפט SCPHTH iudicium, legitima; שפה SCPHE labium *os*, praeceptum.



## XXIII.

1. *Hiereogramma.* 2. *Litui duo.* 4. *Semicirculi duo.*

Omnia legitima, mystica, arcana, magica exsequentes.

1. *Hiereogramma* fit ex *tribus angulis* 1. *Primo angulo* פאה PHAE duce, ductore, principe; יפע IPHO splendido, puro, claro, illustri. 2. *Secundo angulo* זקק ZQQ, cuius temura ho-

miophona חזה CZE est Videns, Propheta. 3. *Tertio angulo* קטר QTHR, cuius temura homiophona est חרט CRTH stilus scriptorius, a quo dicti *Charthumim*. 4. *Linea recta* est חטט CTHTH, ישר ISCR, nempe scribere recta, conscribere sancta. Tum *linea*, *calamus*, canna est קנה QNE, כן KVN *rectus*, תקן TQN pariter *rectus*; et haec omnia homiophona כהן KEN Sacerdoti.

2. *Litui duo*, *et semicirculi duo* significant Mystica, arcana, magica, ut vidimus Linea VI. n. 7. pag. 6.

 XXIV.

1. *Rami incurvi* et *implexi*. 3. *Siphones duo*. Laudent, collaudent, celebrent.

1. *Rami curvi*, et *implexi* sunt שוך SCVK *rami*, שוח SCVC, vel שבח SCBC curvi, et שבך SCBK *implexi*. Atqui שוח SCVC est eloqui, manifestare sermone, et שבח SCBC est laudare, celebrare, glorificare.

2. *Siphon primus* est דלו DLV, דלה DLE, tollere extollere, דלל DLL, manifestare, praedicare.

3. *Siphon secundus* שרק SCRQ, שרח SCRC est explanare, declarare, clarum et manifestum facere.

 XXV.

1. *Sacerdos*, *carens brachiis*, *sedens humi*,

genibus *gladium infixum gerens.* 2. *Circulus.* 3. *Brachium*, cum 4. *Flagello frugum.* 5. *Hydroschema.*

Sacerdotes ostiarii, custodes statuarum Regiarum, consecrati peculiariter cultui Divino Regis.

1. *Cyrioschema Sacerdotis* sedentis, expectantis, manentis, ianitoris, ostiarii, ut vidimus supra num. XIV. pag. 32.

2. *Circulus* est דור DVR, ianitor ostiarius דירי DIRI. *Circulus* סהר SER, ostiarius שער SCOR.

3. *Brachium* est דרע DRO, porta תרע TRO; *Brachium* אזרע AZRO, custodire servare אצר ATZR.

4. *Flagellum frugum* est מרוח MRVC, חרם CRM est consecratus, addictus.

5. *Hydroschema*, רדה RDE est fluere, effluere, תרע TRO porta, טיר THIR ostiarius, דירי DIRI ianitor, omnia homiophona.


XXVI.

1. *Germen Palmae.* 2. *Apis.* 3. *Semicirculi duo.* 4. *Fragmentum Ellipsis, qua erat Stemma Demiurgi Phtha.*

Immortalem, αιωνοβιον, dilectum, amatum, ηγαπημενον, a Demiurgo Phtha *Ptolemaeum Regem.*

De his vide quae adnotavimus Linea VI. num. 10. et 11: Pag. 10. 11. 12. 13.

# CAPUT III.

## TENTATUR INTERPRETATIO LINEAE OCTAVAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### ART. I.

***Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae VIII. Hieroglyphicae.***

V. 41.... ἱδρυσασθαι δε βασιλει Πτολεμαιῳ θεῳ Επιφανει Ευχαριστῳ... ξοανον τε, και ναον χρυσιον... v. 42. και καθιδρυσαι εν τοις αδυτοις μετα των αλλων ναων, και εν ταις μεγαλαις πανηγυρεσιν, εν αἱς εξωδειαι των ναων γινονται, και τον του θεου Επιφανους Ευ ( χαριστου ναον συνε ) ξοδευειν. Nempe :

Erigi Regi Ptolemaeo Deo Epiphani Eucharisto Statuam et Aediculam auream.... et ea collocari in Adytis prope alias Aediculas, et in magnis Panegyribus, in quibus Aedicularum pompa geritur, etiam Aediculam Dei Epiphanis Eucharisti unâ educi etc.

### ART. II.

***Summa versionis Latinae Lineae octavae Hieroglyphicae.***

*Synedrium praeterea decrevit :* Poni et stabiliri in loco sancto, sacro, puro Statuam Regis, et Aediculam auream. Congregari Sacerdotes Charthumim ad orandum quotidie; Advocari magna Panegyri Augures et Divinos omnes ad respondendum et prophetandum de ( Ptolemaeo ) Neo-Horo. Attolli et gestari in pompa ritu mystico, cantu, et organorum Musicorum pulsatione Aediculam Ptolemaei Neo-Hori immortalis Regis Epiphanis

Eucharisti : Invocari laudari hymnis, et canticis, festo apparatissimo, solemni Panegyri Aedicularum Regiarum etc.

### A r t. III.

### *Analysis Lineae octavae Hieroglyphicae.*



I.

1. *Figura hominis sedentis.* 2. *Siphon* 3. *Hiereogramma.* 4. *Baculus Cucuphocephalus.*

Statua Regis ponatur in sede purâ, sanctâ, in loco Sacerdotali, electo.

1. *Figurâ hominis sedentis* Ideographice significatur Statua et effigies Regis posita et collocata in sede sua, in basi idonea.

2. *Siphon* est שאב scab, simulacrum effigies שבה scbe, posita collocata ישב iscb. Tum *Siphon* est בקק bqq, et בקא bqa est electus, probatus, exploratus, purus.

3. *Hiereogramma*, quia tribus angulis et lineâ rectâ conficitur solvi potest in 1. פאה phae angulo, 2. זקק zqq angulo 3. זוה zve angulo, et 4. קנה qne virgâ, cannâ : Quae homophona vel homiophona sunt פאה phae angulo, parti, loco Templi, 4. זכה zke puro, mundo 5. זהה zee magnifico, splendido. 6. כהן ken Sacerdotali.

4. *Baculus cucuphocephalus* est שבט scbth cum capite חסידה cside Cucuphae, Ciconiae. Atqui שבת scbt est habitatio domus, et חסידה cside est Sanctitas, puritas, pietas.



II.

1. *Metroschema*. 2. *Patera*. 3. *Nodus*. 4. *Metroschema* iterum. 5. *Mucro*.

Sede thymiamatum, loco Sacrificiorum.

1. *Metroschema* est מדד MDD mensura spatii, locus certus, praefinitus. *Mensura* est תכונה TKVNE, ת-כנה T-KNE est sedes, basis, locus certus.

2. *Patera acerra* thuribulum קטר QTHR, quo thymiamata et odores sacri incenduntur. Tum *Patera* est כיר KIR, קער QOR, כר KR foculus, חרה CRE urere, comburere, ריח RIC odor, suffitus.

3. *Nodus* קטר QTHR, ipsum קטר QTHR acerra, thuribulum, arula suffituum.

4. *Metroschema secundum* מ קטר M-QTHR, ipsum thymiaterium, suffitorium מ-קטר M-QTHR.

5. *Mucro* cuspis lanceae est להב LEB flamma, combustio. Tum *Mucro* est חזינה CZINE, et חזאנה CZANE est cella, domus interior, locus repositus et reconditus proprius חזים CZIM, vel Chaldaice חזין CZIN Videntium et Prophetarum.



III.

1. *Semicirculus*. 2. *Ichnogramma*. 3. *Pelvis*. 4. *Hydroschema*. 5. *Linea*. 6. *Hiereogramma*.

Sede propria, pura, loco mundo, expiato, purificato. ( Nam non in unis Templis, sed etiam in Domibus privatis haberi poterant Statuae Regis. Vid. Text. Graecum v. 52. )

1. *Semicirculus* est חצי CTZI dimidium, דור DVR circuli. Atqui חצי CTZI est proprius peculiaris, et דור DVR est etiam habitatio, sedes, mansio.

2. *Ichnographia* Domus Aedis ipsam Aedem indicari Ideographice palam est.

3. *Pelvis* צלח TZLC, סלח SLC mundare, purgare. *Pelvis* כפר KPHR, expiare mundare ipsum כפר KPHR. *Pelvis* טהר THER; mundatus, purificatus ipsum טהר THER.

4 *Hydroschema* est רחץ RCTZ lavare, mundare, חלל CLL lavare, מ חל M-CL mundare purgare, כבס KBS lavare purgare.

5. *Linea* חטה CTHE; mundare, expiare חטא CTHA.

6. *Hiereogrammatis Angulo primo* זוה ZVE, vel פאה PHAE indicatur angulus Templi, cella, adytum, penetrale: *Angulo secundo* זקק ZQQ indicatur זכה ZKE puritas purificatio: *Angulo tertio* מ-קצע M-QTZO indicatur מחצ MCTZ expiatio, ablutio: et tandem *Lineâ rectâ* חטה CTHE etiam expiatio, et purificatio significatur.


IV.

1. *Os oris.* 4. *Tria quadrangula.* 5. *Ichnogramma.* 6. *Circulus Solaris.*

1. *Pelvis.* 2. *Vas ansatum.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Psychogramma.*

Iugiter, perpetuo, omnibus diebus ab Hominibus, ab Aegyptiis.


1. *Os oris* פם PHM, פעם PHOM; vices reditus repetitio plurimorum actuum פעם PHOM, פעמים PHOMIM.

2. *Tria quadrangula* tria רבע RBO, ter רבה RBE multis, plurimis vicibus, longa serie, longo ordine.

3. *Ichnogramma* est etiam פעם POM, פעמות PHOMVT vices, repetitio actuum.

4. *Circulus Solaris* Symbolum diei naturale, Symbolum revolutionis diurnae Solaris: scilicet quoties Sol orietur, quoties Sol gyrum suum absolvet, omnibus diebus.

Sequenti *Syngrammate* significari Homines, Aegyptios, populum Aegyptium diximus supra Lin. VI. n. 15. pag. 16. et Lin. VII. 2. pag. 23.

 V.

1. *Cerastes.* 2. *Iugum bilancis.* 3. *Metroschema.* 4. *Crus.* 5. *Biangulum.* 6. *Cubitus pugno clauso.* 7. *Brachium, cuius pugno.* 8. *Gladius stringitur.* 9. *Os oris.*

Insuper elevent, ponant, firmiter in sede sua constituant lucidissimam et absolutam Schekinam, sive Domunculam sacram.

1. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפה SCPHE eminere, extare. *Cerastes* שרף SCRPH in altum tollere elevare ipsum שרף SCRPH. *Cerastes* צפע TZPHO, יצב ITZB ponere statuere.

2. *Iugum bilancis* est primo על OL elevare in altum tollere. Secundo est מוט MVTH motitare, oscillare, quia motitari et oscillare necesse est, quae gestantur ut collocentur. Tertio dicitur פלס PHLS aequilibrare exaequare, quia quae collocantur aequilibranda sunt ut firmiter maneant.

3. *Metroschema* מד MD, תכונה TKVNE locus, mensura spatii.

4. *Crus pes* שוק SCVQ, platea, locus patens definitus ipsum שוק SCVQ, et רגל RGL basis, fundamentum.

5. *Biangulum* פאה PHAE angulus, פאה PHAE angulus, sedes, locus, basis.

6. *Cubitus* est גמד GMD, et digitis contractis, ut omnino indicaretur גמד GMD contractus, attractus. Homiophonon autem גמר GMR est perfectus, absolutus.

7. *Brachium* stringens Gladium est זרע ZRO אצר ATZR, vel צור TZVR, שכן SCKIN: At שכינה SCKINE est habitaculum aedes, et זהר ZER splenduit fulsit, refulsit est homiophonon temuricum זרע ZRO, et אצר ATZR; Brachio igitur gladium stringente indicabitur Aedicula sacra splendida et perfecta.

7. *Os oris* est גמר GMR docere disserere, et perficere, absolvere. *Os oris* est כלא KLA clamare, הכל EKL est aedes templum, כלה KLE perficere absolvere. *Os oris* est קרץ QRTZ murmurare mussitare, חרץ CRTZ est aurum.

 VI.

1. *Catenula* cum 2. *Ore*. 3. *Cyrioschema Aediculae.*

Auream Aediculam.

1. *Catenula* est חרז CRZ, aurum חרץ CRTZ.

2. *Os oris* כרז CRZ proloqui, iubere, aurum חרץ CRTZ: *Mussitare murmurare* קרץ QRTZ, aurum חרץ CRTZ.

3. *Cyrioschemate* Aediculae שכינה SCKINE Schekina Ptolemaei significatur.



VII.

3. *Tria quadrangula.* 4. *Vasculum* 5. *Quadrangulum.* 8. *Tres Secures.* 11. *Tres fasces Virgarum et bacillorum.*

Magna et plena Panegyri omnes Sacerdotes Chartumim congregentur.

3. *Tria quadrangula* sunt tria רבע RBO, et indicant ter רב RB vel רבה RBE ingentem scilicet, plurimam multitudinem.

4. *Vasculo*, et 5. *Quadrangulo* vel humana conditio, et natura significatur, ut diximus Linea VI. n. 9. p. 9. et Linea VII. 2. pag. 25. vel hîc vasculum כלי KLI indicat כל KL omnes cunctos et *quadrangulum* רבע RBO significat turbam ערב ORB, aut multitudinem רבה RBE, hominum advocatorum.

8. *Tribus Securibus* significari Sacerdotes Charthumim indicatum supra Lin. VI. n. 2. p. 3. Nam securis prima קרדם QRDM, secunda מ-כרת M-KRT, tertia מ-גרז M-GRZ, vel גזרן GZRN sunt Temurae Homiophonae חרטם CRTHM singulari *Charthumim.*

11. *Tribus fascibus* tandem significari congregationem, conventum, panegyrim dictum est Linea VII. n. 18. pag. 35.



VIII.

1. *Gladius.* 2. *Os.* 3. *Gladius alter.*

Ad orandum , ad precandum.

1. *Gladius* est חרב CRB , ברך BRK temura homiophona est benedicere , precari : *Gladius* est מ־אכל M-AKL , חלה CLE est precari , obtestari ; אחל ACL pariter precari , orare : *Gladius* סגר SGR , סגד SGD venerari , procumbere ad orandum.

2. *Os oris* ipsum חלה CLE , אחל ACL precari, orare , צלא obtestari precari.

3. *Gladius secundus* שלח SCLC mittere , emittere homiophonon צלח TZLC vota felicia , prospera auguria , utilia.

 IX.

1. *Os oris.* 2. *Cerastes.* 3. *Circulus Solaris.* 4. *Biangulum.*

Quotidie , singulis diebus.

1. *Os oris* פם PHM , פעם PHOM vices , ictus , actuum repetitio. *Os* כרז KRZ iubere , clamare , קרץ QRTZ mussitare , קרס QRS res curva, incurva, omnia homiophona חרס CRS Solis.

2. *Cerastes* צפעני TZPHONI , quasi צפה-און TZPHE-AVN , observans custodiens tempus, et occulens celans, servans , observans iugiter, perpetuo : ut animadvertimus in *Hieroglyph. Selecta* Sect. I. n. 1. pag. 1.

3. *Circulus Solaris* Schema Cyriographicum conversionis et circuitus קרס QRS, Solis חרס CRS.

4. *Biangulum* est angulus פאה PHAE , angulus , פאה PHAE , sive יפע IPHO , יפע IPHO illuxit resplenduit, ortus est ; Quoties nempe ortus est Sol , ut saepius iam dictum est.

 X.

1. *Schema Panegyris.* 4. *Tria quadrangula.* 5. *Gallinago.* 6. *Os oris.*

Convocentur congregentur magna et plena Panegyri.

1. *Schema Panegyris* Systematicum, קרא QRA, קהל QEL, קוה QVE.

2. *Tria quadrangula* sive *tria* רבע RBO sunt רבה RBE multitudo, רב RB praestantium, רב RB Doctorum.

3. *Gallinago* est קורה QVRE, קרא QRA est congregatio, coetus.

6. *Os oris* ipsum קרא QRA, קהל QEL, קוה QVE.

 XI.

3. *Tria quadrangula in triangulum disposita.* 4. *Securis.* 5. *Cerastes.* 6. *Biangulum.* 7. *Hiereogramma.*

Omnes Augures, Divini, Magi.

1. *Quadrangulum* I. est רבע RBO; הבר EBR significat Astrologos, Inspectores coeli.

2. *Quadrangulum* II. רבע RBO notat חבר CBR Incantatores et Adiuratores.

3. *Quadrangulum* III. רבע RBO significat עבר OBR Interpretes somniorum.

4. *Securis* חצצ CTZTZ, קצצ QTZTZ indicat חזה CZE Videntes, Prophetas.

5. *Cerastes* צפעני TZPHONI significat צפה TZPHE speculantes observantes און AVN tempora, vel צפה TZPHE condentes obtegentes obscura ענה ONE responsa quaerentibus.

6. *Cauda serpentis in Biangulo*, est רגן RGN, שפף SCPHPH, זקק ZQQ vel זוה ZVE; quae homiophona sunt רגן RGN mussitare murmurare, שפה SCPHE labiis, et חזה CZE videre, et צוה TZVE praecipere, docere, respondere.

7. *Hiereogrammate* significari peculiari modo Sacerdotes, Videntes, Prophetantes animadvertimus Linea VII. n. 23. pag. 40.


ח XII.

1. *Phiala aquas effundens.* 2. *Cerastes.* 3. *Semicirculus.* 4. *Biangulum.*

Ad respondendum, prophetandum, divinandum.

1. *Phiala* est אגן AGN, temura homiophona כהן KEN Sacerdotis. *Phiala* est כוז KVZ, חזה CZE est Videns, Propheta. *Phiala* est סף SPH, אשף ASCPH est Augur, Divinus.

2. *Fundere aquas* est נבע NBO; Propheta est נביא NBIA; עין OIN est scaturigo, fons aquae, ענה ONE respondere, עינן OINN Magus, Augur, Divinus *Stillare aquas* est נטף NTHPH; Propheta, Divinus etiam נטף NTHPH.

3. *Cerastes* צפעני TZPHONI solvi potest in צפה TZPHE speculari, observare, nosse ענה ONE responsa prophetica, effata Deorum.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI, medius, דור DVR circulus. Atqui חצי CTZI est homiophonon

חזה CZE videre, prophetare, et דור DVR est homiophonon טיר THIR augurari, divinari.

5. *Biangulum* est זוה ZVE, זקק ZQQ temurae homiophonae חזה CZE videre, prophetare, et רכן RKN angulus homiophonon רגן RGN mussitare murmurare, quod Divinorum et falsorum Prophetarum.



XIII.

1. *Figura hominis sedentis*, *uncinum*, et *flagellum frugum manibus gerentis*. 2. *Siphon.* 1. *Os*. 2. *Schema incompertum*. 3. *Circulus Solaris*. 4. *Quadrangulum*.

De Ptolemaeo Deo, quasi Horo Epiphane et probato.

1. *Figura* sedens *cum uncino et flagello* frugum esse nequit nisi Horus, vel Osiris Dii Magni Aegyptiorum. At quum Horus pingatur adolescens, ut tum erat Ptolemaeus, et Horo prorsus Osiridis filio in Graeco Textu Tabulae v. 10. et 26. Ptolemaeus noster Epiphanes conferatur; utique Figura illa sedens pro Horo est habenda, et maxime *Siphone* adiecto. Nam Ptolemaeus laudatur, quod fuisset probatus, vexatus, exagitatus ut Horus, et *Siphon* בקא BQA est electus, probatus, exercitatus; דלי DLI exhaustus laboribus, ut *Horus* in bello Typhonico. Tum *Siphon* דלו DLV homiophonon טלע THLO, quod est oriri, et דלל DLL manifestare apparere, et *Siphon* סרק SRQ, qui est etiam oriens, illuxit, apparuit egregie indicant *Horum Epiphanem* in Ptolemaeo Eucharisto.

*Alio Syngrammate* indicari tempus ex *circulo Solari* apposito dubitari non potest. Sed quum schema centrale sit adhuc incompertum, nil potest certo definiri.



XIV.

1. *Cerastes*. 2. *Baris gestatoria*. 3. *Bacilli pulsatores*. 4. *Hydroschema*.


Attollant et gestent in pompa.

1. *Cerastes* שפף SCPHPH, et שרף SCRPH eminere, elevare, in altum tollere.

2. *Baris gestatoria*, *Ferculum Baridos* Ideogramma Arcarum, et Ferculorum sacrorum, quae in Pompis gestabantur, et quae dici possunt משא MSCA, משאת MSCAT.

3. *Bacilli pulsatores* נגן NGN, נגע NGO; ducere, adducere נהג NEG; pulsare organa Musica est צלל TZLL, elevare gestare סלל SLL homiophonon.

4. *Hydroschema* יבל IBL fluere effluere; portare gestare etiam יבל IBL. Fluere, lavare חלל CLL, gestare portare יכל IKL.



XV.

3. *Tria quadrangula* 4. *Metroschema*. 6. *Duo Litui*. 8. *Duo Semicirculi*.

1. *Bacilli pulsatores*. 2. *Os*. 3. *Brachium*, cum. 4. *Capreolo* vitis.

Magnâ comitante catervâ; Ritu mystico, cere-

moniis arcanis, organorum musicorum pulsatione, et cantu. Tria quadrangula, tria רבע RBO respondent רבה RBE multitudini רב RB, רב RB magnae ingenti.

1. *Metroschemate*. 3. *duobus Lituis*, et 5. *duobus Semicirculis* significari ritus arcanos, mysticos, magicos diximus Linea VI. n. 7. p. 6. 7.

1. *Bacilli pulsatores* sunt נגן NGN, צרב TZRB, צלל TZLL pulsare organa musica.

2. *Os oris* est כלא KLA clamare, קול QVL vox, חלל CLL est psallere, שור SCVR canere. *Os oris* עדי ODI, הודה EVDE laudare, collaudare.

1. *Brachium* יד ID, איד AID, עוד OVD praedicare, testificari, הוד EVD laudare. *Brachium* זרע ZRO, canere, psallere צרע TZRO.

4. *Capreolus vitis* est זלזל ZLZL homiophonon צלצל TZLTZL psallere, organa musica pulsare.

 XVI.

1. *Naoschema*. 2. *Theogramma Hori*. 3. *Siphon*. 4. *Cidaris*. 5. *Securis*. 6. *Stemma Epiphanis*. 7. *Stemma Eucharisti*.

Aediculam Ptolemaei, quasi Hori probati, immortalis, Regis, Epiphanis, Eucharisti.

1. *Naoschema* signum Cyriologicum, unum ex illis, quae datâ operâ conduntur in hac Scripturâ Crypticâ, ut certa lux Inscriptioni accedat.


2. *Schema Hori*, adeoque ipsius Ptolemaei neo-Hori, ut animadvertimus paullo supra Num. 13. pag. 52.

3. *Siphon* בוק BVQ; בקא BQA probati, exercitati, et immortalis, quia utrumque vox indicat.

4. *Cidaris* כתר KTR symbolum potestatis Regiae, et immortalitatis, ut supra quoque adnotavimus.

5. *Securis* גרז GRZ symbolum summae potestatis, quae גזר GZR decernit, et statuit; symbolum Regis מלך MLK, quia dicitur etiam קלם QLM; Symbolum immortalitatis, quia est קרדם QRDM temura homiophona קדם QDM perpetui, vetustissimi, immortalis.

6. 7. De *Stemmatibus Epiphanis* et *Eucharisti* egimus Lin. VI. num. 12. et 13. pag. 14. et 15.


XVI.

1. *Cerastes.* 2. *Os.* 3. *Bacilli pulsatores.* 4 *Hydroschema.* 7. *Tria quadrangula.*

2. *Duo schemata Oris.* 3. *Semicirculus.* 4. *Brachium.*

Hymnis et canticis eum laudent celebrent, in festo apparatissimo et exornatissimo.

1. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפה SCPHE labium. *Os*, laus, praedicatio. *Cerastes* שרף SCRPH, פרש PHRSC pronuntiare, declarare, exponere.

2. *Os oris*, עדי ODI, הודה EVDE laudare laudibus tollere, שור SCVR canere, שיר SCIR canticum.

3. *Bacilli pulsatores* נגן NGN, נגינה NGINE cantilena, hymnus modulatus.

4. *Hydroschema* שבר SCBR fluctus, ש־בהר SC-BER laudare, glorificare; חלל CLL lavare, et psallere.

1. *Os primum* עדי ODI, עדד ODD parare, ap-

parare, exornare, ipsum עדי ODI festum solemnitas.

2. *Os secundum* כנה KNE nuncupare, cognominare, parare, aptare; זמן ZMN iubere, praecipere, quod ore fit, tempus condictum, festum constitutum.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, חוג CVG *circulus*; et חצי CTZI est proprius, חג CG est festum festivitas. Tum circulus est כור KVR et כרה KRE est parare praeparare.

4. *Brachium* אזרע AZRO, festum festivitas עצרה OTZRE. *Brachium* סעד SOD, congregatio conventus סוד SVD.



XVII.

1. *Gallinago* 2. *Sacerdos* figuram Geometricam *tribus lineis distinctam attingens.*

1. *Lituus.* 2. *Semicirculus.* 3. *Naoschema.* 4. *Forceps.* 5. *Hydroschema.* 6. *Metroschema.*

In magna et solemni Panegyri, qua Aedicula Regis *ducenda est in pompa.*

1. *Gallinago* קורה QVRE vel קרא QRA, Panegyris, congregatio etiam קרא QRA.

2. *Sacerdos* et Figura Geometrica *tribus lineis distincta* sunt Schemata systematica alicuius magnae Panegyris, et festivitatis.

1. *Lituus* לט LTH, לף LPH convolvere, unâ cogere, coadunare: quia in solemni Panegyri Statuae erant a pluribus locis et sedibus educendae.

2. *Semicirculus* est פלג PHLG, פלך PHLK homiophona פלח PHLC ministrare, servire, colere, adesse ceremoniis, et cultui sacro.

3. *Forceps* est מלקח MLQC temura homiophona מלך MLK Regis. Saepius plurali numero effertur מלקחים MLQCIM, et propterea responderet מלכים MLKIM Regibus, quae sententia haud improbabilis est, firmarique posset Textus Graeci auctoritate.

4. *Hydroschema* נסיך NSIK libare libamenta facere; Princeps, Dux, Rex ipsum נסיר NSIR.

5. *Metroschema* מדה MDE, מדע MDO iudex, rector, Rex. *Mensura* משה MSCC; Princeps נ-סיך N-SIK, quae etiam homiophona.

# CAPUT IV.

## TENTATVR INTERPRETATIO LINEAE NONAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### Art. I.

### *Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae Nonae Hieroglyphicae.*

V. 43.... ὁπως δ' ευσημος ῃ νυν τε, και εις τον επειτα χρονον επικεισθαι τῳ ναῳ τας του βασιλεως χρυσας βασιλειας δεκα, αἱς προσκεισεται ασπις. v. 44. ... εςαι δ' αυτων εν τῳ μεσῳ ἡ καλουμενη βασιλεια ψχεντ .... v. 45.... επιθειναι δε και επι του περι τας βασιλειας τετραγωνου κατα το προειρημενον βασιλειον φυλακτηρια χρυσεια. Nempe:

*Et ut Aedicula Regis* facilius agnoscatur, nunc et in futuro tempore, *decrevit Synedrium* imponi Aediculae decem Coronas Regis, quibus adhaerebit Aspis .... et erit in medio earum Regium illud insigne appellatum Pschent, ... et imponi Tetragono coronas circumdanti iuxta praedictum Sacellum Regis Phylacteria aurea etc.

### Art. II.


### *Summa versionis Latinae Lineae nonae Hieroglyphicae.*

*Et ut discernere possint* Aegyptii Aediculam Regis, Coronas appellatas Tzenph imponant Aediculae colendae. Sacerdotes utriusque Regionis, canentes hymnos, et magica murmurantes, luminibus accensis, transferant (Aediculam) in ordinem et seriem ceterarum, canentes adorent, et ibi

maneant Sacerdotes Custodes Sacrarum Stelarum. Tum peractis purificationibus, oblationibus, invocationibus aptent Phylacteria ita dicto Tetragono coronas decem Regias circumdanti Sacerdotes omnium ordinum.

### A r t. III.

### *Analysis Lineae nonae Hieroglyphicae.*



I.

1. *Pelvis.* 2. *Vas auritum.* 4. *Quadrangula duo.* 5. *Semicirculus*, ut videtur, quia Schema est ex parte corruptum.

1. *Naoschema.* 2. *Forceps.* 3. *Hydroschema.* 4. *Metroschema.*

*Et ut discernere possint* ( ὅπως δ' ευσημος ῃ ) Homines, Aegyptii Aediculam Regis.

1. *Pelvi, vase* Homines indicari diximus Linea VI. n. 9., et 15. et Lin. VII. 2.

2. *Duobus quadrangulis* sive duobus רבע RBO indicatur רב RB magna ingens רבה RBE multitudo caterva, Populus.

3. *Semicirculo* sive חצי CTZI, דור DVR propria vera generatio aetas Hominum significatur.

2. *Naoschemate.* 2. *Forcipe.* 3. *Hydroschemate.* 4. *Metroschemate* indicari Aediculam Regis diximus supra Lin. VIII. Num. 17. pag. 56. 57.

 II.

1. *Schema incompertum.* 2. *Cidaris.*

1. *Gallinago.* 2. *Os.* 4. *Duo Semicirculi.* 6. *Duo Aspides divisi.*

Coronam, Cidarim, vel etiam Coronas appellatas sermone Sacerdotali TZNPH.

1. *Schema ignotum*, eo tamen videtur significanda *Corona* Cidaris.

2. *Cidaris corona*, צנף TZNPH. Schema hic Cyriographicum, sive Cyriologicum; de vera enim et reali *Corona* agitur.

3. *Gallinago* קורה QVRE, קרא QRA appellare nuncupare.

2. *Os oris* ipsum קרא QRA appellare, כנה KNE cognominare, נקב NQB nuncupare.

3. *Semicirculus primus* est בקע BQO divisus, medius, קב QB Circulus. Atqui נ-קב N-QB est cognominare, nuncupare.

4. *Semicirculus secundus* est חצי CTZI medius, כור KVR Circulus. Atqui חצי CTZI est proprie, כור KVR est homiophonon קרא QRA appellare, nuncupare.

5. *Aspis primus divisus* est צבע-נוה TZBO-NVE, homiophonon temuricum צנף TZNPH Coronae Cidari.

6. *Aspis secundus divisus* est צפע-נוה TZPHO-NVE etiam homiophonon temuricum צנף TZNPH Coronae Cidari.

Vox autem ψχεντ, quam servat Graecus Textus est Temura Cryptica vocis Semiticae צנף TZNPH Graeca pronuntiatione temperata. Nam ף PH est P-h vel P-ch asperius, et צ TZ, est remissius TS

sive T-S. Adeoque צנף TZNPH erit T-S-N-P-CH Et Temurice P-S-CH-N-T sive *Psichent.*


III.

1. *Lepus.* 2. *Hydroschema.* 3. *Vas ansatum.* 4. *Quadrangulum.*

Ponant, imponant, aptent coronas.

1. *Lepus* שפן SCPHN est homiophonon צפן TZPHN tegere obtegere, adeoque imponere, aptare, et Temura צנף TZNPH Coronae Cidari.

2. *Hydroschema* est צבב TZBB fluere effluere, homiophonon יצב ITZB ponere imponere. Est חלל CLL fluere lavare homiophonon כליל KLIL Coronae. *Hydroschema* est שתה SCTE bibere potare, homiophonon שת SCT ponere imponere.

3. *Vas auritum ansatum* est כלי KLI, אגן AGN, quae homiophona כליל KLIL, גנן GNN, nempe Coronis tegere, coronas imponere.

4. *Quadrangulum* רבע RBO respondet פאר PHAR ornamento Coronae.


IV.

1. *Semicirculus.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Naoschema.* 6. *Tria quadrangula.* 7. *Gladius.* 8. *Coturnix.*

Aediculae purae, illustri, colendae.

1. *Semicirculus* est חצי CTZI דור DVR, nempe propria, peculiaris sedes, mora, habitatio.

2. *Quadrangulum* רבע RBO, figura quadrata

quadrangula, ut illa ipsius Aediculae, Cyriologice.
3. *Naoschema* Schema Cyriologicum.
4. *Tria quadrangula* tria רבע RBO respondentia ברר BRR purae, mundae, בהר BER splendidae illustri, רעבה ROBE colendae, venerandae.
5. *Gladius* מ-אכל M-AKL; אחל ACL preces, חלה CLE deprecari precari, הכל EKL aedes, templum.
8. *Coturnix* שלו SCLV, שלוה SCLVE propitiatio, salus, pax, felicitas; homiophonon צלא TZLA precari supplicare.

 V.

1. *Cidaris duplex*. 2. *Hiereogramma*. 4. *Duo vasa ansata invicem obversa*.

Sacerdotes tam superioris quam inferioris Aegypti.

1. *Cidari duplicis formae* indicatam Systematice superiorem et inferiorem Aegyptum ex num. 4 Lineae X. certum est. *Cidari* indicari potestatem et hîc Sacerdotalem dubitari non potest, agitur enim de actu Sacerdotali. Ergo duplici Cidari indicanda fuit coitio, congregatio Sacerdotum tam superioris, quam inferioris Regionis Aegypti.

2. *Hiereogrammate* significari Sacerdotes superius indicavimus Linea VII. n. 23. p. 40.

3. *Vas rectum ansatum* est כלי KLI, כון KVN, אגן AGN. Atqui כהן KEN Sacerdos est homiophonon כון KVN, et אגן AGN. *Vas* ergo *rectum* indicabit כלי KLI perfectos, כון KVN rectos puros, כהן KEN Sacerdotes.

4. *Vas inversum ansatum* est כלי KLI, כנם

KNS , אגן AGN , sive כנס KNS coetus congregatio , כל KL omnium , כהן KEN Sacerdotum.

Hic autem de Naziraeis singillatim agi putarem. Nam נזר NZR est Cidaris, vas urceus est נזה NZE; auris est אזן AZN temura homiophona נזה NZE , et vasa coniuncta sunt נזה רע NZE-RO , quae homiophona נזר NZR : et conversus obversus est נצר NTZR homiophonon נזר NZR.



VI.

3. *Tria ora.* 1. *Aratrum.* 2. *Os oris.* 3. *Hydroschema.* 4. *Semicirculus.* 5. *Lineae duae obliquae.*

Laudes canentes , magica , arcana , praescripta recitantes.

1. *Os primum* עדי ODI , homiophonon ידה IDE, הודה EVDE laudare , collaudare , laudes canere.

2. *Os secundum* דקם DQM ; חמד CMD temura homiophona est celebrare laudibus.

3. *Os tertium* פה PHE, sermo , oratio, יפה IPHE pulcra , grata.

1. *Aratrum* חרש CRSC magica operari , praestigias facere.

2. *Os oris* חריש CRSC iterum, obmutuit , siluit, praestigias fecit. *Os oris* קרץ QRTZ homiophonon חרש CRSC est mussitare , murmurare, quod Magorum. *Os* חבר CBR loqui proloqui , et praestigias facere.

3. *Hydroschema* שפע SCPHO inundare , exundare : אשף ASCPH magica tractare. *Aqua , fons* עין OIN, מ־עין M-OIN; magus praestigiator עינן OINN, מ־עין M OIN.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI, סחר SCR; חצי CTZI est homiophonon חזה CZE videre nosse, quod Vatum est, et סחר SCR est magica tractare, et temura homiophona חרש CRSC est etiam praestigias facere.

5. *Lineae duae* sunt חוט CVTH, חט CTH Lineae, signa ducta impressa, figurae delineatae Magorum propriae.

 VII.

1. *Quadrangulum.* 2. *Bacilli pulsatores.* 3. *Manus passa.* 4. *Phaoschema.*

Luminibus accensis splendidis lampadibus.

1. *Quadrangulum* רבע RBO, בער BOR est accendere, incendere.

2. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB accendere incendere; נגן NGN pulsare organa, נגה NGE lux, splendor.

3. *Digiti passi* sunt צבע TZBO, פתיח PHTIC: Atqui צבח TZBC homiophonon צבע TZBO est lux lampas, taeda, et פתח PHTC est manifestare clarum reddere.

4. *Phaoschema*, sive Schema Systematicum Lucis, splendoris, et quasi roris et pluviae lucidae respondet fortasse צבח TZBC.

 VIII.


1. *Schema sacri Ferculi.* 2. *Cerastes.* 3. *Metroschema.*

Gestent, portent, transferant *Aediculam Regis coronatam.*

1. *Schema* Cyriographicum Arcae gestatae. Gestare autem est יבל IBL, נטל NTHL, נשא NSCA.

2. *Cerastes* שכף SCPHPH, extare, eminere; *Cerastes* שרף SCRPH, in altum tollere, attollere.

3. *Metroschema* est כלי KLI, et יכל IKL, נקל NQL est gestare, portare, transferre.



IX.

1. *Aedicula sacra, in qua triangulum, quadrangulum, et porta.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Semicirculus.* 4. *Catenula.* 5. *Hiereogramma.*

In ordinem et seriem ceterarum Aedicularum Sacrarum.

1. *Aedicula sacra.* Schema Ideographicum et Systematicum Aedicularum Sacrarum, quarum mentio iniecta est in Textu Graeco v. 42. Insculptum triangulum שלש, SCLSC, et quadrangulum רבע RBO, ut longa רבה RBE, et prolixa earum series, et ordo שלש SCLSC indicaretur.

2. *Quadrangulum* רבע RBO, רב RB est magnus, praestans, magnificus, multus, magno numero.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI *dimidius*, דור DVR *circulus*. Atqui תור TVR ordo, series est homiophonon דור DVR, et חצי CTZI est etiam proprius, conveniens, peculiaris.

4. *Catenula* est חרז CRZ, שלש SCLSC, nempe ordo, series, successio.

5. *Hiereogramma*, fit a tribus angulis פאה PHAE, et lineâ קו QV, rectâ ישר ISCR. Atqui פאה PHAE est homiophonon יפה IPHE decoro, pulcro,

apto, et lineâ קן QV, rectâ ישר ISCR egregie indicatur idonea et conveniens series Aedicularum Sacrarum.



X.

1. *Bacilli pulsatores.* 2. *Oculus.* 3. *Hydroschema.* 4. *Cerastes.*

Canentes, psallentes.

1. *Bacilli pulsatores* נגן NGN, צלל TZLL psallere, canere, נגינה NGINE apta modulatio, cantus.

2. *Oculus* עין OIN, ענה canere. *Videre* שור SCVR ipsum שור SCVR canere.

3. *Hydroschema* חלל CLL, גלל GLL, et psallere, exsultare, זרם ZRM exundare, זמר ZMR canere laudes.

4. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפה SCPHE labium sermo, שרף SCRPH attollere, in altum tollere.



XI.

1. *Gladius.* 2. *Crus.* 3. *Pelvis.*

Adorent, venerentur.

1. *Gladius* סגר SGR, homiophonon סגד SGD procumbere, venerari, adorare.

2. *Crus* כרע KRO, curvare se, procumbere. *Crus* שוק SCVQ, שוח SCVC curvatus, depressus.

3. *Pelvis* קער QOR, כיר KIR; curvare se, prosternere se, procumbere כרע KRO, et קעד QOD homiophona.

 XII.

1. *Hydroschema.* 2. *Crus.* 3. *Siphon.*
Ibique maneant, morentur, perstent.

1. *Hydroschema* צבב TZBB fluere, effluere: יצב ITZB manere, perstare; שבר SCBR fluctus, aquae fractae, et insuper exspectare manere: חלל CLL fluere, lavare, יחל ICL expectare, manere.

2. *Crus rectum*, *pes rectus* est רגל RGL, קום QVM, homo stans, manens, expectans. *Crus* שוק SCVQ, שוח SCVC qui depressus sedens moratur.

3. *Siphon* שאב SCAB, שבה SCBE, ישב ISCB sedere, manere, morari. *Siphon* בקק BQQ, בקא BQA manere permanere.

 XIII.

1. *Pedes angulosi.* 2. *Vasculum.* 3. *Germen Palmae.*
Sacerdotes praestantiores, praecipui, hereditarii.

1. *Pedes angulosi* sunt רגל RGL, רגל RGL, פאה PHAE, פאה PHAE. Nempe viri principes, viri praestantissimi.

2. *Vasculum* כלי KLI, יכל IKL est curator, administrator, praesul.

3. *Surculus incurvus* est כנה KNE, כנע KNO, quae homiophona כהן KEN Sacerdoti. Tum *Palma* est נחל NCL, quae vox significat etiam heredem, hereditarium, qui ex hereditate possedit.

*

 XIV.

1. *Sacerdos Cidari ornatus*, *sed brachiis carens*. 2. *Os oris*. 3. *Stela*, *in qua Porta et Securis*. 4. *Semicirculus*. 5. *Circulus*, ut videtur.

Sacerdotes Sacrarum Stelarum, et Adytorum custodes et inspectores.

1. *Sacerdos* carens brachiis est חרם CRM mancus, vel גמד GMD contractus brachiis: Atqui חרם CRM est addictus, consecratus, segregatus. Tum Cidaris נזר NZR non tantum dignitatem, quam officium Sacerdotis significat, ut Sacerdotes indicentur נזר NZR separati, electi, ad custodiam et inspectionem Stelarum in Adytis.

2. *Schema Stelae* est Ideographicum. Insculpta vero est *Porta* שער SCOR, ut indicetur Sacerdos שער SCOR ianitor, ostiarius, custos Stelarum. Insculpta est *Securis*, symbolum peculiare Sacerdotum, et Scriptorum, ut saepius hac in Tabula animadvertimus.

3. *Os* impositum *Stelae* est Symbolum iussorum, praeceptorum, dogmatum, rituum, quae in Stelis continerentur.

4. *Semicirculus* est בקע BQO *medius*, קב QB *circulus*, et Adytum penetrale dici potest קבה QBE, חביא CBIA.

5. *Schema incertum*. Si Circulus est, sive דור DVR, homiophonon דיר DIR est Ianitor Ostiarius, et טירה THIRE est domus, aedes, et ipsum דור DVR est sedes; mansio.

 XV.

1. *Circulus Solaris*. 2. *Cerastes*. 3. *Semicirculus*.

1. *Metroschema*. 2. *Hydroschema*. 3. *Cerastes*.
Sole eminente et elevato;
Ablutionibus et purificationibus factis, peractis.

1. *Circulus Solaris;* Sol חרס CRS, iam propterea exortus, et in altum sublatus.

2. *Cerastes* שף SCPH, שפה SCPHE extare, eminere; *Cerastes* שרף SCRPH in altum elevari attolli.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI, גלגל GLGL, nempe medio gyro, media revolutione diurna.

1. *Circulus* דור DVR, homiophonon טהר THER mundare, purgare. *Circulus* sive *Annulus* טבע THBO est mergere intingere, purgare aquis. *Circulus* שהר SCER, idem clarum et nitidum reddere.

2. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפע SCPHO fundere, effundere aquas, צפע TZPHO mergere aquis.

3. *Semicirculus* חצי CTZI, *medius*, כור KVR *circulus*. At חצי CTZI est homiophonon זכה ZKE puro, candido, et כור KVR est homiophonon חור CVR candido, mundo.

4. *Metroschema* כלי KLI, כיל KIL mensura, modus, חלל CLL homiophonon est lavare, abluere. *Mensura* משח MSCC, מסח MSC est purgare, tergere, purificare.

5. *Hydroschema* רחץ RCTZ, כבס KBS lavare, abluere, mundare.

6. *Cerastes* צבע TZBO, est intingere immergere aquis, צוף TZVPH fluere, effluere, natare, est etiam mundare, purgare.

 XVI.

1. *Phiala*, ut videtur, cui 2. *Cornua bubula sunt imposita.* 3. *Sacerdos corbem capite gerens.* 4. *Turtur* vel *Gallinago.* 5. *Os oris.* 6. *Semicirculus.*

Oblationibus, muneribus, invocationibus actis peractis.

1. *Phiala* צלח TZLC; munera, oblationes שלח SCLC.

2. *Cornua bovis* sunt יובל IVBL, vel קרן QRN בקר, BQR. Atqui יובל IVBL est homiophonon יבל IBL, היבל EIBL adducere, afferre, offerre, יבול IBVL proventus, fructus, fruges, germina. Temura porro בקר BQR est קרב QRB afferre, adducere munera, oblationes. *Cornua* autem Arietum dicta יובל IVBL plurimi recte et acriter tuentur. Ego teneo etiam *Cornua Boum* dicta יובל IVBL multa auctoritate. Sed etiamsi יובל IVBL referatur ad sonum, ex animadversionibus iamdiu factis a Bocharto in Hierozoico, negari non potest etiam et maxime *Cornua Boum* fuisse קרן QRN cornua יובל IVBL iubilationis et clangoris, et propterea iure nos hîc uti huiusmodi voce.

3. *Sacerdos corbem capite gerens* est Schema non modo Ideographicum, sed etiam Lexeographicum oblationum et munerum. Nam *Corbis* est, vel esse potest קרבן QRBN, unde omnino Latinum *Corbis*, et קרב QRB est accedere, offerre, tradere, dona, munera, oblationes. *Corbis* vero in altum et adeo in caput gestatur, quia *Munerum* et *oblationum* nomina elevationem et sublimitatem si-

gnificant, ut תרומה TRVME, quasi ת-רומה T-RVME altitudo, celsitudo, משא MSCA quasi מ-שא M-SCA vel נ שא N-SCA elevatum, sublimatum.

4. *Turtur* est צלצלא TZLTZLA, צלא TZLA orare, precari, invocare. Si Schema huiusmodi satius *Gallinago* קורה QVRE habendum esset, tum legemus קרא QRA vocare, invocare, quod etiam idoneum.

5. *Os oris* ipsum צלא TZLA orare, ipsum קרא QRA invocare.

6. *Semicirculus* est פלג PHLG *dimidium*, פלך PHLK *Circuli*, quae homiophona פלח PHLC colere, venerari, ministrare.



XVII.

1. *Metroschema.* 3. *Duo Litui.* 5. *Duo Semicirculi.*

1. *Oculus.* 2. *Semicirculus.* 3. *Brachium.* 4. *Metroschema.*

Orationibus etiam Magicis peractis, ornent, exornent, aptent, servanda et custodienda ponant: Phylacteria et amuleta.

1. *Metroschemate*, *duobus Lituis*, et *duobus Semicirculis* significari formulas, preces, et murmura magica et arcana adnotavimus Lineâ VI. n. 7. Pag. 6.

1. *Oculus* נטר NTHR custodire, servare, ידע IDO videre nosse; Temura עדי ODI ornare, aptare.

2. *Semicirculus* פלג PHLG, פלך PHLK, פלח PHLC colere, ministrare, inservire. *Semicirculus* חצי CTZI *medius* דור DVR *circulus*. At חצי CTZI proprie, הדר EDR homiophonon דור DVR est ornare exornare.

3. *Brachium* יד ID, איד AID; עדי ODI ornare, parare, aptare. *Brachium* דרע DRO, הדר EDR ornare exornare *Brachium* סעד SOD est etiam stabilire, firmare, aptare firmiter.

4. *Metroschema* תכן TKN, כנה KNE aptare, ponere, firmare.

Phylacteria, Amuleta, Fasciolas, Bullas averruncas significant eadem Symbola.

1. Idem *Oculus* עין OIN: Symbolum opportune ambiguum tum fascinationis, tum custodiae, et tutelae, עין OIN quidem est etiam auxilium, adiumentum, custodia, adeoque Amuletum.

2. Idem *Semicirculus*, פלג PHLG, פלך PHLK, quae homiophona ת-פלא T-PHLA Phylacteriis, Amuleto, orationi, precibus tutelaribus.

3. Idem *Brachium* זרע ZRO temura homiophona אזר AZR cingere praecingere, אצר ATZR servare, tueri, custodire, צור TZVR similis significationis.

4. Idem *Metroschema* מ-שור M-SCVR שור SCVR est inspicere, tueri.

 XVIII.

1. *Metroschema.* 2. *Vasculum.* 3. *Schema numeri decem*, ut videtur.

Et Coronas decem.

1. *Metroschema* כיל KIL, כליל KLIL homiophonon est corona.

2. *Vasculum* כלי KLI, גלה GLE; Corona כליל KLIL.

3. Schema, ut videtur, numeri decem, adeoque Syngramma responderet verbis v. 43. Inscriptionis Graecae: τας του βασιλεως χρυσας βασιλειας δεκα.

 XIX.

1. *Hydroschema*. 2. *Quadrangulum*. 3. *Anguli duo*. 4. *Semicirculus*. 5. *Hydroschema alterum*. 6. *Semicirculus*. 7. *Lineae duae obliquae*.

1. *Cornix*. 2. *Tetragonum*. 3. *Schemadeletum*.

Regias, proprias Regis ita nuncupato Tetragono.

1. *Hydroschema* מרע MRO manare, dimanare, מר MR dominus, אמיר AMIR Princeps, Rex.

2. *Quadrangulum* רבע RBO, רב RB magnus potens.

3. *Angulus primus* פאה PHAE dux, princeps,

4. *Angulus secundus* פן PHN, princeps, dux.

5. *Semicirculus* est פלג PHLG, פלך PHLK homiophonon פלג PHLG egregius, eximius, mirificus.

6. *Hydroschema* נסיך NSIK fundere, libare, et Princeps, Dux.

7. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, דור DVR *circulus*. At קצין QTZIN homiophonon חצי CTZI est Princeps Dux, et רדה RDE temura homiophona דור DVR est imperare, praeesse, regere.

8. *Lineae duae* sunt שטר SCTHR nempe Praesul, Antistes, dux, sunt שורה SCVRE, et קו QV homiophona שר SCR principi duci, et קוה QVE sperato expectato dilecto, et utraque נטה NTHE inclinata, quae vox significat etiam auctum, amplificatum, dilatatum.

1. *Cornix* קרא QRA, est appellare nuncupare.

2. *Schema Tetragoni* Systematicum, ignotae nobis formationis.

3. *Schema* obscurum; quia et magna ex parte dilectum.

 XX.

3. *Tria quadrangula*. 4. *Gladius*. 5. *Quadrangulum*. 6. *Vasculum*. 7. *Hiereogramma*. 8. *Securis*. 9. et *tres Uncini*. 10. *Cidaris duplex*.

Sacerdotes omnis ordinis et conditionis.

3. Tria quadrangula, tria רבע RBO indicant רבה RBE multitudinem, רב RB magnorum, רב RB Praeceptorum, Doctorum: Et si vis ערף ORPH Magorum, Divinorum; הבר EBR Magorum Astrologorum; עבר OBR Interpretum somniorum, quae nomina sunt omnia temurae homiophonae רבע RBO.

4. *Gladius* est חרב CRB, temura חבר CBR Scriptor, Auctor, Orator, Incantator.

5. *Quadrangulum* רבע RBO, רעב ROB, qui supplicat, orat, ritus et ceremonias peragit.

6. *Vasculum* כלי KLI, כל KL omnes, universi, vel כלה KLE perfecte, recte.

7. *Hiereogrammate* indicari Sacerdotes, Prophetas diximus Linea VII. n. 22. p. 39. et alibi.

8. *Securis* קרדם QRDM homiophonon חרטם CRTHM, et גרז GRZ temura גזר GZR nominis alterius generis Sacerdotum. Si est *Norma* sive קסם QSM indicantur קסם QSM Divini, Prophetae, qui futura praedicunt: qui etiam dicuntur קצים QTZM, et possunt ab ipsa *Securi* קץ QTZ indicari.

9. *Uncini tres*, ter חוח CVC, fortasse ut indicentur חוחים CVCIM homiophonon חכים CKIM Sapientum, doctorum, magistrorum summorum: vel Uncinus primus est כרע KRO, nempe ratio, discretio: Secundus קץ QTZ homiophonon חזה CZE

Videnti Prophetae: Tertius כף KPH homiophonon, כפה KPHE moderatori, curatori, praesidi.

10. *Cidari duplici*, omnem potestatem Sacerdotalem; nempe Sacerdotes tam superioris quam inferioris Aegypti significari animadvertimus supra num. 5. Pag. 63.

# CAPUT V.

## Tentatur interpretatio lineae decimae Hieroglyphicae tabulae Rosettanae.

### Art. I.

*Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae X. Hieroglyphicae.*

V. 46. τι εϛιν του βασιλεως του επιφανη ποιησαντος την τε ανω χωραν, και την κατω; και επει την τριακαδα τουτου Μεσορη, εν ῃ τα γενεθλια του βασιλεως αγεται, ὁμοιως δε και .... v. 47. εν ῃ παρελαβεν την βασιλειαν παρα του πατρος .... etc.

Hoc est Regis qui illustrem reddidit tam superiorem, quam inferiorem regionem Aegypti, et quoniam tricesimum diem Mesori, in quo Natalitia Regis aguntur, et similiter ( diem 17 Mechir ), qua Rex potestatem Regiam ex Patre suscepit.... etc.


### Art. II.

*Summa versionis Latinae Lineae decimae Hieroglyphicae.*

Aegyptii congregati electis canticis laudent et extollant magnum Eucharistum Epiphanem, qui illustrem fecit superiorem et inferiorem Aegyptum. Exornent festum in fine Mesori apparitionis in vera generatione Dei Phtha, *sive in Nativitate Ptolemaei.* Convocentur ad Panegyrim et festum apparatissimum die XVII. Mechir, qua Rex suscepit imperium, defuncto Patre, et ornamentis Regiis indutus fuit, Sacerdotes electi, mundi, puri; Augures, Divini, Magi circa meridiem etc.

## A r t. III.

### *Analysis Lineae decimae Hieroglyphicae.*



I.

1. *Planta Loti Aegyptiae.* 2. *Vasculum ansatum.* 3. *Quadrangulum.*

1. *Semicirculus.* 2. *Brachium.* 3. *Linea.* 4. *Harpago*, ut videtur, sive *Cubitus unguibus aduncis.*

Incolae Aegypti, Aegyptii congregati, coëuntes, festum solemne agentes.

1. *Lotum plantam* fere propriam et peculiarem Aegypto hic symbolum esse Ideographicum ipsius Aegypti et Aegyptiorum arbitror, eoque magis, quod *Lotus* ab Arabibus, aliisque Orientalibus appellari soleat *Planta* מצר MTZR sive *Aegypti.* *Lotus* autem dicitur גלגלאן GLGLAN, et homines sunt גלגלא GLGLA.

3. *Vasculo* et *quadrangulo* significari homines vel multitudinem hominum saepius iam animadvertimus.

1. *Semicirculus* est פלג PHLG medius, חוג CVG circulus, sive פלג PHLG eximium, solemne חג CH festum, Congregatio Sacra.

2. *Brachium* איד AID, homiophonon יעד IOD est festum, conventus: *Brachium* אזרע AZRO, festum עצרה OTZRE.

3. *Linea* קו QV, adunatio, congregatio, coetus קוה QVE.

4. *Harpago uncinus* חוח CVC, festum congregatio religiosa חוג CVG. *Cubitus* גמד GMD, גמר GMR

totus integer. *Cubitus* אמא AMA Populus עם OM, עמה OME societas synagoga. *Unguis* est צפר TZPHR gyrare circum gyrare, homiodynamicum חג CG festum celebrare, exsultare. *Curvus* , *incurvus* עות OVT , festum conventus עד OD, יעד IOD, עת OT tempus opportunum idoneum constitutum.

 II.

1. *Siphon.* 2. *Mensula odoramentorum.* 3. *Manubrium.* 4. *Linea.* 5. *Brachium.* 6. *Cerastes.*

Electis, probatis, iucundis canticis, et hymnis extollant, collaudent.

1. *Siphon* דלו DLV , דלה DLB elevare extollere, דלל DLL manifestare, clarum facere. *Siphon* שרק SCRQ significat optima et praestantissima שרח SCRC narrare, exprimere.

2. *Mensula* est פתר PHTR, et פתר PHTR est exponere declarare. *Mensula* שלחן SCLCN שלח SCLC nuntiare annuntiare. *Odoramenta suffitus* dicuntur בחר BCR , טיב THIB , גמר GMR , קטר QTHR. Atqui בחר BCR est electus, טוב THVB bonus praestans eximius, גמר GMR docta elegans expositio, קטר QTHR ligata colligata, nempe poësi, carmine.

2. *Manubrium* est הגן EGN decorus, decens, idoneus, הגון EGVN sermo eloquens, הגו EGV cantus, oratio, hymnus, carmen. *Manubrium* est etiam זבור ZBVR , nempe Psalmus, hymnus, Canticum , carmen.

3. *Linea recta* est קו QV, הגן EGN, quae homiophona קוה QVE, הגו EGV coetui conventui canentium hymnos et cantica.

4. *Brachium* איד AID, הודה EVDE laudare, confiteri, celebrare.

5. *Cerastes* שפף SCPHPH, שפה SCPHE labium sermo.



III.

1. *Quadrangulum.* 2. *Lituus.* 3. *Vultur.* 4. *Pelvis.* 5. *Aspis divisus.* 6. *Pelvis altera.*

Magnum, mirabilem, *Ptolemaeum* Eucharistum Epiphanem.

1. *Quadrangulum* רבע RBO, רב RB est magnus praestans.

2. *Lituus* לף LPH, פלא PHLA mirabilis, celsus, sublimis.

3. *Vultur* רחם RCM; pietas, misericordia, Ευχαριςια etiam רחם RCM.

4. *Pelvis prima* דוד DVD charus dilectus. *Pelvis* צלח TZLC felix, pacificus, bonus, utilis, Ευχαριςος.

5. *Aspis* אפעא APHOA, homiophonon יפע IPHO est splenduit, effulsit, apparuit, επιφανης fuit; fractus divisus חצי CTZI temura homiophona צחח TZCC splendidus, lucidus, επιφανης.

6. *Pelvis secunda* אגן AGN temura homiophona נגה NGE splenduit illuxit, επιφανης fuit.



IV.

1. *Siphon.* 2. *Pala*, ut videtur. 3. *Vipera.* 4. *Phaoschema.*

2. *Choreschemata duo.* 4. *Cidares duae.*

Qui illustrem, splendidam, dominatricem reddidit tam superiorem quam inferiorem Regionem Aegypti.


1. *Siphon* דלו DLV, דלל DLL manifestare, clarum reddere. *Siphon* שרק SCRQ est etiam splendere, coruscare, radiare.

2. *Pala* חתר CTR, quod etiam est gloriosus, electus, splendidus. *Pala* est מרדא MRDA, Dominus, dominator, imperans רדה RDE.

3. *Vipera* אפעא APHOA, homiophonon יפע IPHO splendere coruscare.

4. *Phaoschema* sive Schema systematicum lucis, coruscationis, splendoris.

1. *Choreschemata duo*, et *duae Cidares* sunt Schemata Systematica superioris et inferioris Aegypti. Idque certum est, tum considerata vetustissima et constantissima Aegypti Chorographiâ, qua divisa Aegyptus fuit in superiorem maxime et inferiorem Regionem: Tum auctoritate Textus Graeci eiusdem Tabulae Rosettanae, qua legimus *την τε ανω χωραν, και την κατω*. De Choreschemate porro egimus Linea VI. n. 17. p. 18.



V.

1. *Aratrum.* 2. *Os oris.* 3. *Hydroschema.* 4. *Semicirculus.* 6. *Lineae duae obliquae.*

1. *Lepus.* 2. *Hydroschema.*

Praeparent, exornent Festum, Solemnitatem.

1. *Aratrum* חרש CRSC, parare, machinari, operari, exornare ipsum חרש CRSC.

2. *Os oris* הוד EVD laudare, הדד EDD clamare

invocare, עדה ODE ornare, exornare, decorare.


3. *Hydroschema* טבע THBO *aquis mergere*; טוב THVB, יטב ITHB parare, idoneum reddere, ornare: ירד IRD *fluere*, *effluere*, temura homiophona הדר EDR est ornare, exornare.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, צבט TZBTH *circulus*. Atqui חצי CTZI est proprius peculiaris, et צבת TZBT homiophonon צבט TZBTH, est ornare exornare. Praeterea *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, דור DVR *circulus*; et הדר EDR est ornare parare.

6. *Duae lineae* חיט CITH, חוט CVTH sunt suere, adsuere, circumdare, sunt filamenta, aulaea, vela in apparandis festis necessaria, et *obliquae* sunt נטע NTHO, quod est dilatare, expandere, etiam congruenter de velis, et aulaeis.

1. *Lepus* est חגס CGS, et aequivalet חג CG, et חס CS. Atqui חג CG est Festum et Solemnitas, et חסה CSE est refugium, spes, confidentia, et חוס CVS pius, purus, sanctus. *Lepus* est ארנבת ARNBT, quod aequivalet בית BIT domui, aedi, רנה RNE cantui, psalmodiae, Templo. *Lepus* est שפן SCPHN, ספן SPHN est tegere obtegere, et נשפה NSCPHE Temura homiophona שפן SCPHN significat sublimia, celsa, magna, et נפש NPHSC alia temura est anima, spiritus. En ergo caussas ob quas *Lepus* maxime selectus est ab Aegyptiis ad Sacra et Liturgica significanda.

2. *Hydroschema* נוח GVC fluere effluere, temura חוג CVG festum solemnitas.


VI.

*Hieroglyphicum , sive Syngramma systematicum Mesori postremi mensis anni Aegyptii. Eius partes sunt.* 1. *Quatuor Menisci cornibus ad terram obversis.* 2. *Parallelogrammum duobus*, vel *potius tribus lineis distinctum.* 3. *Cauda dentata* , ut ego reor. 4. *Circulus Solaris.*

In postrema die Mensis Mesori.

1. *Meniscorum cornua* sunt ad terram conversa , ut in eis possimus legere ירח IRC Lunam, et קמר QMR pariter Lunam , quemadmodum animadvertimus ad Hieroglyphica selecta ex Horo Sect. I. n. 4. p. 4.

2. *Menisci* sunt quatuor , ut Luna Mensis XII. ut ego coniicio , indicaretur, si in Parallelogrammo sunt tres Lineae non duae tantum signatae, et indicant multiplicationem 4. per 3.

3. *Cauda* זנב ZNB est etiam extremitas , finis, terminus, et dies 30 Mesori est omnino finis anni Aegyptii, Epagomenis non numeratis. *Dens* autem est שן SCN , et annus שנה SCNE.

4. *Circulus* Solaris adiectus est , ut significetur Annum Aegyptium non esse plane Lunarem , sed formae mixtae , et etiam ad Solem Astronomos Aegypti respexisse in constitutione Festorum et totius Kalendarii. Et quoniam Hieroglyphica mensium , quae in Monumentis Aegyptiorum occurrunt Anno Nabonassari , qui nec Solaris , nec Lunaris fuit, convenire nequeunt , et contra ad Solis et Lunae cursum referri constanter prodant, omnino tenendum videtur saltem ab aetate prio-

rum Lagidarum fuisse Aegyptiis annum Luni-Solarem certum et constantem, a vero et Astronomico vel minime, vel minimum discrepantem. Adeo ut finis Mesori, et initia Thoth iam tum circa finem Augusti Iuliani, vel primos dies Septembris nostri insertis Epagomenis inciderint. Quod profecto aliis etiam argumentis ex ipsa Tabula Rosettana petitis potest luculenter probari.


VII.

1. *Polyangulum.* 2. *Rami curvi.* 3. *Circulus Solaris.* 4. *Siphon.* 5. *Securis.* 6. *Spiculum.* 7. *Crux ansata.*

*Festum, inquam*, apparitionis, manifestationis, verae et propriae generationis.

1. *Polyangulum*, sive plures פאה PHAE, sunt pluries homiophonon יפע IPHO apparuit, illuxit, resplenduit. *Polyangulum* est פעם PHOM incessus, gressus, vestigium, adventus, apparitio.

2. *Rami incurvi* sunt שוך SCVK, שוח SCVC. Atqui שוח SCVC est etiam apparere, oriri. Tum *Rami propagines* sunt שבק SCBQ, et שבח SCBC est *curvus*, שבך SCBK *implexus*, quae omnia sunt in Schemate; et homiophonon צבח TZBC est oriri, illucescere, splendere.

3. *Circulus Solaris* est דור DVR, vel גיל GIL חרס CRS. Atqui כרש KRSC est uterus, et דור DVR, et גלה GLE, גיל GIL significant genesim, generationem. Tum *Sol* Ideographice exorientem aliquam lucem significat.

4. *Siphon* דלו DLV, foras educere, foras apparere דלה DLE, דלל DLL, et homiophonon פלע

THLO exoriri, apparere: *Siphon* שרק SCRQ, oriri, apparere, et homiophonon זרח ZRC est tertio oriri, apparere.

5. *Securis* חצץ CTZTZ est proprius, peculiaris, specialis. *Securis* est חלילה CLILE, et חול CVL, חולל CVLL est parcere, edere partum.

6. *Spiculum* est חץ CTZ, חצי CIZI proprium speciale. *Telum* פתיח PHTIC apertio, apparitio. *Telum* שלח SCLC missus, demissus, et שלה SCLE vel שיל SCIL foetus, partus.

7. *Crux ansata* ex circulo דור DVR vel גיל GIL, et lineâ decussatâ sive שכל SCKL facta generationem felicem, fortunatam significat.



VIII.

1. *Vipera.* 2. *Semicirculus.* 3. *Hydroschema.* 4. Schemata adhuc incerta, fortasse *Phalli triplasii* cryptici.

Lucidissimi et splendidissimi Phtha.

1. *Vipera* אפעא APHOA, יפע IPHO fulgere, effulgere, illustrare.

2. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, דור DVR *Circulus*. At זכה ZKE est purus, lucidus, צחי TZCI splendidus candidus, et טהר THER homiophonon דור DVR est etiam purus, et lucidus.

3. *Hydroschema* est נהר NER *aqua* et lux; יאר IAR *fluvius*, אור AVR lux.

4. *Duo Phalli* sunt פת PHT, שני SCNI, sive Symbola Dei Phtha secundi, Iani Pat-ulcii. Vid. Lin. VI. Num. 11. pag. 14.



IX.

1. *Cucurbita.* 2. *Hiereogramma.* 3. *Panegyreoschema.*

1. *Brachium.* 2. *Metroschema.* 3. *Gallinago* vel *Turtur* 4. *Linea.*

Advocentur, convocentur ad Solemnitatem et Panegyrim.

1. *Cucurbita* קראא QRAA, קרא QRA convocare, advocare.

2. *Hiereogramma* factum est ex linea קו QV, et tribus angulis פאה PHAE. Atqui קוה QVE est congregatio conventus; פאה PHAE est Princeps, ductor, vir praecipuus; et est homiophonon פעה PHOE voci, inclamationi.


3. *Panegyreoschema*, Schema systematicum conventus et congregationis, קרא QRA, קהל QEL, ut superius animadvertimus.

1. *Brachium* סעד SOD, congregatio concilium סוד SVD. *Brachium* אזרע AZRO, solemnitas עצרה OTZRE.

2. *Metroschema* מד MD ritus, modus. *Metroschema* כיל KIL, קהל QEL congregatio conventus.

3. *Gallinago* קורה QVRE, Congregatio קרא QRA. Si est *Turtur* תור TVR, satius etiam Congregationem et solemnitatem significabit, ut ex pluribus locis Biblicis Xantes Pagninus, aliique viri doctissimi iam pridem collegerunt.

4. *Linea* קו QV, קוה QVE conventus, coetus.



X.

6. *Sex Schemata obscurae potestatis.* 7. *Patera inversa.* 8. *Brachium.* 9. *Situla dentata,* vel *ansulata.*

Ad solemnem, inquam, et magnam Panegyrim, ad Festum et Solemnitatem.

6. Si *sex* illa priora obscura *Schemata* sunt *tres Fasces* et *tres Semicirculi* opportune Panegyrim et congregationem significabunt. V.pag.35. 48.

7. *Patera* כיר KIR, קערה QORE homiophona קרא QRA congregationi, conventui, homiophonon קוד QVD est procumbere venerari. *Inversa* est כנס KNS, et ipsum כנס KNS est congregatio, conventus.

8. *Brachium* איד AID, יעד IOD conventus, עד OD festum.

9. *Situla* est דלי DLI, דלל DLL manifestare, notum facere, promulgare. *Situla* est חגי CGI, festum חג CG; dentes sunt שן SCN שן SCN, et שין SCIN vel שאן SCAN est placatio, reconciliatio.



XI.

2. *Duo Semicirculi.* 5. *Ora tria.*

Apparatissimam, exornatissimam.

1. *Semicirculus primus* est פלג PHLG *dimidius,* דור DVR *circulus.* At פלג PHLG etiam est egregie eximie, et דור DVR est homiophonon הדר EDR ornare exornare.

2. *Semicirculus secundus* est חצי CTZI *medius*, צבט TZBTH *circulus*. At חצי CTZI est proprio, peculiari modo, צבת TZBT est exornare, apparare.

3. *Os primum* est פה PHE, פהה PHEE, homiophonon יפה IPHE decorare, decorum reddere.

4. *Os secundum* est עדי ODI, quod est etiam ornare et exornare.

5. *Os tertium* est פאר PHAR laudare glorificare, et decorare ornare.



XII.

1. *Cidaris* 2. *Herba virens*. 3. *Duo Menisci inversi*. 4. *Semicirculus*. 5. *Circulus*. 6. *Numerus XVII.*

Die XVII. Mensis Mechir.

1. *Cidaris* est כסה KSE nempe tegumentum capitis: At כסה KSE est etiam tempus Interlunii, et silentii Lunaris. *Cidaris* ergo hic notat Interlunium, primum tempus, sive Periodum mensis Lunaris.

2. *Virens vel nova Herba* est חדש CDSC, דשא DSCA; cui voci si addis כ, K, *explicativum* habebis כ-דשא K-DSCA alterum homiophonon חדש CDSC Novilunii. Tum *Germina* sunt quinque חמש CMSC, ut indicaretur quinta dies a כנש KNSC coniunctione Solis et Lunae: quae dies est secundum tempus, sive periodus Mensis Lunaris.

3. *Menisci* inversi ipsam Lunam significant, cur duo autem Menisci Mensi sexto assignentur mihi ignotum est. Illud tamen ex dictis et adhuc dicendis certum est, fuisse servatam in Mense Mechir, ut fieri poterat, mensis Lunaris essentiam et phasium ordinem.

4. *Semicirculus* Ideographice indicabit Lunam mediam: Tum *medius* est חצי CRZI, *circulus* סהר SER, quumque סהר SER sit etiam Luna *Semicirculo* indicabitur Luna media, sive tertia Periodus mensis Lunaris. *Semicirculus* est חצי CTZI דור DVR, vel etiam סחר SCR. At חרס CRS Sol est temura סחר SCR: Ergo proprius cursus et gyrus Solis indicabitur insuper Semicirculo.

5. *Circulus* דור DVR, vel סחר SCR, gyrum revolutionem חרס CRS Solis notabit: sine qua nec Mensis Lunaris esset. Tum *Circulus* est סהר SER, et סהר SER, vel שהר SCER est Luna, eaque rotunda et plena, quae Periodus quarta mensis Lunaris.

6. *Numerus* XVII est numerus dierum Mensis huius *Mechiri*.

 XIII.

1. *Oculus*. 2. *Hydroschema*. 3. *Cerastes*. 4. *Gladius* 5. *Triangulum*. 6. *Lituus*.

Die qua accepit, *Ptolemaeus* potestatem, imperium.

1. *Oculus* חזה CZE videre cernere temura homiophona אחז ACZ accipere adsumere. *Oculus* נטר NTHR inspicere intueri, et custodire, servare. quod Regum est. *Oculus* עין OIN homiophonon און AVN robori potentiae potestati.

2. *Hydroschema* ירד IRD fluere effluere, רדה RDE capere accipere, רדה RDE ipsum imperium, dominationem, potestatem. *Hydroschema* חלל CLL fluere lavare, homiophonon כול KVL et וכל VKL capere, accipere, חיל CIL potestatem, potentiam; et temura homiophona לקח LQC sumere accipere.

3. *Cerastes* שף SCPH, שפ-ת SCPH-T, temura תפש TPHSC est prehendere adsumere, שפט est potestas iudicandi et decernendi, quae Regibus propria.

4. *Gladius* חרב CRB temura homiophona קרב accessit adpropinquavit, attigit. *Gladius* מ-אכל M-AKL, כול KVL, וכל VKL accipere adsumere.

5. *Triangulum* שליש SCLISC series, successio, ordo, princeps, dux.

6. *Lituus* לט LTH, puer adolescentulus טל THL, ut tum *Ptolemaeus. Lituus* לף LPH, res curva, involuta, puer puellus לף LPH.


XIV.

1. *Mumia.* 2. *Vasculum.* 3. *Quadrangulum:* 4. *Germen Palmae.*

Die scilicet, qua defuncto Patre, Filius puer et heres *Ptolemaeus* in imperio successit.

1. *Mumia* est Schema Ideographicum hominis defuncti.

2. *Vasculum* lecythus צלח TZLC procedere succedere feliciter, prospere; גלה GLE venire, advenire ex גלה GLE generatione.

3. *Quadrangulum* רבע RBO; עבר OBR est transire, pervenire, procedere, et רביא RBIA est puer adolescentulus.

4. *Germen* Ideographice genitum, filium notat; et Lexeographice, quum dicatur יצא ITZA, significabit etiam filium natum יצא ITZA. Tum *Germen* est אמיר AMIR, et מר MR est dominus herus, et אמיר AMIR est Princeps, Rex. *Palma* est נחל NCL, et heres, qui ex hereditate possidet, et succedit in potestate et dominatione.


XV.

1. *Brachium.* 2. *Metroschema.* 3. *Metroschema* cum 4. *Scala.* 5. *Circulus.* 6. *Brachium* cum 7. *Capreolo Vitis.* 8. *Cidaris.*

Die quo Coronatus fuit, et Regiis vestibus indutus *Ptolemaeus.*

1. *Brachium* est זרע ZRO, זר ZR corona, cidaris Regia. *Cubitus* גמד GMD pannus, mensura.

2. *Metroschema* מדד MDD, מד MD vestis, *Mensura* כיל KIL, Corona כליל KLIL.

3. *Metroschema* cum 4. *Scala* est מדד MDD cum סלם SLM. Atqui מד MD est vestis, et שלם SCLM est pariter vestis.

5. *Circulus* est זר ZR, corona ipsum זר ZR. *Circulus* est גלגל GLGL, vestis indumentum גיל GIL, vel גלם GLM. *Circulus* est כור KVR, כורך KVRK, quae sunt etiam vestis et indumentum.

6. *Brachium* דרע, DRO, אדר ADR vestis magnifica. *Capreolus.* זלזל res rotunda; adeoque corona.

8. *Cidaris* לט LTH, לף LPH involvere circumvolvere, quod vestibus fit. *Cidaris* זר, צנף TZNPH. Schema hîc *Cyriographicum.*


XVI.

1. *Sacerdos* 2. *Corbem capite gerens.* 3. *Surculus Palmae.* 4. *Semicirculus* 5. *Gladii duo.* 6. *Noctua* cum 7. *Brachio.*

Sacerdotes hereditarii, consecrati, selecti, sancti.

1. *Sacerdotis* figura Ideographica.

2. *Corbis* est קרבן QRBN, קרב QRB propinquare, accedere, offerre, munera tradere Diis, Numinibus, quae *Sacerdotis* sunt.

3. *Surculus Palmae* est כנה KNE, נחל NCL, vel צא TZA נחל NCL. Atqui כהן KEN est Sacerdos, נחל NCL hereditarius, et יצא ITZA נחל NCL est filius heres, qui patri succedit in re, munere.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI *medietas*, דור DVR *circuli*. Imo חצי CTZI propria, דור DVR generatio.

5. *Gladius primus* est חלף CLPH, qui in loco alterius succedit, qui alteri substituitur.

6. *Gladius secundus* חרב CRB temura חבר CBR socius sodalis, in collegiis vivens, in societate aliorum, et ברך BRK genuflectens, et benedicens.

7. *Noctua* כוס KVS cum 8. *Brachio* איד AID est כוס-איד KVS-AID homiophonon חסיד CSID Sancte, pure, caste; quae omnia *Sacerdotum* sunt

 XVII.

1. *Semicirculus*. 2. *Cerastes*. 3. *Quadrangulum*. 4. *Cerastes secundus* 5. *Gladii duo*. 6. *Siphon*.

Magi, Prophetae, Divini praestantissimi.

1. *Semicirculus* est חצי CTZI *dimidius*, סחר *circulus*. At חצי CTZI est homiophonon חזה CZE videre prophetare, סחר SCR est praestigias et magica operari.

2. *Cerastes primus* est צפעני TZPHONI, quod aequivalet צפה TZPHE speculari, advertere, considerare, און AVN tempora, et inde ענה ONE responsa, divinationes dare.

3. *Quadrangulum* רבע RBO homiophonon עבר

OBR somniorum interpreti, et חבר EBR Astrologo.

4. *Cerastes secundus* שרף SCRPH Temura פשר PHSCR interpretari, explicare. *Cerastes* שף SCPH, Magus אשף ASCPH.

5. *Gladius primus* חרב CRB, Temura חבר CBR Incantator, Magus: Porro חבר CBR est loqui narrare.

6. *Gladius secundus*, סף SPH', Magus אשף.

7. *Siphon* דלו DLV, דלל DLL manifestare pandere, quae דלה DLE exhaurienda sunt ex occulto et abdito.



XVIII.

1. *Os oris.* 2. *Cerastes.* 3. *Schema incertum, forte quatuor circuli coniuncti.* 4. *Quadrangulum.* 5. *Hiereogramma.*

1. *Circulus Solaris.* 2. *Semicirculus.* 3. *Iugum bilancis.* 4. *Pelvis.*

Congregentur, inquam, Sacerdotes, Vates, Augures in Meridie, medio die.

1. *Os oris* ענה ONE respondere, referre, ענן ONN augurari, hariolari, מעונן MOVNN Augur Hariolus. *Os oris* כשף KSCPH orare, mussitare, et praestigias operari.

2. *Cerastes* Serpens שרף SCRPH, נחש NCSC, sive שפר SCPHR aperiens declarans, נחש NCSC Auguria, Oracula.

3. *Schema* incertum: Si exhibet *quatuor Circulos* una coniunctos, habebimus in *primo Circulo* דור DVR homiophonon טיר THIR augurari; in *secundo Circulo* סחר SCR facere praestigias, et in Temura homiophona חרש CRSC etiam magica

operari; In *tertio Circulo* קסף QSPH homiophonon כשף KSCPH Augures; In *quarto Circulo* פלך PHLK פלל PHLL כ-פלל K-PHLL augurari, divinare: Et in mutua coniunctione חבר CBR Incantatores, Magos, et in numero quaternario רבע RBO alios Magos, et Divinos habebimus.

4. *Quadrangulum* רבע RBO vel respondet רבה RBE magnae multitudini, vel הבר EBR Astrologis, vel עבר OBR somniorum Interpretibus.

5. *Hiereogrammate* Sacerdotes, et Videntes indicari non semel dictum est.

1. *Circulus Solaris* ipsum Solem, sive potius cursum, et gyrum קרס QRS, חרס CRS Solis, nempe ipsum diem significat.

2. *Semicirculus* est חצי CTZI *dimidius*, דור DVR *circulus*: imo חצי CTZI *dimidium* דור DVR gyri, revolutionis Solaris, Meridies: Quin דור DVR est homiophonon טהר THER Meridiei.

3. *Iugum Bilancis* est על OL, משח MSCC: At על OL est sublimior celsior pars משח MSCC mensurae, quod omnino hic quidem Meridies est. *Iugum* porro *bilancis* est Schema Ideographicum aequilibrii et aequalitatis.

4. *Pelvis* est ספל SPHL, Temura פלס PHLS est aequilibrare, in duas aequas partes dividere. Tum *Pelvis* dicitur טהרה THERE, et טהר THER est ipse Meridies. Vid. Lin. VII. Num. 19. pag. 36.

# CAPUT VI.

## TENTATVR INTERPRETATIO LINEAE UNDECIMAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### Art. I.

*Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae undecimae Hieroglyphicae.*

V. 47. αγειν τας ἡμερας ταυτας ἑορ ( την … κατα την αι ) v. 48. γυπτον ἱεροις κατα μηνα ; και συντελειν εν αυτοις θυσιας τε , και σπονδας, και τ' αλλα τα νομιζομενα , καθα και εν ταις αλλαις πανηγυρεσιν etc. Scilicet :

*Synedrium iussit :* Agere per hos dies ( 30. Mesori , et 17. Mechir ) Festum et Solemnitatem in omnibus per Aegyptum Templis ; et perficere in eis sacrificia , libamina , et cetera legitima , sicut et in aliis Solemnitatibus etc.

### Art. II.

*Summa versionis Latinae Lineae undecimae Hieroglyphicae.*

Orent , precentur , augurentur , divinent die XVII. Mechir , et postrema Mesori. Fiat Panegyris in omnibus Templis , purificentur , psallant , mystica peragant , canant Victorias Regis. Canentes abluant Statuas Regis. Fiat Panegyris plenaria in Interlunio , et circa Meridiem augurentur et responsa reddant Populo congregato. Certas preces imperent , et supplicandi ritum doceant ; tum monitus Deorum et auguria coelestia prodant multitudini collectae etc.

## Art. III.

### *Analysis Lineae undecimae Hieroglyphicae.*

 I.

1. *Gladius primus.* 2. *Coturnix.* 3. *Noctua*, vel *Turtur*, vel *Cornix*, ambiguum enim est Schema, *et Brachium.* 4. *Gladius secundus.* 5. *Gladius tertius.*

Orent, precentur, pie et sancte supplicent.

1. *Gladius primus* מ-אכל M-AKL; חלה CLE precari supplicare; אחל ACL preces, supplicationes.

2. *Coturnix* שלו SCLV, שלה SCLE bona, fausta, felicia, צלא TZLA homiophonon est precari supplicare.

3. *Noctua* כוס KVS, et *Brachium* יד ID efficiunt כוס-יד KVS-ID homiophonon חסיד CSID pie, sancte. Tum *Noctua* est קדיה QDIE, *Brachium* סעד SOD, si voces coniungimus habebimus קדיה-סעד QDIE-SOD, quae sunt homiophona קדש QDSC sancte, pie, et הודה EVDE confiteri, laudare. *Turtur* est צלצלא TZLTZLA, et צלא TZLA est orare precari. *Cornix* est קרא QRA invocare, inclamare, et adeo laudes et orationes recitare. *Brachium* איד AID homiophonon הודה EVDE laudi, cantico recte et his coniungitur.

4. *Gladius secundus* est חרם CDM, temura חמר CMD est precatio, supplicatio.

5. *Gladius tertius* est סגר SGR, homiophonon סגד SGD est precari et supplicare stratum humi. Tum פלה PHLE est dividere, secare, quod Gladii est, et ת-פלה T-PHLE est supplicatio rogatio.

 11.

1. *Oculus.* 2. *Lituus.* 3. *Biangulum.* 4. *Semicirculus.* 5. *Circulus Solaris.* 8. *Tria quadrangula.*

Augurentur, divinent, responsa reddant.

1. *Oculus* עין OIN, homiophonon ענה ONE est respondere, sacra responsa reddere. Tum Magi, Divini sunt עונן OVNN, et מעונן MOVNN, מעין MOIN. *Oculus* nempe videre cernere est ראה RAE, חזה CZE, et ראה RAE, חזה CZE dicti Vates et Augures. *Oculus* est ידע IDO nosse, videre, ידעני IDONI sunt Magi, et Divini.

2. *Lituus* לט LTH, לף LPH, symbolum doctrinae involutae et arcanae, ut illa est Augurum, et Divinorum. Tum פלל PHLL temura לף LPH Litui est augurari, divinare.

3. *Biangulum* sive angulus זקק ZQQ, angulus מ קצע M-QTZO respondent חזה CZE Videnti, Vati, Prophetae.


4. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, דור DVR *circulus.* Atqui חזה CZE videre vaticinari est homiophonon חצי CTZI, et טיר THIR augurari est homiophonon דור DVR.

5. *Circulus Solaris* est סחר SCR, חרס CRS. Atqui סחר SCR est praestigias exercere, et חרש CRSC homiophonon חרס CRS, est iterum praestigias facere.

6. *Quadrangulum primum* רבע RBO respondet חבר CBR, uni ex generibus Magorum et Hariolorum.

7. *Quadrangulum secundum* רבע RBO respondet הבר EBR, alteri generi Magorum.

8. *Quadrangulum tertium* רבע RBO respondet עבר OBR, alii etiam Divinorum generi.

 III:

1. *Gladius*. 2. *Quadrangulum*. 3. *Vasculum*. 4. *Circulus Solaris*. 5. *Numerus* XVII.

Mechiri die XVII.

1. *Gladius* est מכרה MKRE homiophonon *Mechiri*, mensis Aegyptii sexti.

2. *Quadrangulo* רבע RBO, et *Vasculo* כלי KLI puto indicari רב RB magnam, כיל KIL mensuram Mensis Aegyptii, ut is discernatur a Mense Lunari brevioris et minoris mensurae.

3. *Circulo Solari* dies notari ideographice palam est.

3. *Numerus* XVII. arguitur etiam ex Textu Graeco Tabulae Rosettanae, v. 6.

 IV.

1. *Cauda dentata*. 2. *Circulus Solaris*. 3. *Metroschema*.

1. *Meniscus inversus*. 2. *Stella pentagona*. 3. *Semicirculus*. 4. *Circulus*. 5. *Pelvis*.

Et die postremo Anni Luni-Solaris, sive Mesori 30.

1. *Cauda* est זנב ZNB, finis extremitas pariter זנב ZNB. *Dens* est שן SCN, annus שנה SCNE. *Cauda* ergo *dentata* significabit terminum, sive postremum Anni diem, qui erat 30 Mesori in anno Aegyptio, Epagomenis non numeratis.

2. *Circulus Solaris* Solem ipsum significat, a quo Annus efficitur.

3. *Metroschema* מדד MDD, mensura, modus: ut indicetur annum Aegyptium metiri cursu et revolutione Astronomica Solis.

1. *Meniscus* obversus Symbolum Lunae, ut dictum etiam Linea X. num. 6. pag. 82. et in quo leguntur ירח IRC, et קמר QMR, quae sunt Lunae nomina, et significat proprie Lunam crescentem.

2. *Stella* est symbolum Noctis Ideographicum; et Lexeographicum Lunae. Nam *Nox* est לילא LILA, et Luna הלאל ELAL. Est pentagona sive quinque חמש CMSC radiis constans, ut indicaretur Luna decrescens, deminuta, quasi spoliata חמס CMS, abrepto lumine.

3. *Semicirculus* est פלג PHLG, vel יזה IZE, medius, et סהר SER Circulus. Atqui סהר SER est etiam Luna; adeoque medius Circulus significabit Lunam mediam, media parte a nobis visibili lucidam et splendentem.

4. *Circulus* est זר ZR, Luna זהרא ZERA. *Circulus* סהר SER, Luna pariter סהר SER. Ergo *Circulo* hîc significatur Luna plena, perfecta, et tota, qua parte a nobis cernitur, splendida.

5 *Pelvis* קשה QSCE, כוס KVS, Interlunium et silentium Lunare כסה KSE. *Pelvis* כיר KIR Luna ירח IRC temura homiophona.

Hoc igitur Syngrammate Hieroglyphico omnes Lunares Phases exprimi arbitror: Scilicet 1. Interlunium significari puto *Pelvi*. 2. Lunam crescentem *Menisco*. 3. Lunam mediam *Semicirculo*. 4. Lunam plenam et perfectam *Circulo*. 5. *Stellâ pentagonâ* Lunam decrescentem, et integro suo splendore spoliatam. V. Lin. X. n. 6. p. 82. et n. 12. p. 87. 88.

 V.

1. *Hiereogramma.* 2. *Panegyreoschema.* 3. *Cornix.* 6. *Tres Gladii.* 9. *Tria Biangula.*

Fiat congregatio, habeatur Panegyris in omnibus Templis, in omnibus Aedibus sacris.

1. *Hiereogrammate*, et 2. *Panegyreoschemate* indicari Congregationem et conventum sacrum diximus Linea X. num. 9. Pag. 85. quo loco pro 3. *Cornice* קרא QRA, quae hîc apposita est, apposita fuerat *Cucurbita* קראא QRAA.

2. *Tribus Gladiis* significari Templa et Aedes Sacras vidimus Linea VII. Num. 9. p. 28. Hîc autem addita sunt sapienter *tria Biangula*, ut *angulis* פאה PHAE inspectis de veris Aedibus et Templis agi certo sciremus.

 VI.

1. *Vasculum.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Cupressus.* 4. *Semicirculus.* 5. *Circulus.* 6. *Gladius.* 7. *Coturnix.*

Fiant expiationes, et purificationes, reconciliationes cum Diis legitimae.

1. *Vasculum* כלי KLI, גלה GLE; מ-חיל M-CIL purificare mundare. *Vasculum* אסיך ASIK, mundare expiare מ-סח M-SC. *Vasculum* ex quo aquae *stillant distillant* appellari potest נטף NTHPH, et purgare expiare est idem נטף NTHPH.

2. *Quadrangulum* רבע RBO, purgare expurgare ברר BRR. *


3. *Cupressus* גפר GPHR, homiophonon כפר KPHR expiare, et symbolum solemne purificationum penes plures Gentes.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius*, דור DVR *circulus*. Atqui מ-חצ M-CTZ est abluere, lavare, et זכה ZKE temura homiophona חצי CTZI est purgare, expiare, et טהר THER homiophonon דור DVR est purus, expiatus.

5. *Circulus*, *Annulus* est טבע THBO, quod est etiam mergere, immergere, lavare, adeoque purificare.

6. *Gladius* שלח SCLC; purgari a debitis et peccatis, purificari סלח SLC; רצח RTZC est *transfodere* confodere, רחצ RCTZ lavare, abluere.

7. *Coturnix* שלוה SCLVE homiophonon סלח SLC remitti debita, purgari a peccatis et debitis.

 VII.

1. *Manubrium*, ut videtur 2. *Bacilli pulsatores*. 3. *Hydroschema*. 6. *Tria quadrangula*.

1. *Hiereogramma*. 3. *Duo Litui*. 5. *Duo Semicirculi*.

Organa musica pulsent, magica et mystica murmurent.

1. *Schema* primum videtur esse *Manubrium*, et quod nos Itali dicimus *Maniglia*, etsi aliquantum diversum ab illo Schemate Lineae X. num. 2. quod pariter *Manubrium* diximus. *Manubrium* autem Semitice est זבור ZBVR, הגן EGN, quae egregie faciunt cum ceteris symbolis, quibus significari pulsationem organorum Musicorum Linea VI. Num. 6. diximus. De secundo autem *Syn-*

*grammate* egimus eadem Linea VI. Num. 7. p. 6. 7. et Lin. VIII. N. I. pag. 43.

 VIII.

1. *Catenula.* 2. *Brachium.* 3. *Circulus.* 4. *Schema incertum.* 5. *Siphon.*

1. *Semicirculus*, sed fere deletus. 2. *Os oris.* 3. *Brachium cum aduncis unguibus.*

1. *Forceps.* 2. *Vipera.* 3. *Tria quadrangula.*

Canant, laudent, collaudent, extollant Victoriam, et triumphum Regis.

1. *Catenula* חרז CRZ, oratio, rhythmus ipsum חרז CRZ, כרז KRZ promulgare, praedicare. *Catenula* שירה SCIRE, שור SCVR canere, laudare.

2. *Brachium* זרע ZRO, canere צרע TZRO. *Brachium* איד AID, laudare collaudare הודה EVDE.

3. *Circulus* סהר SER, vel שהר SCER, Canere, laudare שור SCVR.

4. *Schema incompertum....*

5. *Siphon* דלו DLV, דלל DLL praedicare, manifestare.

1. *Semicirculus* est חצי CTZI, דור DVR, חצי CTZI sive נ-חצי N-CTZI est temura נצח NTZC Victoriae, et זכה ZKE temura homiophona חצי CTZI est pariter Victoria. Praeterea דרר DRR homiophonon דור DVR est liberare, in libertatem oppressos vindicare, qui Victoriae effectus.

2. *Os oris* דקמ DQM, temura קדמ QDM Victoriae. *Clamare* זעק ZOQ, Victoria זכה ZKE.

3. *Brachium cum unguibus aduncis*, sive *Harpago*: *Brachium* est חצן CTZN temura נצח NTZC Victoriae: *Unguis* est טפר THPHR, Victoria pa-

riter טפר THPHR, et *curvus incurvus* corripiens, quasi *Harpago* est חרף CRPH temura homiophona צפר TZPHR ungui, et טפר THPHR Victoriae.

1. *Forceps* מ-לקח M-LQC temura homiophona מלך MLK Regis.

2. *Vipera* אפעא APHOA, פאה PHAE Dux, Princeps.

3. *Quadrangulum* I. רבע RBO, רב RB magnus, praestans, magnificus.

4. *Quadrangulum* II. רבע RBO, אביר ABIR potens, fortissimus, excellens.

5. *Quadrangulum* III. רבע RBO homiophonon רביא RBIA pueri, adolescentuli, ut tum Ptolemaeus.

 IX.

1. *Catenula cum* 2. *Brachio.*

1. *Oculus.* 2. *Circulus.* 3. *Semicirculus.* 4. *Pelvis.*

Canentes, psallentes abluant purificent.

1. *Catenula* est שירה SCIRE, שור SCVR canere, cantare, *Catenula* חרז CRZ, ipsum חרז CRZ oratio rhythmica, quam possumus canere.

2. *Brachium* איד AID, הודה EVDE canere laudes, laudare. *Brachium* זרע ZRO, canere צרע TZRO.

1. *Oculus* עין OIN, fons, scaturigo, aqua, qua ablutiones fiunt.

2. *Circulus, annulus* טבע THBO, aquis mergere, immergere, adeoque abluere, et lavare.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI, דור DVR. Atqui זכה ZKE temura homiophona חצי CTZI est mundare purgare, et temura צחח TZCC est purus limpidus; דור DVR est homiophonon טהר THER puro mundo.

4. *Pelvis* כפר KPHR, purgare purificare. *Pelvis* טהרה THERE, טהר THER mundare purgare.



X.

1. *Semicirculus.* 2. *Coturnix.* 3. *alius Semicirculus*, sed fere deletus. 4. *Mumia.*

1. *Hydroschema.* 2. *Oculus.* 3. *Metroschema.* Statuas, et Simulacra Regis Ptolemaei, easque Vestibus ornent.

*Priore Syngrammate* significari Statuas et simulacra diximus Linea VI. num. 4. et 5. pag. 4 et 5; et Lin. VII. num. 13. p. 31.

*Secundo Syngrammate* significari Regem probatur hoc modo.

1. *Hydroschema* est רדה RDE *fluere effluere*, et imperare, dominari, praeesse. *Hydroschema* est נסך NSIK *libare, fundere*, Princeps, Rex.

2. *Oculus* עין OIN, *Custos inspector* נטר NTHR, נזר NZR Rex Princeps; נצר NTZR, observare tueri, Custos, Praefectus, adeoque etiam Rex.

3. *Metroschema* מדד MDD, מדה MDE, מדע MDO est Iudex, Arbiter. *Mensura* משיח MSCIC, et Rex quasi mensura et metrum est omnium, vel unctus, Rex. Nam etiam Aegyptiis Reges fuisse unctos, vel delibutos liquoribus ex pluribus Hierodramatibus constat.

Eodem autem Syngrammate significatur Statuas Regis fuisse Vestibus convenientibus ornatas. Nam:

1. *Hydroschema* est גל GL *fons scaturigo*; גלל GLL involvere, vestire, גלם GLM vestis. *Fluxus fluvius* שבל SCBL, לבש LBSC vestis: סול SVL *fluxus, effluxus*, et סול SVL, שלם SCLM vestis. *Fluere* רדה RDE, אדר ADR, vestis magnifica.

2. *Oculus* עין OIN, עון OVN velum tegumentum.
3. *Metroschema* מד MD, vestis indumentum idem מד MD. *Mensura* משיח MSCIC, מסיך MSIK est tegere, obtegere, cooperire.


XI.

1. *Panegyreoschema.* 4. *Tria quadrangula.* 5. *Metroschema.* 6. *Pelvis.*

1. *Gladius.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Vasculum.* 4. *Malum granatum, ut videtur*, 5. *Quadrangulum.*

1. *Pulvinar.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Stella pentagona.* 4. *Circulus Solaris* 5. *Pelvis.*

Fiat Panegyris plenaria Sacerdotum in Interlunio, Luna silente, circa silentium Lunae.

1. *Panegyris* Schema Systematicum, et iam notum est.

2. *Tria quadrangula* sive tria רבע RBO respondent רב RB Praeceptoribus, Doctoribus, רב RB magnis, illustribus, רב RB multis, magnae רבה RBE multitudini.

3. *Metroschema* מדד MDD est ritus, ratio, lex, nempe legitimo et praescripto modo.

4. *Pelvis* קערה QORE homiophonon קרא QRA, Panegyri: *Pelvis* כלי KLI, כלה KLE, plenaria.

1. *Gladius* מכרה MKRE, temura homiophona קמר QMR Lunae, et מ-ירח M-IRC pariter Lunae.

2. *Quadrangulum* רבע RBO respondet עבר OBR transire, esse in transitu, scilicet in Solis coniunctione.

3. *Vasculum* אסיך ASIK, כסה KSE est silentium Lunae. Qui autem hic mavult mensem *Mechil* pag. 97. non errare puto.

4. *Schema* ignotum; si *Malum granatum inversum* רמאן RMAN, quasi רם RM, און AVN, quasi initium temporis, mensis.

5. *Quadrangulum* secundum רבע RBO, ערב ORB tenebrae Interlunii, silentium lucis in Nocte.

1. *Pulvinar* est כסת KST, כסה KSE, et כר KR: At ירח IRC temura כר KR est Luna, et כסה KSE est Interlunium, sive silentium Lunae.

2. *Quadrangulum* est רבע RBO, et symbolum Terrae, tum quia haec putabatur formae quadratae רבע RBO, tum quia germinaret quod est, etiam רבע RBO, et Silentium Lunae habetur quum in eadem Linea sunt Terra, Luna, et Sol.

3. *Stella Veneris* dicitur הילל EILL, Luna הלאל BLAL, quae invicem homiophona, ut etiam homiophona לילא LILA Nocti, qua solent a nobis animadverti illi Planetae. Dati radii quinque חמש CMSC, ut status Lunae in Interlunio indicaretur, quasi חמס CMS praedatae, direptae, quia luce caret, ut etiam adnotavimus paullo supra Num. IV. Pag 98.

4. *Circulus Solaris* sive Sol adpositus, quia ex coniunctione directa Lunae cum Sole fit Coitus Lunae, sive Luna silens. Et profecto in Syngrammate Hieroglyphico Terra prior, sive Quadrangulum, Luna Cryptice in Stella Veneris Pentagona latens, et tandem remotior Sol.

5. *Pelvis* est כיר KIR, est קער QOR temurae homiophonae ירח IRC Lunae. *Pelvis* est קשה QSCE, כוס KVS homiophona כסה KSE Interlunio, et silentio Lunari.



XII.

1. *Circulus Solaris.* 2. *Semicirculus.* 3. *Iugum bilancis.* 4. *Pelvis.*

1. *Oculus.* 2. *Lituus.* 3. *Semicirculus.* 4. *Metroschema.*

1. *Panegyreoschema.* 4. *Tria quadrangula.*

In Meridie, circa mediam Diei partem, augurentur, divinent, responsa reddant multitudini congregatae, populo et plebi collectae.

*Primo Syngrammate* significari Meridiem, mediam diei partem ostendimus Linea X. Num. 18. pag. 92.

Altero Syngrammate significatur Divinatio. Nam

1. *Oculo* et 2. *Lituo* responsa Vatum arcana, et auguria significari probatum est supra Num. 2. Pag. 96.

2. *Semicirculo* magica et divinatoria notari dictum Linea VI. num. 7. pag. 7. Linea IX. num. 6. Pag. 64.

3. *Metroschema* מדד MDD, משח MSCC significat praescriptum, significat ceremonias ratas, statas, certas, iam constitutas.

4. *Tertio Syngrammate* congregationem, coetum, conventum plurimorum hominum significari adnotatum est Lineâ VII. num. 18. pag. 55. Linea VIII. Num. 10. pag. 50. Et supr. n. XI. p. 104.

 XIII.

1. *Gladius*. 3. *Duo vascula*. 4. *Siphon*. 5. *Gladius alter*. 6. *Coturnix*, vel *Turtur*, quia pars posterior Schematis corrupta.

Doceant omnes orare, certas et statas preces omnibus proponant, iniungant.

1. *Gladius* מ־אכל M-AKL, כל KL omnes, cuncti, חלה CLE precari, אחל ACL preces.

2. *Vasculum primum* כלי KLI, חלה CLE precari.

3. *Vasculum secundum* גלה GLE, homiophonon כל KL omnibus, et אחל ACL precibus, et כלא KLA clamare, indicere.

4. *Siphon* דלו DLV, דלל DLL praedicare, manifestare, notum facere. *Siphon* סרק SRQ, שרח SCRC docere, explanare, declarare.

5. *Gladius secundus* סגר SGR, סגד SGD supplicatio. *Gladius* חרב CRB, חבר CBR annuntiare, declarare, indicere.

6. Si est *Coturnix* שלו SCLV, שלה SCLE sunt pacifica, felicia *auguria*. Si *Turtur* צלצלא TZLTZLA, צלא TZLA est orare precari.

 XIV.

1. *Bacilli pulsatores*. 2. *Quadrangulum*. 3. *Sacerdos*, vel *homo supplex*. 4. *Pelvis*.

Doceant etiam supplicationes, rogationes, prostrationes legitimas.

1. *Bacilli pulsatores* נגע NGO, צלל TZLL,

קרב QRB, דחה DCE : Hîc veros frontis vel aliorum membrorum in terram appulsus, ictus, et pulsationes religiosas significari arbitror.

2. *Quadrangulum* רבע RBO est homiophonon רעב ROB supplicationi, humili rogationi.

3. *Sacerdos*, vel *homo* supplex Ideographice supplicationes ipsas significat.

4. *Pelvis* קערה QORE, קעד QOD est procumbere, genua flectere, procidere super genua, adeoque venerari, supplicare.


XVI.

1. *Oculus*. 2. *Stella pentagona*. 3. *Semicirculus*. 4. *Bacilli pulsatores*. 5. *Hydroschema*.
3. *Tria quadrangula*. 4. *Cornix*. 5. *Naoschema*.

Et monitus Coeli, Auguria Coelestia, omina Stellarum annuntient, prodant omni coetui et multitudini in Templis et Aedibus sacris congregatae.

1. *Oculus* עין OIN, ענה ONE, ut dictum, sunt responsa, monitus Augurum.

2. *Stella* Schema Cyriographicum. Facta *Pentagona*, sive expressi radii quinque חמש CMSC, ut indicetur Coelum שמיא SCMIA, vel temura homiophona נחש NCSC augurari, divinare, et fortasse augurari et divinare per חמש CMSC כוכב KVKB, sive per quinque Stellas errantes, sive Planetas, qui dicuntur חנש CNSC, ut animadvertimus ad *Hieroglyph. selecta*. Sect. I. num. 9. pag. 9.

3. *Semicirculus* est פלג PHLG *dimidium* פלך PHLK *Circuli*, vel דור DVR. Atqui פלל PHLL

est augurari, ominari, et פלך PHLK Coelum ipsum, et טיר THIR homiophonon דור DVR est pariter augurari, ominari.

4. *Bacilli pulsatores* sunt נגן NGN, נגע NGO, et נגה NGE est splendor, lux; et Planeta Veneris.

5. *Hydroschema* עין OIN, fons scaturigo: ענן ONN augurari, hariolari, ענה ONE reddere responsa auguralia. *Aqua fluvius* נהר NER, et lux, splendor etiam Stellarum.

3. *Tria quadrangula* sunt tria רבע RBO, et respondent רב RB Magnae, רבה RBE multitudini, ערב ORB catervae Populi.

4. *Coturnix* קרא QRA: advocatae, convocatae, collectae:

5. *Naoschema*: Figura Ideographica, Cyrioschema: nempe in Templis et Aedibus Sacris *Aegypti*.

# CAPUT VII.

## Tentatur interpretatio lineae duodecimae Hieroglyphicae tabulae Rosettanae.

### Art. I.

### *Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae duodecimae Hieroglyphicae.*

V. 49. αγειν δε ἑορτην, και πανηγυριν τῳ αιωνοβιῳ, και ηγαπημενῳ ὑπο του Φθα βασιλει Πτολεμαιῳ θεῳ Επιφανει Ευχαριστῳ, κατα ενιαυτον... v. 50. χωραν, απο της νουμηνιας του Θωυθ, εφ' ἡμερας πεντε, εν αἱς και στεφανηφορησουσιν συντελουντες θυσιας, και σπονδας, και τ' αλλα τα καθηκοντα etc. Nempe:

Agere Festum et Panegyrim in honorem immortalis et dilecti a Phtha Regis Ptolemaei Epiphanis Eucharisti per singulos annos, *et per totam* Regionem, a Novilunio Thoth per dies quinque, in quibus coronas etiam gerent, qui peragunt sacrificia, et libamina, et alia omnia legitima etc.

### Art. II.

### *Summa versionis Latinae Lineae duodecimae Hieroglyphicae.*

*In honorem dilecti a* Demiurgo Phtha Regis Epiphanis Eucharisti singulis annis a Neomenia Mensis Thoth, quae est in principio anni, per dies quinque fiat Festum apparatissimum et Panegyris Sacerdotum, Magorum, Cantorum, Musicorum circa Meridiem ad Statuas et Tabernacula Regis. Coronati Aegyptii per omnia Templa et aedes Sacras Regionis offerant munera, organorum

Musicorum pulsatione, Regi Epiphani Eucharisto, legitimisque vicibus orantes libent, offerant, sacrificent pure, sancte, devote.

## A r t. III.

### *Analysis Lineae duodecimae Hieroglyphicae.*



I.

1. *Psychogramma*, sive *Ellipsis*, *cum symbolis Demiurgi Phtha*. 2. *Securis*. 3. *Stemma Epiphanis*. 4. *Stemma Eucharisti*.

*In honorem Ptolemaei dilecti* a Demiurgo Phtha, Regis, Epiphanis, Eucharisti.

Vid. Lineam VI. Num. 11. 12. 13. Pag. 11. ad 15.



II.

1. *Circulus*. 2. *Quadrangulum primum*. 3. *Uncinus dentatus*. 4. *Semicirculus*. 5. *Quadrangulum secundum*.

Anno recurrente, singulis annis, *κατ' ενιαυτον*.

1. *Circulus* est גור GVR, gyrus revolutio, דור DVR aetatum, generationum: גיל GIL evolutio cursus, גלה GLE, גלגלא GLGLA generationum, hominum. Est כור KVR, et כיר KIR homiophonon est tempus; אפן APHN rota circulus est etiam tempus.

2. *Quadrangulum primum* רבע RBO, homiophonon רב RB, רבה RBE multo, longo, prolixo tempore.

3. *Uncinus* est קץ Q'TZ, et קיץ QITZ dicitur aestas, anni pars. *Uncinus* est קציר QTZIR, messis etiam קציר QTZIR. *Dens* est שן SCN, Annus שנה SCNE. *Uncinus* est חרף CRPH, et חרף CRPH dicitur hyems, pars tristior et frigidior Anni, quae invalescit etiam in Aegypto. *Uncinus* sive Falx incurva dicitur זמר ZMR, et זמר ZMR est ver, pars Anni florida et herbida. Adeo ut *Uncino* omnes Anni partes, sive totus *Annus* exhibeatur.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI *dimidium*, כור KVR *Circuli*. Atqui חרה CRE est ver, aestas, et קיץ QITZ messis, aestas.

5. *Quadrangulum* רבע RBO significat etiam pullulare, germinare, herbescere initium nempe Anni Rustici foecundi.

 III.

1. *Germina herbae virentis.* 2. *Brachium.* 3. *Gallinago clauda.*

1. *Theca calamaria*, ut videtur. 2. *Germina herbae virentis.*

A Neomenia, a Novilunio Mensis Thoth.

1. *Herba virens*, *nova*, *recens* est דשא DSCA, ירק IRQ, חדש CDSC. Atqui ירק IRQ est homiophonon ירח IRC Lunae, et חדש CDSC est etiam Luna nova, Novilunium, Mensis, et כ־דשא K-DSCA quasi *herba* est homiophonon חדש CDSC Novilunio. Igitur *Herbae virentis*, adeoque *novae germina* erunt egregium Lexeoschema Novilunii, quod propterea iure imitati sunt Sinenses.

2. *Brachium* est זרע ZRO, Luna זהורה vel זהרה ZERE, quae a Novilunio potest recte ita

appellari, quia iam זהר ZER splendet et lucet. *Brachium*, Cubitus גמד GMD, Luna קמר QMR. *Brachium* סעד SOD, סוד SVD conventus, congregatio, quae habenda est in *Neomenia*.


3. *Gallinago* קורה QVRE, vel קרא QRA, temura homiophona ירח IRC Lunae : et Symbolum congregationis et conventus in Neomenia faciendi.

4. *Clauda* est Avis nempe חג CC, vacillans, ut indicetur Festum חג CG Neomeniae.

1. *Theca calamaria*, ut plures tenent, est Symbolum *Ideographicum* Dei Thoth omnis Scripturae inventoris et institutoris. Praeterea homiophona nomini *Thoth* sunt דיו DIV atramentum, et תאה TAE, תוה TVE signare, signa ducere; et חטה CTHE scribere conscribere.

2. *Hiereogrammatis* Linea est חוט CVTH, חטה CTHE scribere, describere, et Anguli significant Sacerdotum praecipuos et praestantiores Scriptores, Scribas, peculiariter Thotho sacros. Vid. pag. 39. 40.

3. *Herba virens* כ-דשא K-DSCA, חדש CDSC indicat Mensem, et Lunam *novam* חדש CDSC.



IV.

1. *Circulus Solaris.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Spiculum duobus quasi dentibus hinc inde instructum.* 4. *Semicirculus.* 5. *Os oris.*

Anno ineunte, in principio Anni.

1. *Circulus Solaris*, Sol חרס CRS, a quo fit Annus.

2. *Quadrangulum* רבע RBO, est etiam germinare, oriri, incipere: Quasi novo Anno germinante. Porro רבע RBO est temura homiophona ברא BDA

incipere , initium facere, exordiri. Tum רבע RBO est temura עבר OBR ire, transire, cursum peragere.

3. *Spiculum* פתיח PHTIC , aperire , manifestare, adeoque exordiri , incipere. *Spiculum* חלל CLL transfodere , חלה CLE initium : *Spiculum* שנן SCNN , Annus שנה SCNE ; *duo* Dentes שני SCNI, שנן SCNN homiophona שנה SCNE Anno.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius* , הלכה ELKE *circulus* : At חצי CTZI est etiam proprius , חלה CLE temura homiophona הלכה ELKE est initium, principium.

*5. *Os oris* est עדי ODI ; עד OD tempus , adeoque hîc Annus. ענה ONE canere , respondere , עון OVN, און AVN tempus, Annus ipse Latinorum. *Os oris* דקם DQM; oriens, incipiens, tempus, aevum קדם QDM.



V.

1. *Polyangulum*. 2. *Circulus Solaris*. 3. *Numerus quinque*. 4. *Nodus*. 5. *Plantae inclinatae*.
Per dies quinque, Neomenia iam inclinata.

1. *Polyangulum* פעם PHOM vices , reditus dierum ; פאה PHAE , פאה PHAE , sive יפע IPHO, יפע IPHO splendoris , et lucis Solaris.

2. *Circulus Solaris* , Sol חרס CRS , a quo dies efficitur.

3. *Numerus quinque* est numerus dierum quinque, quinque vicium diurni Solaris cursus.

4. *Nodus* עקד OQD est inclinare sese , ad finem vergere. *Nodus* est קשר QSCR temura homiophona חדש CDSC Novilunii.

5. *Herba nova* est דשא DSCA , כ־דשא K-DSCA ,

symbolum , ut diximus , Lunae et Mensis חדש CDSC novi. Pingitur autem inclinata , quia dies quintus a Neomenia iam eam transiisse , et quasi inclinatam demonstrat. Tum נטע NTHO inclinatus est etiam planta, germen, adeoque *Herba*.

 VI.

1. *Os*. 3. *Quadrangula duo a Sculptore praetermissa* 4.. *Bacilli pulsatores*. 5. *Hydroschema*.

3. *Tria quadrangula*. 4. *Siphon*. 5. *Panegyreoschema*.

1. *Chiliogramma*. 2. *Lituus*. 3. *Duae Lineae obliquae*. 4. *Schema ignotum*. 7. *Tria quadrangula*. 8. *Siphon*.

Fiat Solemnis et apparatissima Panegyris Sacerdotum , et Magorum omnis generis.

1. *Os oris* עדי ODI , עד OD festum solemnitas, יעד IOD coetus congregatio , עדד ODD , עדי ODI ornare apparare.

2. *Quadrangulum* I. רבע RBO , ערב ORB turba , caterva.

3. *Quadrangulum* II. רבע RBO , רבה RBE multitudo , turba.

4. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB ; צבר TZBR , צרף TZRPH coetus , conventus , congregatio.

5. *Hydroschema* חלל CLL , קהל QEL congregatio : *Hydroschema* גל GL , גלל GLL , est acervus , cumulus , adgregatio ; שעה SCOE fluctus סוע SVO congregatio.

3. *Quadrangula tria* , ter רבע RBO , ter רב RB ingens plena multitudo.

*

4. *Siphon* ניק NIQ evacuans, educens erit etiam Symbolum congregationis : Non potest enim locus unus impleri nisi alio *evacuato*. Tum ניק NIQ est temura homiophona כהן KEN Sacerdotis.

5. *Panegyreoschema* est Schema Ideographicum, ut saepius iam monuimus.

1. *Chiliogrammate* indicari Sacerdotes puto, quia *mille* est אלף ALPH, et אלף ALPH est etiam Doctor, Praeceptor, פלא PHLA sublimis, mirificus: et *Linea* sive *Canna* קנה QNE est temura homiophona כהן KEN, Sacerdotis.

2. *Lituo* לוט LVTH, לף LPH, et *duabus Lineis* חיט CITH, חטט CTHTH Sacerdotes pariter indicari ex iis, quae saepius superius observavimus, colligere pronum est. *Lituo* enim לף LPH significari possunt אלף ALPH Praeceptores, לט LTH rerum *arcanarum* Doctores, et *Lineis* eos qui Scribunt חטה CTHE, qui Sacra et Liturgica describunt.

3. *Schemate* incomperto similia designari est praesumendum.

4. *Tribus quadrangulis* tribus רבע RBO, חבר CBR, הבר EBR, עבר OBR tria Magorum genera iam superius indicata possunt et hîc designari.

5. *Siphone* ניק NIQ indicantur כהן KEN Sacerdotes, נקא NQA puri, sancti, ניק NIQ purgati, mundati: קנא QNA rerum Sacrarum *solliciti*.

 VII.

1. *Triangulum*. 2. *Os*. 3. *Harpago*, vel *Brachium* cum *unguibus incurvis*.

1. *Funis serpentiformis*. 4. *Tria quadrangula*. 5. *Catenula*, cum 6. *Brachio*.

1. *Circulus Solaris*. 2. *Semicirculus*. 3. *Iugum Bilancis*. 4. *Pelvis*.

Et Musicorum, Psallentium, et Cantorum *conventus fiat* circa Meridiem.

1. *Triangulum* שלש SCLSC indicat Trichordon, instrumentum Musicum, speciem pro genere.

2. *Os oris* הודה BVDE laudare celebrare, שור SCVR canere, הגה EGE, ענה ONE pariter canere.

3. *Brachium* cum *Unguibus incurvis* est זרע ZRO cum טפר THPHR, טרף THRPH. At צרע TZRO est cantare, canere, et פרט PHRTH temura טפר THPHR, et טרף THRPH, est Musicis dare operam.

1. *Funis* est אטן ATHN, טנן THNN est tinnire, sonare, sonos edere, et תנין TNIN Serpens est homiophonon. Tum עגל OGL temura קול QVL vocis, cantus est *Funis* et *Serpens tortuosus*. Et יתר ITR est *funis*, et chordae Musicae.

2. *Quadrangulum* I. רבע RBO, temura ערב ORB suaviter, docte, et homiophonon ערף ORPH Cantoris, Musici.

3. *Quadrangulum* II. רבע RBO homiophonon רביע RBIO instrumento Musico.

4. *Quadrangulum* III. רבע RBO, homiophonon ארביע ARBIO simili Musico instrumento.

Disposita vero sunt in *Triangulum*, *Quadrangula*, ut indicentur Trichorda, sive שלשים SCLSCIM.

5. *Catenula* est שירה SCIRE, שור SCVR canere psallere, שיר SCIR canticum.

6. *Brachium* זרע ZRO, canere צרע TZRO, צרח TZRC vocem tollere, attollere.

*Tertio Syngrammate* indicari Meridiem diximus Linea X. Num. 18. pag. 93. Vide et Lin. XI. N. 12. pag. 106.



VIII.

1. *Semicirculus*. 2. *Lituus*. 3. *Mumia*.
1. *Hydroschema*. 2. *Oculus*. 3. *Semicirculus* 5. *Lineae duae obliquae*.

Ad Statuas et Tabernacula Regis.

1. *Semicirculo*, et 2. *Mumia* indicari Simulacra et Statuas diximus Linea VI. Num. 4. et 5. pag. 5. et Linea VII. Num 15. pag. 31.

3. *Lituus* לט LTH, hic est additus quia טל THL est puer adolescens, ut tum erat *Ptolemaeus Epiphanes*, et לט LTH involvere fasciare homiodynamicum est עצב OTZB Mumiae et Statuae.

1. *Hydroschemate*, *Oculo*, *Semicirculo*, et *duabus Lineis* significari Tentorium, et Tabernaculum diximus Linea VII. Num. 11. pag. 30.

Ipso autem hoc Syngrammate indicari Regem et Principem, ex iis quae diximus Linea IX. num. 19. pag. 73. arguitur, et probatur insuper hoc modo;

1. *Hydroschema* נסיך NSIK *libare*, est etiam Princeps, Rex.

2. *Oculus* est שור SCVR *videre*, *inspicere*; שר SCR Princeps, caput. *Oculus* נטר NTHR inspicere custodire, atque adeo Princeps Rex per excellentiam Inspector et Custos imperii, נזר NZR homiophonon est Princeps Rex.

3. *Semicirculus* est חצי CTZI *medius* סהר SER *Circulus*. At קצין QTZIN est Dux, Princeps; et שר SCR caput et Princeps.

4. *Linea prima* est שורה SCVRE, Dux Princeps שר SCR.

5. *Linea secunda* שטר SCTHR, est etiam Praesul, Inspector, Antistes.

6. *Obliquae* sunt *Lineae* נטע NTHO, quia נטע NTHO est etiam dilatatus, ampliatus, auctus.



IX.

1. *Tres figurae humanae sedentes humi, quae dextra phialas attentant aquam fundentes* 4. *Vasculum.* 5. *Quadrangulum.*

Ubi Sacerdotes coronati, coronis praecincti prophetabunt, munia Sacerdotalia obibunt.

1. *Sacerdotum* schemata Ideographica. Tum *effundere aquas*, manare נבע NBO, Propheta, Vates, Sacerdos נביא NBIA. *Stillare* destillare aquas נטף NTHPH, ipsum נטף NTHPH Propheta Vates, שפע SCPHO fluxit effluxit aqua, אשף ASOPH Vates, Hariolus.

2. *Vasa, phialae* sunt כלי KLI, coronae כליל KLIL, ut *effundere aquas* חלל CLL, corona כליל KLIL. *Stillare destillare aquas* נטף NTHPH, צנף TZNPH temura homiophona est corona, cidaris. *Fluxus aquarum* הלך ELK, corona כליל KLIL. 3. *Vasculum* גלה GLE, עליל OLIL, corona כליל KLIL homiophonon. *Vas* קטר QTHR, corona עטר OTHR homiophonon.

4. *Quadrangulum* רבע RBO, vel germina, quibus Coronae fiunt, herbas רבע RBO ipsum significat, vel רבה RBE magnum numerum ingentem numerum coronatorum indicat.

 X.

3. *Tres Gladii.* 6. *Tria Biangula.* 7. *Hie-reogramma.*

1. *Os oris.* 4. *Tria quadrangula.* 5. *Polyan-gulum.* 6. *Choreschema.*

1. *Pelvis.* 2. *Vas ansatum.* 3. *Quadrangulum.* 4. *Psychogramma.*

Ad Templa et Aedes sacras universae Regionis accurrant et adsint Aegyptii.

3. *Tribus Gladiis*, et 6. *tribus Biangulis* primi Syngrammatis significari Templa et Sacras Aedes dictum est Linea VII. num. 19. pag. 28. et Linea XI. num. 5. pag. 99. Additum hic *Hie-reogramma*, ut loca Sacerdotalia et sacra clarius essent indicata. Vid. Lineam VII. Num. 23. p. 39. Lin. IX. Num. 5. pag. 62. etc.

*Secundo Syngrammate* universa Templa Re-gionis Aegypti indicari hoc modo probatur:

1. *Os oris* est פם PHM homiophonon פעם PHOM ictus, vices, repetitio, multi, plures, quotquot possunt numerari.

4. *Tria quadrangula*, tria רבע RBO, homio-phona רבה RBE magnae ingenti multitudini, omni-bus: Quin fortasse etiam adlusum ad רהב REB uni ex nominibus Aegypti.

5. *Polyangulum* est etiam פעם PHOM vices, reditus repetitio in numerando, symbolum nu-meri, et summae.

6. *Choreschemate* indicari Regionem, Provin-ciam, adeoque Aegyptum diximus Linea VI. num. 17. p. 17. Linea X. Num. 4. pag. 79.

7. *Tertio* tandem *Syngrammate* significari Homines, Aegyptios incolas Aegypti vidimus Linea VI. num. 15. p. 16. Linea VII. num. 2. pag. 22. Linea VIII. Num. 4. p. 45. et IX. N. 1. pag. 59.

 XI.


1. *Homo sedens humi Corbem gestans capite.* 2. *Cornix*, vel *etiam Milvus.* 3. *Homo sedens humi.* 4. *Pelvim sublimem attingens.*

Oblationes, munera offerant, sacrificent.

1. *Homo humi sedens* habitum humilem et depressum sacrificantium indicat. *Corbis* קרבן QRBN, sublimis מ-שא M-SCA significat קרבן QRBN oblationem, munus, et משא MSCA iterum oblationem et munus.

2. *Cornix* קרא QRA confiteri, invocare, precari, quod in oblationibus sacris Veterum peractum. Si *Milvus* הדי EDI, הדיה EDIE munus donum, oblatio. *Milvus* פרס PHRS est donum oblatio.

3. *Homo attingens Pelvim* est אנש ANSC, קרב QRB, צלח TZLC, quae homiophona נשא NSCA muneri, קרבן QRBN oblationi, שלח SCLC dono. His autem Schematibus et confessionem, et preces et invocationes significari diximus Linea VI. Num. 14. pag. 16.

 XII.

1. *Lituus.* 2. *Semicirculus.* 3. *Bacilli pulsatores.* 4. *Hydroschema.* 7. *Tria quadrangula.*
1. *Securis*, quae Sculptoris culpa hîc deest.
2. *Stemma Epiphanis.* 3. *Stemma Eucharisti.*

Psallentes, Organa musica pulsantes Regi Epiphani Eucharisto offerant, inquam, munera.

1. *Lituo* instrumenta musica curva et corniformia posse indicari dubitari non potest, tum figura et formâ ipsa inspecta, tum analogia sermonis Latini considerata, tum significatione involutionis et curvitatis, quae nominibus Semiticis *Litui* inest.

2. *Semicirculus* est בקע BQO *medius* קב QB *circulus.* Atqui בוק BVQ, אביק ABIQ, נ-בק N BQ, נקבה NQBE sunt instrumenta Musica, Tubae, Litui, Fistulae.

3. Ceteris *Symbolis* et instrumenta Musica, et pulsationem eorum significari vidimus Linea VI. Num. 6. pag. 6.

*De Stemmatibus Epiphanis* et *Eucharisti* egimus Linea VI. Num. 12. 13. pag. 14. et alibi.

 XIII.

1. *Hiereogramma.* 2. *Polyangulum.* 3. *Os oris* 4. *Lituus.*
1. *Gladius.* 2. *Coturnix.*

Legitimis modis et praescriptis vicibus orantes, precantes.

1. *Hiereogrammate* insunt tres anguli זוה ZVE, et linea recta קו QV ישר ISCR. Atqui צוה TZVE sunt praecepta, iussa legitima, et קע QO ישר ISCR est vox, praeceptum, rectum, legitimum, Sacerdotale.

2. *Polyangulum* פעמ PHOM vices reditus.

3. *Os oris*, פמ PHM, iterum פעמ PHOM vices repetitiones.

4. *Lituus* לף LPH; אלף ALPH docere, praescribere.

5. *Gladio* et *Coturnice* indicari preces, orationes diximus Linea VII. Num. 8. pag. 48. Linea VIII. Num. 4. p. 61.

 XIX.

1. *Phiala*, ut videtur. 4. *Tria quadrangula* 5. *Homo humi sedens, et attingens Vasculum, ex quo aquae fluunt.* 8. *Tria quadrangula.*

Omnes quotquot sunt ingenti numero coronati, puri, mundi libent, libamenta faciant.

1. *Vase*, sive *Phiala* et *Homine phialam, a qua aquae fluunt, attingente* posse significari homines Coronatos vidimus supra N. 9. pag. 119. et Quadrangulis רבע RBO posse Coronas significari a temura homiophona פאר PHAR patet.

2. Iisdem Symbolis posse significari tum Ideographice, tum Lexeographice Homines purificatos, mundatos levi negotio deprehenditur: quia *Vase* et aquarum effusione plerumque purificatio fit, et Quadrangulis רבע RBO posse purificatos, mundatos, expiatos significari Lineâ VII. Num. 6. pag. 26. Num. 11. et 12. pag. 31. Lineâ IX. Num. 4. p. 62. ostendimus. Tandem Symbolis iisdem Libatio-

nes et libamenta notari et Ideographice et Lexeographice est aeque clarum. Nam *Phiala*, *Vas* est סוך SVK, et libare נסיך NSIK: *Effundere aquam* sive evacuare est נקא NQA, et hoc est etiam Libare. Tot autem Quadrangulis ingens numerus et multitudo libantium significabitur.

 XV.

1. *Hydroschema*. 2. *Bacilli pulsatores*. 3. *Hydroschema secundum*. 6. *Tria quadrangula*.

1. *Gladius*. 2. *Noctua*. 3. *Gladius secundus*. 4. *Gladius tertius*.

Libent, inquam, offerant, sacrificent:

1. *Hydroschema* נסך NSK fundere, effundere, libare; זוב ZVB, זובה ZVBE *fluere effluere* זבח ZBC sacrificare.

2. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB incendere comburere, חלל CLL psallere, fluere, manare, libare.

3. *Hydroschema* secundum נקא NQA evacuare aquas, sacrificare, immolare, libare.

4. *Tria quadrangula* רבע RBO respondent בער BOR comburere, ברר BRR purificare, רעב ROB supplicare, rem sacram peragere, sancte, suppliciter, pie.

1. *Gladius primus* חרב CRB notat קרב QRB offerre munera, dona, sacrificare.

2. *Noctua*, ut videtur, כוס KVS notat חוס CVS Sancte, pie.

3. *Gladius secundus* סגר SGR homiophonon סגד SGD est humili animo, devote prosternere se ad venerationem et cultum.

4. *Gladius tertius* שלח SCLC, significat munera dona, mittenda, offerenda *Ptolemaeo Deo*.

# CAPUT VIII.

## TENTATUR INTERPRETATIO LINEAE DECIMAE TERTIAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.

### ART. I.

*Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae decimaetertiae Hieroglyphicae.*

V. 51. και του θεου Επιφανους Ευχαριστου ἱερεις προς τοις αλλοις ονομασιν των θεων, ὡν ἱερατευουσι, και κατταχωρισαι εις παντας τους χρηματισμους, και εις τους. . . . . . . v. 52. ἱερατειαν αυτου. Εξειναι δε και τοις αλλοις Ιδιωταις αγειν την ἑορτην, και τον προειρημενον ναον ἱδρυεσθαι, και εχειν παρ' αυτοις, συντελειν .. .... v. 53. κατ' ενιαυτον etc. Nempe:

*Synedrium iussit:* Et Dei Epiphanis Eucharisti Sacerdotes praeter alia nomina Deorum, quibus Diis ministrant, praelibare proventus ..... in ministerium divinum *Regis.* Et licere aliis quibuslibet privatis *Aegyptiis* agere hoc Festum, et erigere praedictum Sacellum, et habere apud se, et peragere legitima .... in singulis annis etc.

### ART. II.


*Summa versionis Latinae Lineae decimaetertiae Hieroglyphicae.*

Sacerdotes proprii Regis Epiphanis Eucharisti, Sacerdotes cultui Deorum iugiter consecrati administrent reditus, et colligant pecunias, quas erogent Orantibus, Psallentibus, Festaque legitime celebrantibus. Liceat et reliquis Aegyptiis Libamina facere, Odoramenta incendere, Statuas eri-

gere, Aediculas Sacras ponere Regis Dei Epiphanis Eucharisti: Liceat eius Laudes canere, psallere, mystica recitare, augurari, divinare in Mense constituto per singulos annos. Quin ii, quibus fas est, poterunt adesse in Adytis et Cryptis Sacris secretioribus Mysteriis: etc.

A r t. III.

*Analysis Lineae XIII. Hieroglyphicae.*



I.

1. *Phiala*, *cui Cornua bubula*, ut videntur, *sunt imposita*. 2. *Sacerdos humi sedens et manibus Phialam*, *ex qua aquae fluunt*, *attentans*. 3. *Semicirculus*. 4. *Vasculum*.

1. *Cidaris*. 2. *Securis*. 3. *Stemma Epiphanis*. 4. *Stemma Eucharisti*.

Sacerdotes proprii, et Prophetae Regis *Ptolemaei*. Epiphanis, Eucharisti.


1. *Phialá corniferá* indicari Sacerdotes offerentes munera et oblationes diximus Linea IX. Num. 16. pag. 70.

2. *Sacerdos* כהן KEN *sedens humi* שוח SCVC, et *Phialam* צלח TZLC *aquas versantem* נבע NBO, *attentans* קרב QRB, est Sacerdos שוח SCVC orans precans; est נביא NBIA Propheta, קרב QRB propinquans, accedens ad altaria, offerens munera, sacrificia, צלח TZLC pacifica, prospera, utilia.

3. et 4. *Semicirculo* et *Vasculo* indicari Homines, qui nascuntur et vivunt, diximus Linea VI. num. 9. Pag. 9.

1. *Cidari* et 2. *Securi* indicari Regem diximus Linea VI. Num. 12. Pag. 14; et Linea VIII. num. 16. pag. 55.

3. Et 4. *De Stemmatibus Epiphanis*, et *Eucharisti* egimus Linea VI. Num. 12. et 15. pag. 14., et 15.



II.

2. *Vas ansatum.* 2. *Quadrangulum.* 3. *Circulus Solaris.* 4. *Semicirculus.* 5. *Metroschema.* 6. *Circulus.* 7. *Sacerdos carens brachiis, baculum cucuphocephalum genibus infixum gerens.*

Sacerdotes cultui Deorum peculiariter addicti, et iugiter consecrati; Custodes perpetui Statuarum et Rerum ad ministerium divinum spectantium.

1. *Vasculo*, et 2. *Quadrangulo* indicari Homines, et viventes saepius iam animadvertimus.

3. *Circulo Solari* Tempus און AVN, Dies יום IVM indicari et Ideographice, et Lexeographice palam est.

4. *Semicirculus* est בקע BQO, קב QB. Atqui בקא BQA est iugis, perpetuus, perennis.

5. *Metroschema* מדה MDE est mensura etiam temporis, et aevi: et עמד OMD est perpetuus, et דום DVM iugis, דאים DAIM perennis; omnia homiophona מדה MDE Mensurae.

6. *Circulus* est דור DVR; דהר DER, et דור DVR ipsum iugis, perennis, continuus.

7. *Sacerdos* carens *brachiis* est *Sacerdos* חרם CRM, addictus perpetuo, iugiter consecratus in cultum: *Sacerdos baculum* קנה QNE cum capite

*Cucuphae* sive חסידה CSIDE infixum יצב ITZB, *genibus* ברך BRK gerens est Sacerdos sanctus, purus, pius חסיד CSID, iugiter manens יצב ITZB, orando benedicendo ברך BRK. Vid. Lineam. VII. num. 14. pag. 32. num. 25. pag. 41. et Lineam IX. num. 14. pag. 68.



III.

1. *Manus sinistra digitis passis.* 2. *Semicirculus.* 3. *Quadratum.* 4. *Bacilli pulsatores.* 5. *Hydroschema.* 6. *Tria quadrangula.*

Colligant pecunias, exigant, recolligant Reditus.

1. *Manus sinistra* שמאל SCMAL, ut ostendimus ex Diodoro in nostris *Hieroglyphicis* selectis Sect. III. pag. 63. significat copiam rerum, pecunias מאל MAL, collectas sepositas שום SCVM. *Digiti* vero אצבע ATZBO *aperti* passi פשה PHSCE sunt בצע BTZO pecuniae, פשה PHSCE auctae, collectae, expansae.

2. *Semicirculus* est בצע BTZO *divisus*, קסף QSPH *circulus*. At בצע BTZO sunt reditus, lucra, pecuniae, et כסף KSPH est argentum, et generatim pecuniae.

5. *Quadratum* רבע RBO, עבר OBR annona frumentum, commercium.

4. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB; צרף TZRPH est liquefacere, et conflare metalla; tum colligere congregare. *Pulsare* קרע QRO, כרה KRE Reditus, tributa.

5. *Hydroschema* שפך SCPHK, argentum, pecuniae כסף KSPH. *Fundere effundere* צבב TZBB, צב TZB, בצע BTZO pecuniae, divitiae.

 IV.

1. *Gladius.* 2. *Siphon.* 3. *Gladius alter.*
Et impendant, erogent, tradant.

1. *Gladius primus* חרב CRB, קרב QRB est offerre, tradere, dare.

2. *Siphon,* quo liquores evacuantur Ideographice hic erogationem pecuniarum significat. Tum *Siphon* est ניק NIQ, est בקק BQQ, et erogare insumere est נפק NPHQ, quasi ex illis duabus vocibus per homiophoniam factum.

3. *Gladius secundus* est פתיח PHTIC aperire, pandere. *Gladius* est מכרה MKRE, מכר MKR dare, tradere, et proprie in permutationem pro alia re accepta.

 V.

1. *Os oris.* 2. *Duo Quadrangula.* 3. *Cerastes,* 4. *Surculus Palmae.* 5. *Coturnix.*

Erogent, inquam, pecunias Orantibus, Supplicantibus, Precantibus.

1. *Os oris* צלא TZLA, חלה CLE orare precari.

2. *Quadrangulum* I. רבע RBO, רעב ROB supplicare, orare.


3. *Quadrangulum* II. רבע RBO, חבר CBR adiurare, coniurare, recitare.

4. *Cerastes* שף SCPH, שפה SCPHE labium, os, oratio.

5. *Surculus* אמיר AMIR, שוך SCVK; אמר AMR

dicere, orare; שוח scvc rogare precari. *Palma* תמר TMR, תמד TMD iugiter, diu, diuturno tempore.

6. *Coturnix*, שלוה SCLVE, צלא TZLA orare precari.



VI.

1. *Lepus*. 2. *Hydroschema*. 3. *Bacilli pulsatores*.

1. *Cornix*, vel *Noctua*. 3. *Brachia duo*. 4. *Lituus*. 6. *Lineae duae*.

1. *Lepus*. 3. *Hydroschemata duo*.

Sacros choros ducentibus, religiosas saltationes agentibus; Sacras laudes, Sanctos hymnos canentibus, et Festum atque Solemnitatem aliis etiam modis celebrantibus.

1. *Lepus* חגס CGS, nempe חוג CVG chorus, tripudium, חוס CVS pium sacrum.

2. *Hydroschema* גל GL, גול GVL saltare, tripudiare.

3. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB, נגן NGN significant ipsam pulsationem Rythmicam saltantium et tripudiantium, quae imitatur et sequitur pulsationem Organorum Musicorum.

1. *Cornix* קרא QRA, invocare inclamare. Si *Noctua* כוס KVS, חוס CVS sancte pie.

2. *Brachium* I. איד AID; ידה IDE, הודה EVDE laudare, celebrare, hymnos canere.

3. *Brachium* II. זרע ZRO, צרע TZRO canere cantare.

4. *Lituo* לט LTH, לף LPH arcana et mystica significari saepe diximus.

5. *Lineae duae* sunt קן QV , קן QV, homiophona קע QO , קע QO sono, clamori, vociferationi, cantui.

1. *Lepus* חגס CGS , חג CG Festum, solemnitas, חוס CVS sancta.

2. *Hydroschema* I. גוח GVC *manare* , *erumpere* , Festum חוג CVG.

3. *Hydroschema* II. יאר IAR *fluvius* , עראי ORAI , ארעי AROI Festum , festivitas.


VII.

2. *Gladii duo.* 5. *Tria quadrangula.* 6. *Homo sedens depressus.*

1. *Hydroschema.* 2. *Semicirculus.* 4. *Lineae duae.* 5. *Bacilli pulsatores.* 6. *Hydroschema secundum.*

Liceat et reliquae turbae , et multitudini Hominum , sive Aegyptiorum libare, libamenta facere.

1. *Gladius primus* מ־אחל M-ACL, כל KL omnes , cuncti.

2. *Gladius secundus* חרב CRB', חבר CBR coniuncti , associati , plures.

3. *Tria quadrangula* tria רבע RBO , indicant רב RB , רב RB plurimam , רבה RBE multitudinem , turbam.

6. *Homo* quasi sedens super illa *Quadrangula*, omnino de Hominibus agi hoc *Syngrammate* indicat *Cyriologice.*

1. *Hydroschema* סיך SIK , נסיך NSIK libare , libamenta facere.

2. *Semicirculus* est בקע BQO , דור DVR ; בוק BVQ est evacuare, effundere , דור DVR est temara רדה RDE fluere effluere.

3. *Lineae* sunt קו QV, קו QV, et מ־קוה M-QVE est fluxus aquarum.

4. *Bacilli pulsatores* צרב TZRB temura ברצ BRTZ est manare, effluere, libare.

5. *Hydroschema* secundum נבע NBO, נפע NPHO effundere aquas, manare, libare.

 VIII.

3. *Tria quadrangula.* 4. *Mensula suffituum.*
1. *Crus humanum rectum.* 2. *Homo sedens depressus.* 3. *Siphon.* 4. *Basis* cum 5. *Scala.*

Liceat suffitus et odoramenta incendere, ponere Statuas, erigere Simulacra, eaque consecrare et addicere cultui divino *Regis.*

3. *Tria quadrangula* sunt tria רבע RBO, quae respondent בער BOR urere incendere, בחר BCR suffitus, odores, ערב ORB suaves, gratos.

4. *Mensula suffituum* Ideographice et systematice combustionem odoramentorum notat. Tum *Mensula* est שלחן SCLCN, et praestans Aroma est שלחה SCLCE.

1. *Crus* est שוק SCVQ, שכה SCKE שכי SCKI Simulacrum effigies: *Erectum* est קום QVM, *Statua* קמה QME. *Pes* רגל RGL, Idolum, Statua, effigies humana etiam רגל RGL; Et propterea

2. *Homo* רגל RGL, Significabit simulacrum etiam et idolum רגל RGL. Et quia *depressus* est שוח SCVC, et שכך SCKK, et שכה SCKE est efformare effingere; ideo illâ etiam corporis positurâ indicabit Simulacrum.

3. *Siphon* est שאב SCAB, imago, effigies שבה SCBE. *Siphon* est ניק NIQ, temura homiophona חנך CNK est consecrare, addicere.

4. *Basis* כנה KNE, cognominare, nuncupare etiam כנה KNE. 5. *Scala* סלם SLM, imago, Simulacrum צלם TZLM. *Scala* חנק CNQ, consecrare addicere חנך CNK.



IX.

1. *Brachium.* 2. *Pedes angulosi.* 3. *Situla ansulata.* 5. *Duo Semicirculi.* 6. *Aedicula Sacra.* 7. *Semicirculus.* 8. *Vasculum*, *quae hic errore Artificis desunt.* 9. *Cidaris.* 10. *Securis.* 11. *Stemma Epiphanis.* 12. *Stemma Eucharisti.*

Liceat erigere, ponere, et ducere in pompa Aediculas Sacras immortalis Regis Epiphanis, Eucharisti.

1. *Brachium* סעד SOD est statuere, firmare, firmiter collocare. *Cubitus* גמד GMD, גמר GMR absolvere perficere. *Brachium* est symbolum Ideographicum opificii, efformationis, extructionis.

2. *Pedes angulosi* פעם PHOM, vestigia, impressio corporis collocati, impositi. *Anguli* פאה PHAE basis, locus certus.

3. *Situla* est דלי DLI, דלה DLE elevare, adtollere. *Dens* sive ansula est שנן SCNN, נשא NSCA est ducere et gestare in pompa. *Situla* est כלי KLI *vas*, יכל IKL gestare.

4. *Semicirculus* I. est פלג PHLG, לכה ELKE. At פלח PHLC est ministrare, colere, יכל IKL esgestare portare.

5. *Semicirculus* II. est סחר SCR *circulus*, צלח TZLC *divisus*. At סחר SCR est gyrare circumcursare, et צלח TZLC est ire, traiicere, transire, quod fit in Pompa, et gestatione.

6. *Aediculae* Cyrioschema, vel utcumque Schema systematicum.


7. *Semicirculus* est בקע BQO, קב QB, vel דור DVR; בקא BQA est immortalis, aeternus, דור DVR, דהר DER iugis, perennis.

8. *Vasculum* כלי KLI, absolutus perfectus. *Vasculum* סיך SIK, נסיך NSIK, Rex, Princeps ipsum נסיך NSIK. *Semicirculo* porro et *Vasculo* indicari hominem, et genitum dictum non semel.

9. *Cidaris* כתר KTR, est etiam duraturus, perpetuus.

10. *Securis* קלם QLM, Rex, Princeps מלך MLK.

11. et 12. De *Stemmatibus Epiphanis* et *Eucharisti* diximus Linea VI. num. 12. 13. Pag. 14. et 15.



X.

2. *Duo ora.* 3. *Semicirculus.* 4. *Brachium.*

1. *Lepus.* 3. *Duo Hydroschemata, et si hic aliud cernitur errore Artificis factum..*

1. *Bacilli pulsatores.* 2. *Metroschema* 3. *Biangulum.* 4. *Quadrangulum.*

1. *Bacilli pulsatores.* 2. *Hydroschema* 3. *Tria quadrangula.*

*Liceat* apparare Solemnitatem, exornare Festum, Psallere, Organa musica pulsare.


1. *De primo Syngrammate* diximus Linea VIII. num. 16. pag. 55. 56.

2. *De secundo Syngrammate* dictum est supra Num. VI. pag. 141.

3. In *tertio Syngrammate* 1. *Bacilli* sunt צרב TZRB, צלל TZLL Psallere, Organa musica pulsare.

2. *Metroschema* est כיל KIL, חלל CLL est psallere. 3. *Biangulum* est פאה PHAE et זקאק ZQAQ; פעה PHOE est clamare, זעק ZOQ est vociferare. 4. *Quadrangulum* רבע RBO, ערף ORPH est etiam psallere, et ערב ORB suaviter.

4. De *quarto Syngrammate* diximus Linea VI. num. 6. pag. 6.



XI.

1. *Hiereogramma.* 3. *Duo Litui.* 4. *Bacilli pulsatores.* 5. *Hydroschema.* 8. *Tria quadrangula.*

*Liceat, quibus fas est*, arcanas ceremonias, legitimos et mysticos ritus peragere.

1. *Hiereogrammate*, et 2. *Duobus Lituis* secreta, et arcana significari saepius diximus. Vid. Lineam VI. num. 7. p. 6.

4. *Bacilli pulsatores* sunt צרב TZRB ritus, modus, ratio; sunt צלל TZLL, quod est umbrare, tegere, obtegere; sunt נגע NGO, נהג NEG est usus, ritus consuetus: Sunt דחה DCE, מ-דוך M-DVK est ritus, modus, ceremonia.

5. *Hydroschema* חלל CLL, כיל KIL mensura, ritus.

8. *Tria quadrangula* רבע RBO sunt רעב ROB supplicationes, חבר CBR invocationes, רב RB multae.



XII.

1. *Oculus*. 2. *Pelvis*. 3. *Tria quadrangula*.
1. *Semicirculus*. 2. *Brachium*. 5. *Tria quadrangula*.

*Liceat* Auguria captare, augurari, et omina annuntiare familiae, filiis, coetui collecto.

1. *Oculus* עין OIN, augur מ-עון M-OVN, augurari ענן ONN, ענה ONE respondere, responsa dare. *Videre cernere* נטר NTHR, augurari טיר THIR.

2. *Pelvis* טהר THER, augurari divinare טיר THIR.

3. *Tria quadrangula* tria רבע RBO respondent חבר CBR, הבר EBR, עבר OBR, ut non semel alibi dictum est.

4. *Semicirculus* est חצי CTZI, דור DVR, vel כור KVR: חצי CTZI est proprius, דור DVR, aetas, generatio, gens, familia; ארך ARK temura homiophona כור KVR est multitudo turba.

5. *Brachium* זרע ZBO, et semen, filii, nati, progenies. *Brachium* סעד SOD coetus, conventus סוד SVD.

6. *Tria quadrangula*, sive tria רבע RBO respondent ערב ORB turbae, רבה RBE multitudini, עבר OBR adcurrenti, advenienti, transeunti.


XIII.

1. *Gladius*. 2. *Biangulum*. 3. *Vasculum* 4. *Schema* incompertum. 5. *Quadrangulum*. 6. *Meniscus*. 7. *Stella*. 8. *Circulus Solaris*.

1. *Schema* ignotum. 2. *Quadrangulum*. 3. *Uncinus dentatus*. 4. *Semicirculus*. 5. *Quadrangulum alterum*.

In Mense praescripto, constituto, singulis Annis, per singulos annos.

1. *Gladius* מכרה MKRE temura homiophona קמר QMR Lunae, et מ-ירח M-IRC pariter Lunae.


2. *Biangulum* פאה PHAE, פאה PHAE, homiophona יפע IPHO, יפע IPHO splendenti, lucidae.

3. *Vasculum* עליל OLIL, Luna הלאל ELAL. *Vasculum* סהר SER Luna ipsum סהר SER. *Mensis* autem a Lunâ factus.

4. *Schema incompertum* quidem, sed omnino adhibitum in Syngrammatibus, Temporis, Anni, Mensis.

5. *Quadrangulum* רבע RBO, עבר OBR transiens, gyrum et cursum suum obiens.

6. *Menisco*. 7. *Stella pentagona*. 8. et *Solari circulo* indicari Mensem Aegyptium Luni-Solarem levi negotio intelligitur; nosque iam ad hanc rem nonnulla animadvertimus Linea X. Num. 6. pag. 82. Num. 12. pag. 87. et Linea XI. Num. 11. pag. 104. *Sequenti* vero *Syngrammate* significari Annum pluribus etiam diximus Linea XII. Num. 2. p. 111. 112.

 XIV.


2. *Duo ora*. 3. *Semicirculus*. 4. *Brachium* : Quadrangula adsunt Sculptoris errore.

2. *Duo Lilui*. 3. *Semicirculus*. 4. *Homo sedens depressus ignotum instrumentum Laternae simile gerens*.

*Liceat* Hymnos et Laudes canere, Mysteria celebrare.

De priore Syngrammate diximus Linea VIII. Num. 16. pag. 55. 56.

*Secundo Syngrammate* arcanas aliquas ceremonias et quasi mysteria indicari putamus; si *Schema illud* incompertum est *Laterna* vel *Lampas* ex qua videantur quasi radii erumpere.

 XV.

*Schemata* haec magna ex parte vel deleta, vel trunca, vel incomperta, et ignota.

Indicari his *Syngrammatibus* puto Adyta ipsa, et loca Aegyptiorum sacratiora, et secretiora, et adeo ceremonias adhuc mysticas et arcanas. Alii potiora.

# CAPUT IX.

**TENTATVR INTERPRETATIO LINEAE DECIMAE-QUARTAE HIEROGLYPHICAE TABULAE ROSETTANAE.**

## A R T. I.

***Textus Graecus Tabulae Rosettanae respondens Lineae decimaequartae Hieroglyphicae.***

V. 53... οπως γνωριμον ῃ διοτι οἱ εν Αιγυπτῳ αυξουσι, και τιμωσι τον θεον Επιφανη Ευχαριςον βασιλεα, καθαπερ νομιμον εςιν ... v. 54. ςερεου λιθου τοις τε Ἱεροις, και Εγχωριοις, και Ἑλληνικοις γραμμασιν, και ςησαι εν ἑκαςῳ των τε πρωτων, και δευτερων.... Nempe:

Ut autem notum fiat, quod Incolae Aegypti glorificant, et honorant Deum Epiphanem, Eucharistum Regem, ut par est, *placuit hoc Decretum sculpi in Stela* duri lapidis Sacris, Popularibus, et Graecis Characteribus, et collocari in singulis tum primis, tum secundis, *et tertiis Templis.*

## A R T. II.

***Summa versionis Latinae Lineae decimaequartae Hieroglyphicae.***

Sacerdotes in utraque Aegypti Regione divino Regis cultui addicti Lapidem in Stelam parent, qua Literis sacris inscribant omnia legitima peragenda: Et in fine Scripturae declarent se praecepisse, ut in fine anni agant Aegyptii Festum per dies quinque ad omnia Templa, et celebrent debitis laudibus Ptolemaeum Regem, immortalem, dilectum a Demiurgo Phtha, Deum Epiphanem, Eucharistum.

## A R T. III.

### *Analysis Lineae decimaequartae Hieroglyphicae.*



I.

1. *Chiliogramma.* 2. *Lituus.* 3. *Lineae duae.* 4. *Sacerdos sedens depressus.* 5. *Quadrangulum.* 6. *Vasculum.* 7. *Vasculum ansatum.* 8. *Quadrangulum.* 9. *Basis cum* 10. *Scala.*

Sacerdotes, Doctores utriusque Regionis *Aegypti* consecrati, addicti *peculiari modo cultui divino Regis.*

1. *Chiliogrammate*, sive Schemate numeri Mille אלף ALPH, indicari puto אלף ALPH Ductores et Doctores Gentis, Praeceptores, Magistros.

2. *Lituo* קלע QLO, re nempe involuta curva, et *duabus Lineis* חט CTH, חוט CVTH indicantur Scribae, Scriptores, Hierogrammates, quia קלע QLO est coelare, insculpere, scribere, et חטה CTHE lineas ducere, inscribere.

3. *Hominis* Cyrioschemate Sacerdotes ipsos indicari palam est, et si *Vasculo* et *Quadrangulo* indicari Homines saepe diximus, *duplici Vasculo*, et *duplici Quadrangulo* Homines et Sacerdotes duplicis Loci, et utriusque Regionis indicabuntur, scilicet Sacerdotes tam superioris, quam inferioris Aegypti.

4. *Basis* cum *Scala* est כון KVN cum חנק CNQ. Atqui כן KVN est homiophonon כהן KEN Sacerdoti, et כנה KNE nuncupato, peculiariter nominato, et כנק KNQ est homiophonon חנך CNK consecrato addicto, cultui scilicet divino Regis.



II.

1. *Brachium.* 3. *Gladii duo.* 4. *Cyrioschema Stelae.*

1. *Hydroschema.* 2. *Semicirculus.* 3. *Lineae duae.* 4. *Sceptrum*, vel *Baculus.* 5. *Semicirculus.* 6. *Biangulum.*

Lapidem parent, poliant, efforment in Stelam.

1. *Brachium Schema Ideographicum* dolationis, sculpturae, opificii. *Lexeographicum*, quia est זרע ZRO, temura homiophona צור TZVR est lapis, et sculpere, in aliquam formam effingere.

2. *Gladius primus* צור TZVR, lapis, et dedolatio, sculptura.

3. *Gladius secundus* פתיח PHTIC caelare, sculpere. *Gladius* שלח SCLC, lapis כלע SLO, et expolire explanare, et צלח TZLC parare perficere.

4. *Schema* ipsius *Stelae* Cyriographicum.

1. *Hydroschema* גל GL *fluctus, fons,* גיל GIL, גלל GLL lapis, marmor. *Aquis mergere* טבע THBO, טבק THBQ homiophonon insculpere inscribere.

2. *Semicirculus*, est *divisus* dimidiatus חטב CTHB, *circulus* גלגל GLGL: Atqui כתב est scribere inscribere, גל GL lapis, et חצב CTZB est omnino in lapide scribere.

3. *Lineae duae sunt* חט CTH, חוט CVTH, חטה CTHE scribere delineare.

4. *Sceptrum*, *baculus* קציב QTZIB, כתב KTB scribere, חצב CTZB scribere inscribere lapidi.

5. *Semicirculus secundus* est *divisus* פרס PHRS *circulus* גלגל GLGL, nempe גל GL lapis, ספר SPHR inscribere.

6. ***Biangulum***, sive *angulus*, *angulus*, sive זקק ZQQ זקק ZQQ homiophona זוק ZVQ pingere, expingere, coloribus tingere, quod etiam factum in *Stela*.


III.

1. *Schema ignotum*. 2. *Metroschema*. 3. *Grapheoschema*.

1. *Hydroschema*. 2. *Securis*. 3. *Cucurbita*. 4. *Tria quadrangula*, quae Sculptor hic praeteriit.

*Quâ Stelâ* Literis legitimis, Literis Sacerdotalibus, Literis Magorum.

1. *Schema ignotum*, fortasse signum Systematicum Literarum.

2. *Metroschema* מדה MDE mensura, usus legitimus, receptus, praescriptus.

2. *Grapheoschema* dicimus hoc Hieroglyphicum, quia plures ante nos id tenuerunt, et iure tenuisse nobis est visum. Nam *Hiereogrammate* posse Literas et Scripturam Sacerdotalem indicari certum est, quia *linea recta* est חוט CVTH, et חטה CTHB est scribere, *linea* שרט SCRTH, et scribere etiam שרט SCRTH: *Angulus* זקק ZQQ delineare, scribere זוק ZVQ, *angulus* נתק NTQ, *angulus* tertio קצ QTZ, et scribere חטה CTHB. Porro *Hierogrammates*, et *Sacerdotes* significari etiam *Hiereogrammate* Linea VII. num. 23. pag. 39. et 40. adnotavimus. Praeterea *Iunco incurvo* sive demisso capite סוף SVPH, רף RPH indicatur ספר SPHR scriptura, literae, et *Iunco adiuncto* socio סוף SVPH, רע RO indicatur etiam ספר SPHR, et רחב CBR socius est etiam compo-

nere, opus conscribere. *Iunco* autem indicari Literas Horus iam testatus est, ut nos in *Hieroglyph. Select.* Sect. I. num. 26. pag. 20. animadvertimus.

1. *Hydroschema* est נבע NBO, Propheta, Hariolus נביא NBIA, *fundere effundere* שפע SCPHO, אשף ASCPH Hariolus, Divinus, שבר SCBR *fluctus*, ספר SPHR Scriptor, Scriba, Hierogrammatevs.

2. *Securis* קרדם QRDM homiophonon *Charthum-im. Securis* כרת KRT homiophonon חרט CRTH stilo scriptorio.

3. *Cucurbita* קראא QRAA, מ-קרא M-QRA scriptura, scriptum.

6. *Tria quadrangula* tria רבע RBO vel respondent רבה RBE, רב RB, רב RB multitudini praestantium Praeceptorum, vel הבר EBR, חבר CBR, עבר OBR, quae Sacerdotum et Magorum genera esse saepe dictum est.

 IV.

1. ***Grapheoschema.*** 2. ***Cidaris.*** 3. ***Scala.*** 4. ***Brachium.*** 5. ***Gladii duo.***

Et scribant omnia praecepta data, cuncta decreta, constituta, iussa.

1. *Grapheoschemate* significari scribere, inscribere modo diximus.

2. *Cidaris* צפר TZPHR, et עטה OTHE homiophona ספר SPHR scribere, עטא OTHA praecepta, iussa.


3. *Scala* סלם SLM et דרג DRG; שלם SCLM est perfectus integer absolutus, et דרך DRK, טרך THRK est via, mos, praeceptum, Lex. *Scala* חנק

CNQ , חנך CNK sacra, consecrata. *Scala* עוק OVQ חוק CVQ praescripta iussa.

4. *Brachium* זרע ZRO , שרע SCRO significat iussa, leges, praecepta. *Cubitus* גמד GMD , גמר GMR absoluta significat perfecta omnia, et decreta praecepta, conclusiones.

5. *Gladius primus* est מ-אכל M-AKL, acutus שנן SCNN : כל KL, סנה SNE est omne praeceptum, omnis lex, omne statutum.

6. *Gladius secundus* מ-אכל M-AKL *caedens abscindens* פסק PHSQ, כל KL, פסק PHSQ est omne decretum, cunctae decisiones. Tum *Gladius* est פתיח PHTIC, insculpere פתיח PHTIC ipsum, et פתק PHTQ scribere, inscribere.



V.

1. *Cauda dentata.* 2. *Siphon.* 3. *Chiliogramma* 5. *Gladii duo.*

Et in fine Decreti et Praescripti doceant, referant, declarent.

1. *Cauda* cum *dente* est זנב ZNB cum שן SCN. At *cauda* זנב ZNB est etiam extremitas finis, et סנה SNE homiophonon שן SCN est Doctrina, Lex, Ritus, Sunna.

2. *Siphon* דלו DLV , דלל DLL manifestare, declarare.

3. *Chiliògramma* sive signum numeri *mille* אלפ ALPH, docere praecipere.

4. *Gladius primus* פתיח PHTIC , פתח PHTC aperire manifestare.

5. *Gladius secundus* חרב CRB , חבר CBR eloqui proloqui declarare.



VI.

1. *Cauda dentata.* 2. *Cidaris.* 3. *Planta Loti.* 4. *Lituus.* 5. *Lineae duae.* 7. *Duae Pelves.* 8. *Sacerdos sedens depressus.* 9. *Duo*, vel *tria quadrangula.*

Quod in fine Anni Aegyptii Sacerdotes, et qui purificant purgant a noxis et impuritatibus, qui pacem Deorum procurant.

1. *Cauda* cum *Dente* est זנב ZNB cum שן SCN. At שנה SCNE est Annus, et *Cauda* finis; nempe die 30 Mesori, in die Nativitatis Ptolemaei.

2. *Cidaris* est צנף TZNPH homiophonon זנב ZNB extremitati fini. *Cidaris* est כליל KLIL, et כלי KLI est complementum, perfectio, finis. *Cidaris* est עטה OTHE homiophonon עד OD, et עת OT tempori, eique constituto et legitimo.

3. *Lotus* Planta fere propria Regionis Aegypti, adeoque Symbolum opportunum ipsius Regionis, ut adnotavimus Linea X. num. 1. pag. 77. Quin *Lotus* Lexeographice etiam est symbolum Anni, quia appellatur בשנין BSCNIN, quasi in annis, vel in Anno.

4. *Lituus* גלל GLL, גל GL fons scaturigo, abluere. *Lituus* סבב SBB, צבע TZBO immersit purificaturus in aquis.

5. *Lineae duae* חט CTH, חוט CVTH, חטא CTHA purgare, expurgare, mundare.

6. *Pelvis prima* כפר KPHR, purificare, expiare.

7. *Pelvis secunda* צלח TZLC, סלח SLC mundare, expiare, reconciliare homines Diis.

8. *Cyrioschema Sacerdotis* purgatoris et expiatoris.

9. *Duo* vel tria *Quadrangula*, duo vel tria רבע RBO, quibus expiationes et purificationes significari diximus Linea VII. num. 6. pag. 26. num. 10. pag. 29. num. 12. pag. 31. etc.



VII.

1. *Os oris*. 2. *Semicirculus*. 3. *Brachium*. 4. *Basis cum* 5. *Scala*.

1. *Brachium*. 2. *Pedes angulosi*. 3: *Cerastes*. 4. *Noctua*, *vel Cornix*.

Iussissent, consecrassent, indixissent Festum et Solemnitatem sanctam.

1. *Os oris* iubere indicere צוה TZVE, כרז KRZ.

2. *Semicirculus* est יזה IZE, vel חצי CTZI *medius*, סהר SER *circulus*. At צוה TZVE est praecipere, שרע SCRO statuere decernere.

3. *Brachium* סעד SOD, statuere constituere firmiter. *Cubitus* גמד GMD, גמר GMR decernere statuere.

4. *Basis* כון KVN, כנה KNE certe, bene, apte disponere, recte statuere.

5. *Scala* חנק CNQ, חנך CNK consecrare, addicere.

1. *Brachium* אזרע AZRO, עצרה OTZRE Festum. *Brachium* סעד SOD, congregatio conventus סוד SVD. *Brachium* איד AID, יעד IOD concilium coetus, עד OD עדי ODI Panegyris, Festum.

2. *Pedes angulosi* פעם PHOM vestigia, incessus, gressus, coitio, רגל RGL, רגל RGL pedes sunt homines coeuntes, in coetum et panegyrim euntes.

3. *Cerastes* שרף SCRPH, צרף TZRPH congregatio coetus. *Serpens* נחש NCSC, et כנש KNSC congregatio.

4. *Cornix* קרא QRA, congregatio, panegyris. Si *Noctua* כוס KVS indicatur Festum חוס CVS חסה sanctum, sacrum, purificatorium.


VIII.

3. *Tres Gladii ; 6. Tria Biangula.*
1. *Metroschema.* 2. *Os oris.* 5. *Tria Quadrangula.*
1. *Polyangulum.* 2. *Circulus in 5. partes divisus*, sive *Circulus* cum *Stella Pentagona.*

Per omnia Templa, ritu legitimo, per Dies quinque.

1. *Tribus Gladiis*, et *tribus Biangulis* significari Templa diximus Linea VII. Num. 9. p. 28. Linea XI. Num. 5. pag. 99.

2. De *secundo Syngrammate* diximus Linea VII. Num. 7. pag. 26: etsi ex legibus Crypticae Scripturae illud ab isto leviter discrepet.

3. *Tertium Syngramma* simile est Syngrammati Lineae XII. Num. 5. pag. 114. Hîc autem *Circulo Solari* indita *Stella Pentagona*, ut acutissime quinque dies Astronomici die et nocte constantes significarentur.


IX.

1. *Anthropogramma.* 2. *Sacerdos*, vel *Homo religiosus Corbem capite gerens.* 3. *Hiereogramma.* 4. *Quadrangulum.* 7. *Tres Nodi*, et *Numeri* 1. 2. 3.

*

In quibus Aegyptii offerent munera et oblationes puri, mundi ad prima, secunda, et tertia Thymiateria.

1. De *Anthropogrammate*, sive Syngrammate, quo Homines, sive Aegyptii significantur, diximus Linea VI. Num. 15. pag. 16. Linea VII. Num. 2. pag. 22. etc. etc.

2. *Vir religiosus* Corbem קרבן QRBN capite elevans נשא NSCA indicat oblationes et munera ut diximus Linea XII. Num. 11. pag. 121.

3. *Hiereogrammate* indicantur puri mundi; quia anguli sunt זוק ZVQ, et זכה ZKE est purus mundus, et *linea* recta est חוט CVTH homiophonon חטא CTHA expiare purgare.

4. *Quadrangulum* רבע RBO respondet ברר BRR, רבה RBE purificatae et mundae multitudini.

5. *Nodus* est קטר QTHR, et ipsum קטר QTHR est ara suffituum, thymiaterium: quae Thymiateria hîc indicantur fuisse trium ordinum primi, secundi, et tertii.


X.

1. *Os oris*. 2. *Metroschema*. 3. *Quadrangulum*. 4. *Stemma Ptolemaei*. 5. *Cyrioschema Ptolemaei*. 6. *Syngramma Regis immortalis et dilecti*.

Et Laudent, collaudent, celebrent Ptolemaeum Deum, immortalem, dilectum et amatum.

1. *Os oris* הלל ELL, הודה EVDE laudare collaudare, שור SCVR canere.

2. *Metroschema* מדה MDE, מדה MDC laudare collaudare. *Mensura* מ-שור M-SCVR, שור SCVR

canere. *Mensura* כיל KIL, כלא KLA, קול QVL vox, invocare.

3. *Quadrangulum* רבע RBO, באר BAR est explicare, declarare בהר BER clarum facere, illustrem reddere.

4. De *Stemmate Ptolemaei*, 5. eius Cyrioschemate, et 6. de Syngrammate Dei immortalis, dilecti egimus Linea VI. num.9. et 10. Pag.8. ad 11.



XI.



1. *Stemma Demiurgi Phtha.* 2. *Securis.* 3. *Stemma Epiphanis.* 4. *Stemma Eucharisti.*

A Demiurgo Phtha Regem Epiphanem Eucharistum.

De his omnibus Symbolis et Stemmatibus actum est Linea VI. Num. 11. 12. 13. Pag. 11. ad 15.

Et si de *Ellipsi* et *Symbolis Dei Phtha*, pro dignitate subiecti levius et brevius egerim, nollem mirari Lectorem. Nam *Ellipses Hieroglyphicae* in Systemate nostro sunt longe abstrusiores et difficiliores quibuscumque reliquis *Syngrammatibus*. Longe alia difficultas occurrere debet in explicando Polyschemate *Anni*, *Mensis*, *Panegyreos*, *Festi*, *Templi* etc. quam in interpretandis *Stemmatibus Numinum*, *Ellipsibus* scilicet in quibus plura nomina, cognomina, epitheta, plures characteres, plures potestates, quin

plura facta, et passiones *Deorum* fuerunt significanda vel indicanda. Adeo ut etiamsi haec omnia essent *data* et *nota* ob intrinsecam *Scripturae Hieroglyphicae* difficultatem *Ellipses* pleraeque nisi aegre et magno labore haud possent certa et clara ratione explicari. Quid vero, si characteres illi, potestates illae, nomina illa *Deorum* sunt fere omnia hactenus ignota et incomperta? Quae, quanta, obsecro, scimus de isto *Phtha*? Estne ipse *Ephaistos* Graecorum, et *Vulcanus* Latinorum? An potius magna ex parte diversus? Nemo igitur in tanta nostra infantia iure expectaverit copiosam et perspicuam interpretationem *viginti* circiter *Symbolorum*, quot in *Tabula Rosettana Deo Phtha* tribuuntur. Quod facere, poteram, feci. Scilicet quum certum esset characterem *Demiurgi* esse fundamentalem et proprium *Dei Phtha*; quia *dato charactere Schemata* possunt singillatim rite explicari; nam a *data Idea* et charactere satis superque definiuntur, ideo per *Monoschemata* illam *Ellipsim* sum interpretatus: haud negans esse alias rationes, quibus Symbola arctiori nexu, mutuo cohaereant. Sed haec sensim et per plures et repetitos conatus praesertim circa naturam et characteres *Dei Phtha* poterunt tantum obtineri.

# T E N T A M E N

## HERMENEUTICUM

# IN CENTURIAM SINOGRAMMATUM,

## SIVE CHARACTERUM

## SINENSIUM POLYGRAPHICORUM.

---

I. 享 *Hiang.*

(*) 84.

1. *Caput.* 2. *Os oris.* 3. *Filius.*

Offerre, tradere, sacrificare.

1. *Caput*, dux, princeps הארי EADI; homiophonon הריה EDIE est oblatio, munus, et alterum homiophonon ערי ODI est festum, solemnitas religiosa, qua oblationes Diis fiunt.

2. *Os oris* הר ED, הירד EIDD clamor, acclamatio, הודה EVDE laus collaudatio, quae ore fiunt, et etiam ad Festa et Sacrificia requiruntur; הריה EDIE oblatio munus.

3. *Filius* unigenitus יחיד ICID homiophonon etiam הריה EDIE oblationi, et quia saepe etiam vere a pluribus Gentibus Filii unigeniti in Sacrificium Diis oblati, et facti Cyriologice הריה EDIE oblationes. Tum עלה OLE עולה OVLE est oblatio, Sacrificium, et עול OVL infans, puer, filius. Praeterea Filius est יצא ITZA, מ-ציא M-TZIA est tra-

---

(*) Numerus hic, et reliqui omnes simili loco positi respondent numero *Sinogrammatis* in Lexico Basilii Glemonensis, quod Deguignesius filius edidit.

dere, tribuere, offerre. *Filius* foetus est יובל IVBL, et יבל IBL est ducere afferre.

*Hiang* respondet vel הי EI vocum datarum, vel potius voci integrae Semiticae חג CG Festo, solemnitati, emollita ח *Chet* in H, quod factum apud plures Gentes, et nasali literâ inserta, ut habeatur ipsum *Hiang*.

II. 仔 *Tse.*
103.

1. *Homo.* 2. *Filius.* -- Portare, ferre, gestare.

1. *Homo* אנש ANSC; gestare, portare נשא NSCA, נסס NSS. *Homo*, *Senex*, annosus בלי BLI, temura יבל IBL est ferre gestare.

2. *Filius*, *foetus* in utero gestatus יובל IVBL, gestare portare יבל IBL. *Infans puer* טל THL, portare נ-טל N-THL. *Infans lactens* ניק NIQ, portare נקל NQL.

*Tse* respondet Voci receptae; quin *Tse* est *Cranium* Hominis, fractione vocis עצם OTZM, et *Filius*, qui etiam fit fractione Semitici יצא ITZA.

III. 仝 *Tong.*
108.

1. *Homo.* 2. *Opificium.* -- Assimilare, convenire.

1. *Homo* אדם ADM, temura homiophona דמה DME est assimilare, congruere, consentire.

2. *Opificium* סמל SML est effingere, assimilare. *Opificium* est דמה DME simulacra, imagines fabricare, assimilare, similia et congruentia facere.

*Tong*, Lusitanice *Tom*, vel *Dom*, quia Sinenses

carent literâ D, est ipsum Semitarum רמה DME, quae est vox tum Sematis utriusque per Homiophona, tum Polysematis.

IV. 件 *Kien.*
120.

1. *Homo.* 2. *Bos.* -- Dividere, partiri.

1 *Homo* אדם ADM, dividere partiri הדם EDM: *Infans* ניק NIQ, dividere partiri קנה QNE: *Cranium humanum* גמגמה GMGME, dividere partiri גמם GMM.

2. *Bos* בקר BQR, partiri dividere ipsum בקר BQR: *Vitulus* פר PHR, פרר PHRR frangere, comminuere, adeoque dividere, פרד PHRD ipsum partiri dividere.

*Kien* respondet ק Q, et ג G Vocum datarum.

V. 伈 *Sin.*
127.

1. *Homo.* 2. *Cor.* -- Timere, pavere.

1. *Homo* אדם ADM, דמא DMA perdidit amisit, scilicet Cor, animum. *Homo pater* אב AB, הוב EVB timuit territus est. *Homo senex* בלה BLE, בהל BEL timuit, expavit. *Homo adolescens iuvenis* גריה GRIE, יגר IGR timere pavere.

2. *Cor* לב LB, בל BL, sedes pavoris et timoris: tum pavere, terrore corripi est בהל BEL.

*Sin* respondet Voci receptissimae *Sin* cordi.

VI. 128. 㐦 *Kang.*

1. *Homo.* 2. *Caput.* 3. *Scabellum.*

1. Resistere obsistere. 2. Rectum, aequum. 3. abscondere, celare.

1. Resistere, obsistere.

1. *Homo* אנש ANSC, אנס ANS vim fecit, obstitit. *Homo, aliquis*, quis קום QVM, קאום QAVM obsistere, resistere contra. *Homo, filius* יצא ITZA, homiophonon עצה OTZE significat restitit, obstitit, contradixit.

2. *Caput* ריש RISC, rixari, contendere, obsistere שרר SCRR, accusare, resistere רשא RSCA.

3. *Scabellum* הדם EDM obesse nocere ipsum הדם EDM. *Scabellum* כבש KBSC, obsistere, subigere ipsum כבש KBSC.

*Kang* respondet ק Q, et כ K Vocum datarum.

2. Rectum aequum.

1. *Homo* איש AISC, שוה SCVE aequare exaequare. *Homo, infans* ניק NIQ, כון KVN, נכח NKC rectum aequum. *Filius* בר BR purus, aequus.

2. *Caput* ריש RISC, rectum iustum ישר ISCR, *Caput principium* חלה CLE, כיל KIL mensura, aequitas.

3. *Scabellum, basis* כון KVN, כנה KNE certum, rectum, aequum.

*Kang* respondet ק Q, כ K, ח C. Vocum datarum.

3. Abscondere, celare.

1. *Homo puer* טל THL, טלל THLL celare, tegere; *Homo* גלגלא GLGLA, גלל GLL involvit, obtexit. *Homo adolescens* iuvenis עלם OLM, nempe condere abdere.

2. *Caput* ריש RISC, abdere celare סרה SRE;
3. *Scabellum* כבש KBSC, quod est ipsum celare, abscondere.

*Kang* respondet ג G, et כ K Vocum datarum.

VII. 佃 *Tien.*
152.

1. *Homo.* 2. *Arvum.* — Agros colere.

1. *Homo* אדם ADM, Arvum, ager אדמה ADME. *Homo, artifex*, opifex חרש CRSC; arare terram exercere ipsum חרש CRSC.

2. *Arvum ager* אדמה ADME, *Arvum* חרש CRSC, Terra nempe aratro exculta.

*Tien*, *Tiem*, *Diem* est ipsum אדמה ADME Semitarum.

VIII. 佐 *Tso.*
162.

1. *Homo.* 2. *Digitus.* 3. *Opificium.*
Adesse alicui, opitulari, auxiliari.

1. *Homo adolescens iuvenis* צבי TZBI; צבא TZBA ministrare, adesse, militare. *Homo Filius* יצא ITZA egredi, occurrere alicui יצה ITZE; עזה OZE auxiliari, opitulari. *Homo* איש AISC, temura homiophona סען SVO iuvit, adiuvit, opitulatus est.

2. *Digitus* אצבע ATZBO; צבא TZBA auxiliari, ministrare.

3. *Opificium* צבת TZBT ornare, exornare, ministrare; צבא TZBA homiophonon ministrare, opitulari, quod genus operis et opificii est.

*Tso* respondet צ TZ Vocum datarum, sono

remissiore, quo etiam modo plures pronuntiant Semiticum צ TZ.

IX. 佞 *Ning.*
174.

1. *Homo.* 2. *Caput.* 3. *Mulier.*

Eloquens, sermone habilis, et suavis.

1. *Homo*, *hominum* turba המן EMN, עמין OMIN Chaldaice populi, homines, temurae homiophonae נאם NAM loqui, disserere, et נעם NOM suaviter, apte, oratione dulci. *Homo*, *Augur*, *Hariolus* מעין MOIN temura homiophona נאם NAM, נעם NOM suaviter et apte loqui. Tum חבר CBR *Magus* et *Hariolus* est etiam proloqui apte, disserere.

2. *Caput capilli capitis* sunt מנות MNVT, נעם NOM apte proloqui.

3. *Mulier* pulcra formosa נעם NOM, ipsum נעם NOM suavitas oris et eloquutionis.

*Ning*, *Nim* respondet ipsis Vocibus Semiticis נעם NOM, et נאם NAM.

X. 侐 *Hu.*
204.

1. *Homo.* 2. *Sanguis.* -- Quies, silentium.

1. *Homo* אדם ADM; silere quiescere דום DVM.

2. *Sanguis* אדם ADM, vel דם DM, silentium, quies דום DVM.

*Hu* respondet ו V Vocis datae.

XI. 佬 *Lao.*
216. bis

1. *Homo.* 2. *Tectum.* 3. *Bos.*
Magnus, potens, praestans viribus.

1. *Homo* אביר ABIR, כביר KBIR, גבר GBR magnus, potens, praevalidus.

2. *Tectum* גג GG, גאה GAE eminentia, magnitudo. *Tectum* aedes alta גדל GDL, magnus, potens ipsum גדל GDL.

3. *Bos* אביר ABIR, quod est potens praevalidus. *Vitulus* פר PHR, פרתמ PHRTM perfecte magnus, potens, unde פרתמ־ים PHRTM-IM Magnates et potentes, et illi IM-PERAT-ores Romanorum.

*Lao* respondet ל L, et ר R, Vocum datarum.

XII. 侹 *Kouang.*
230.

1. *Homo.* 2. *Canis.* 3. *Metallum pretiosum.*
Festinus, promtus, alacer.

1. *Homo, civis, urbanus* חצר CTZR, temura חרץ CRTZ alacer, promtus, acer. *Puer, adolescens* חרף CRPH, acutus, argutus etiam חרף CRPH.

2. *Canis hirriens* est חרץ CRTZ, quod Bochartus vidit in Hierozoico, nosque animadvertimus in Hieroglyph. Aegyptiorum selectis Sect. I. num. 27. pag. 21. et *Canis sagax* est iterum חרץ CRTZ alacer, acer, promtus.

3. *Metallum pretiosum, Aurum* est חרוץ CRVTZ, חרץ CRTZ acer, promtus, festinus.

*Kouang* respondet ח C Vocum datarum.

XIII. 俏 *Siao*
236.

1. *Homo*. 2. *Parvus*. 3. *Caro*.
Assimilare, imitari, similem facere.

1. *Homo* אדם ADM, דמה DME assimilare, imitari. *Homo*, *artifex*, *opifex* חרש CRSC, et יציר ITZIR, qui adsimilat, imitatur.

2. *Parvus* צער TZOR, homiophonon צור TZVR effigiare, simulacra facere, assimilare.

3. *Caro* שאר SCAR, homiophonon צור TZVR assimilare. *Caro* גסד GSD, גשם GSCM est incorporari, in corpus assimilari, formam corporis sumere.

*Siao* respondet ס S, ש SC, צ TZ Vocum datarum.

XIV. 俐 *Ly*.
239.

1. *Homo*. 2. *Cerealia*, *legumina*. 3. *Gladius*.
Acutus, sollers, ingeniosus, perspicax.

1. *Homo* infans חרף CRPH, acutus, ingeniosus idem חרף CRPH. *Homo artifex* חרש CRSC, adeoque sollers et ingeniosus, et homiophonon חרצ CRTZ acuto, arguto, sollerti.

2. *Cerealia*, *Messis* קציר QTZIR temura homiophona חרצ CRTZ acuti, sollertis.

3. *Gladius* חרב CRB, sollers חרף CRPH: *Gladius* חרם CDM sollers acutus חד CD, חאד CAD, מ-חד M-CD. *Gladio* transfodere רצח RTZC, acutus, sollers חרצ CRTZ.

*Ly* respondet ר R Vocum datarum, Sinensibus carentibus R.

XV. 俘 *Fou.*
245.

1. *Homo.* 2. *Unguis.* 3. *Filius.*

Captivus, ducere in captivitatem.

1. *Homo* גלגלא GLGLA, גולה GVLE Captivi, turba Captivorum. *Homo Senex* שב SCB, שאב SCAB; שבה SCBE captivum ducere, captivus.

2. *Unguis* טפר THPHR, victoria, triumphus de hostibus, quo plerumque Captivi ducuntur. Tum טרף THRPH est rapere, abripere, praeda, ut sunt Captivi.

3. *Filius*, *adolescens* צבי TZBI, צבא TZBA est militia, exercitus, bellum gerere, quo Captivi fiunt: Tum homiophonon שבה SCBE est Captivus. *Filius puer* חרף CRPH, rapere, abripere, adeoque in captivitatem ducere ipsum חרף CRPH.

*Fou* respondet ב B, et ף PH Vocum datarum.

XVI. 俞 *Iu.*
250.

1. *Homo.* 2. *Unum.* 3. *Oculus.* 4. *Gladius.*

Annuere, assentiri, respondere.

1. *Homo* אדם ADM, דמה DME consensit, conformis fuit. *Puer infans* טפל THPHL, accessit, adhaesit, consensit. *Adolescens* צבי TZBI, ipsum צבי TZBI velle, probare, annuere.

2. *Unum* יחד ICD unire, convenire, coire, congruere.

3. *Oculus* עין OIN, Symbolum ideographicum nutus, assensus, et Lexeographicum responsi, quia ענה ONE est respondere.

4. *Gladius* רצח RTZC transfodere, perforare, רצה RTZE velle, consentire. *Gladius* חרב CRB, חבר CBR est adsociare, coniungi, consentire.

*Iu* respondet literae י I, quae est in Vocibus datis, vel esse potest.

XVII. 倔 *Kue*.
288.

1. *Homo*. 2. *Cadaver*. 3. *Mons*.

Pertinax, imperiosus, superbus.

1. *Homo* אנש ANSC; violentus, oppressor אנס ANS. *Homo* גבר GBR fortis, vehemens, elatus.

2. *Cadaver* גוה GVE, elatio, superbia ipsum גוה GVE, vel homiophonon נאה GAE.

3. *Mons*, *collis* גבה GBE, elatio, superbia ipsum גבה GBE.

*Kue* respondet ג G Vocum adlatarum, quia in contractione Alphabeti Semitici a Samanaeis Politicis facta eiecta fuit etiam Litera G.

XVIII. 偪 *Py*.
556.

1. *Homo*. 2. *Unum*. 3. *Os oris*. 4. *Arvum*.

Premere, vexare, cohibere, angere.

1. *Homo* אנש ANSC, vexare, premere, affligere אנס ANS. *Homo senex* שב SCB, שבב SCBB subiicere, tundere. *Puer adolescens* חרף CRPH, contumelia afficere, violare.

2. *Unum* יחד ICD unire, coadunare, adeoque premere, compellere: Quin חדה CDE temura homiophona est impellere, opponere, evertere. Tum חבר CBR unire, congregare, coniungere; adeoque comprimere, et unà adigere: Et homiophonon כרב KRB est angere, vexare.

3. *Os oris* צוח TZVC *clamare*, vociferare, צוק TZVQ angere, vexare, premere. *Clamare vociferare* קוא QOA, עוק OVQ premere, angustiare, affligere. *Loqui proloqui* חבר CBR tribulare, affligere כרב KRB.

4. *Arvum ager* שדה SCDE, שדד SCDD vexare, premere. *Arvum* כרב KRB, pugnare, oppugnare, opprimere, affligere ipsum כרב KRB.

*Py* respondet ב B, Vocum datarum, quia B Samanaei Politici in P contraxerunt.

XIX. 僩 *Hien.*
467.

1. *Homo*. 2. *Porta*. 3. *Caro*.
Fortis, superbus, ferus, terribilis.

1. *Homo* אביר ABIR, כביר KBIR, גבר GBR, fortis, violentus, terribilis. *Homo* אנש ANSC, violentus, oppressor אנס ANS.

3. *Porta* שער SCOR; timendus, terribilis, atrox etiam שער SCOR.

4. *Caro* אמצא AMTZA; fortis, robustus, violentus אמץ AMTZ.

*Hien*, *hie* respondet א A, vel ע O Vocum datarum.

XX. 別 *Pie*.
771.

1. *Os oris*. 2. *Gladii duo*.
Distinguere, separare, dividere.

1. *Os oris* בטא BTHA *pronuntiare*, *proloqui*, et secare dividere partiri. *Os* שפר SOPHR *declarare exponere*, temura פרש PHRSC distinguere, dividere.

2. *Gladius primus* פתח PHTIC, aperire, discernere; amputare abscindere פצל PHTZL, et discernere, secernere, distinguere.

3. *Gladius secundus* פלל PHLL, פרש PHRSC; פרס PHRS dividere, פלג PHLG partiri: Et Ideographice, quia Gladio res partimur et dividimus.

*Pie* respondet ב B, vel ף PH Vocum datarum.

XXI. 副 *Fou*.
824.

1. *Unum*. 2. *Os*. 3. *Arvum*. 4. *Gladius*.
Se adsociare, adiuvare, auxiliari.

1. *Unum*, *unire* חבר CBR sociare, adsociare se, coniungi, adhaerere.

2. *Os Oris* חבר CBR *loqui*, *proloqui*: et sese adsociare, convenire.

3. *Arvum* כרב KRB, temura homiophona חבר CBR sese adiungere, copulare.

4. *Gladius* חרב CRB, חבר CBR coniungere se, adhaerere.

*Fou* respondet ב B, Vocum datarum.

XXII. 勍 *King.*
894.

1. *Caput.* 2. *Os.* 3. *Parvum.* 4. *Potentia.* Fortis, robustus, violentus.

1. *Caput*, initium חלה CLE, חיל CIL fortis, robustus. *Caput* ראש RASC, שרר SCRR potestatem, potentiam exercens.

2. *Os oris* חבר CBR nuntiare, disserere homiophonon כביר KBIR, גבר GBR fortis, potens, praevalidus. *Os oris* קול QVL *vox*, *clamor*, חיל CIL fortis, robustus.

3. *Parvus* צער TZOR, et violentus, vehemens; et homiophonon צור TZVR cogens, angens, vexans, violentus. *Parvus*, *puer* חרף CRPH, et contumeliâ afficere, violare.

4. *Potentia*, *potens* חיל CIL, כביר KBIR, גבר, GBR.

*King* respondet ח C, כ K, ג G, Vocum datarum.

XXIII. 勺 *Tcho.*
930.

1. *Unum.* 2. *Involvere.* Haurire aquam, aquam extrahere.

1. *Unum unire* אחד ACD, homiophonon כד KD Cado, haustro, quo aqua hauritur.

2. *Involvere* est טלל THLL, דלה DLE extrahere aquam, דלו DLV haustrum. *Involvere* גלגל GLGL, גל GL גלה GLE aquae fons, scaturigo.

*Tcho*, *Cio* respondet ח C, כ K, ג G Vocum datarum.

*

XXIV. 合 *Ho.*
939.

1. *Involvere.* 2. *Homo.* 3. *Unum.* 4. *Os oris.* Circuitus, circulus, circumire.

1. *Involvere* גלל GLL, et Circulus גלגל GLGL, vel עגל OGL. *Involvere gyrare* חגג CGG, *Circulus* חוג CVG.

2. *Homo senex* שאב SCAB; circumire circumgyrare סבב SBB.

3. *Unum unire* יחד ICD, homiophonon כור KVR Circulus, circumitio: *Unire* יקף IQPH, circumire, in gyrum ire, gyrare ipsum יקף IQPH.

4. *Os oris* כלא KLA clamare, הלך ELK circum ire, circum gyrare: *Os* פה PHE, אפף APHPH ambivit, circumivit.

*Ho* respondet ו V, vel י I Vocum datarum.

XXV. 叨 *Tao.*
1115.

1. *Gladius.* 2. *Os oris.*
Concupiscere, desiderare.

1. *Gladius* צור TZVR, velle desiderare יצר ITZR. *Gladius, culter* חרמי CDMI, concupiscere, optare חמד CMD.

2. *Os oris* חמד CMD *laudare*, *celebrare*, et ipsum חמד CMD desiderare concupiscere. *Os oris* חכה CKE, *colloqui fabulari*, et ipsum חכה CKE exoptare cupere.

*Tao* respondet ד D Vocum datarum, quia Sinenses contraxerunt D in T.

XXVI. 台 *Tay.*
1121.

1. *Uncinus.* 2. *Os.*-Eminens, altus.

1. *Uncinus*, res *torta* intorta גדל GDL, et res eminens, alta. *Uncinus* חוח CVC, גג GG tectum, res alta, eminens.

2. *Os oris* גדל GDL arguere redarguere; גדל GDL res alta, eminens. *Os* חכה CKE *colloqui fabulari*, גג GG tectum, res celsa et sublimis.

*Tay* respondet ד D Vocis datae.

Idem *Syngramma*, scilicet *Uncinus* et *Os*, significant laetari, gaudere, et pronuntiatur y. Nam:

1. *Uncinus* est חד CD, quod sit acutus, et uniat יחד ICD, homiophonon חדה CDE laetari, gaudere. *Uncinus* חשק CSCQ; amare, desiderare, gaudere ipsum חשק CSCQ.

2. *Os oris* חדע CDO fallere decipere, quod *Ore* fit, חדה CDE gaudere laetari; בדח BDC ridere, quod *Ore* fit, et laetari gaudere. Tum homiophonon בדג BDG est etiam laetari, gaudere.

*Y* respondet י I, quae litera vel est, vel esse potest in datis Vocibus.

XXVII. 吴 *Hoa.*
1137.

1. *Os oris.* 2. *Canis.*

Tumultus, strepitus, voces confusae.

1. *Os oris* שוע SCVO strepitus, voces confusae, clamores: המה EME *vociferare*, fremere, strepitus edere, *Ideographicé.*

2. *Canis* כלב KLB, temura homiophona חבל CBL strepitus, tumultus, turba. *Fremitus Canum* המה EME, יהם IEM, quae omnem etiam strepitum, et rumorem, et tumultum significant.

*Hoa* respondet ע O, vel יה IE Vocum datarum.

XXVIII. 吮 *Chun.*
1164.

1. *Os oris.* 2. *Uncinus.* 3. *Res distorta.* Lingere, lambere.

1. *Os oris* לוע LVO, לחך LCK, לעק LOQ lingere, lambere, quod *Ore* fit.

2. *Uncinus* לוה LVE, homiophonon לוע LVO, est copulare adnectere, quod *Uncini* est: לחק LCQ homiophonon לחך LCK, est arripere, apprehendere, quod *Uncinus* facit.

2. *Curvus distortus* est קלע QLO, עקל OQL temurae לעק LOQ lingere, lambere.

*Chun* respondet ח C, et ק Q Vocum datarum.

XXIX. 告 *Kao.*
1178.

1. *Bos.* 2. *Os.*-Monere, indicare, significare.

1. *Bos* בקר BQR, ipsum בקר BQR monere significare. *Bos* אלף ALPH, ipsum docere, praecipere.

2. *Os oris* ipsum בקר BQR, ipsum אלף ALPH, monere, significare, quae plerumque *ore* fiunt.

*Kao* respondet ק Q datae Vocis.

XXX. 咍 *Hay.*
1212.

1. *Os oris.* 2. *Os* iterum. 3. *Uncinus.*
Ridere, risum edere.
1. *Os primum* ipsum ridere צקח TZQC.
2. *Os secundum* iterum ridere שחק SCCQ.
3. *Uncinus* חוח CVC, חוך CVK homiophonon est etiam ridere.

*Hay* respondet ח C Vocum datarum, quia litera ח pronuntiatur ut H a plurimis Semitis.

XXXI. 唱 *Tchang.*
1286.

1. *Os oris.* 2. *Loqui.* 3. *Oculus.*
1. Canere, cantare: 2. Dux ductor.
1. *Os oris* ipsum canere שור SCVR, ענה ONE, הוד EVD: שר SCR Dux ductor, האדי EADI Dux-iterum, ductor.
2. *Loqui*, *colloqui* כלם KLM, et canere cantare; temura מלך MLK est Rex, Dux. ענה ONE recitare, alloqui, et cantare שבח SCBC laudare, hymnos recitare et canere.
3. *Oculus* עין OIN, ענה ONE canere. *Cernere intueri* שור SCVR, ipsum שור SCVR canere; שר SCR Princeps Dux. *Observare inspicere* נטר NTHR נר homiophonon Dux, Princeps.
*Tchang*, *Ciam*, *Ziam*, respondet זם ZM, זום ZVM sonare, resonare, strepere, et parti vocis זמ-ר ZM-R canere cantare.

XXXII. 問 *Ouen.*
1300.

1. *Porta.* 2. *Os.*-Aestimare, examinare.

1. *Porta* שער scor, ipsum שער scor aestimare, examinare, inquirere.

2. *Os* שור scvr canere homiophonon שער scor aestimare taxare.

*Ouen* respondet ע o Vocis datae, vel ענה one observare, perpendere, augurari, vel הון evn velle, conari, contendere.

XXXIII. 喟 *Kouei.*
1543.

1. *Os oris.* 2. *Arvum.* 3. *Oculus.*

Suspirare, gemere, ingemere.

1. *Os oris* ipsum אנח anc, אנק anq suspirare, gemere, quae *Ore* fiunt.

2. *Arvum ager* חיל cil, dolere, angi חול cvl; אגיא agia, יגב igb arvum, ager, sulci, הגה ege gemere, ingemere: שדה scde Arvum, ager, שדד scdd vexare, angere, unde gemitus et lacrimae.

3. *Oculus* עין oin symbolum Ideographicum lacrimarum. Tum עין oin est homiophonon ענה one afflictioni, oppressioni, et אנן ann moerori, gemitui.

*Kouei* respondet ח c, ק q, ג g Vocum datarum.

XXXIV. 囝 *Kien.*
1512.

1. *Quadrangulum.* 2. *Filius.*
Filius, natus, infans.

1. *Quadrangulum* רבע RBO, בר BR filius, natus, רביא RBIA puer adolescens.

2. *Filius* ipsum בר BR, בן BN.

*Kien* respondet Semitico ניק NIQ infans, lactens, filius, qui קנה QNE possidetur, et נאק NAQ vagit.

XXXV. 堀 *Ko.*
1631.

1. *Terra.* 2. *Cadaver.* 3. *Plantae.*
Fovea, antrum, caverna.

1. *Terra* Symbolum determinans, quia foveae, antra subterranea sunt; tum חרש CRSC *arvum*, *terra arata* est etiam fodere, effodere, excavare; atqui effossione vel fiunt, vel fieri putamus antra et cavernas. Tum *Terra*, *arvum*, *ager* est etiam שדה SCDE excavare, excindere, rumpere.

2. *Cadaver*, quia Cadavera frequentissime in Caveis et Cryptis conduntur. Tum *Cadaver* est גוה GVE, et גיא GIA est vallis, terra profunda, cava. *Cadaver* est פגר PHGR, et פגר PHGR est aperire, disrumpere, adeoque res aperta, disrupta, quae cavea est et antrum: quin Temura homiophona חפר CPHR est ipsa fovea antrum, caverna.

3. *Plantae*, *rami*, *spinae* שוך SCVK, fovea antrum שוח SCVC.

*Ko* respondet ח C, ג G, ך K Vocum datarum.

XXXVI 娟 *Iuen.*
1930.

1. *Mulier.* 2. *Os oris.* 3. *Oculus.*
Pulcher, venustus, gratiosus.

1. *Mulier,* מעין MOIN *uterus*, proprius mulierum; נעם NOM *Mulier delicata*, mollis, blanda, et ipsum נעם NOM pulcher, venustus, decorus.

2. *Os oris* נאם NAM loqui, proloqui; נעם NOM dulcibus modis canere, suaviter alloqui, et נעם NOM pulcher venustus.

3. *Oculus* עין OIN, et מ-עין M-OIN fascinare incantare oculis, et נעם NOM est pulcher decorus, et *oculis* pulcritudo indicatur, et in *oculis* magna venustas.

*Iuen*, *Iue* respondet ע O Vocum datarum.

XXXVII. 媽 *Mou.*
1994.

1. *Mulier.* 2. *Equa.* -- Mater, genitrix.

1. *Mulier*, *Mater* ipsa אם AM.

2. *Equa* חיל CIL, parere, quod *matrum* est, חול CVL. *Equa* רמך RMK temura homiophona רחם RCM uteri, quo matres fiunt.

*Mou* respondet temurae Vocis Semiticae אם AM, et Voci receptae *mou*.

XXXVIII. 字 *Tse.*
2065.

1. *Tectum.* 2. *Filius.* -- Amare, lactare.

1. *Tectum tegere*, abscondere celare חבב CBB, ipsum חבב CBB diligere, amare. *Tegere obtegere* צלל TZLL, טלל THLL, טל THL puer, infans, qui lactatur et nutritur. *Tectum* גדל GDL ipsum גדל magnum facere, augere, crescere facere.

2. *Filius* ניק NIQ, lactare, lac praebere ipsum ניק NIQ. *Filius* infans, qui lactatur רצע RTZO, רצה RTZE est bene velle, diligere, amare. *Filius nutritus, alumnus* אמן AMVN, et *nutricius* altor אומן AVMN.

*Tse* respondet Voci receptae *tse* amare, cooperire, nutrire, filius: vel צ TZ Vocum datarum.

XXXIX. 孚 *Fou.*
2067.

1. *Unguis.* 2. *Filius.* -- Convenire, congregari

1. *Unguis* צפר TZPHR, צרף TZRPH, צבר TZBR congregari, convenire. *Unguis, ungula* טלף THLPH, טפל THPHL convenire, concordare, congregari.

2. *Filius adolescens* צפר TZPHR, צרף TZRPH convenire. *Adolescens* צבי TZBI, צבא TZBA congregari, convenire. *Puer*, societas puerorum טפל THPHL, et ipsum טפל THPHL adiungere, coniungere, sociare se.

*Fou* respondet פ PH Vocum datarum.

XL. 宣 *Suen*.
2122.

1. *Tectum*. 2. *Duo*. 3. *Loqui*.
Declarare, manifestare, publicare.

1. *Tectum* שוך SCVK, שוח SCVC loqui, proloqui; טלל THLL tegere obtegere, דלל DLL manifestare declarare. *Tectum* גגה GGE, הגה EGE loqui, alloqui.

2. *Duo* שנים SCNIM, שני SCNI, שנה SCNE, סנה tradere, explanare, docere; unde *Sunna* Arabum, *Misna*, et *Tannim* pro *Sannim* Rabbinorum.

3. *Dicere* est ipsum שוח SCVC, et שנה SCNE. *Suen* respondet ipsi שנה SCNE, סנה SNE Semitarum.

XLI. 室 *Chi*.
2123.

1. *Tectum*. 2. *Unum*. 3. *Uncinus*. 4. *Terra*.
1. Domus, aedes. 2. Uxor, coniux.
1. Domus, aedes.

1. *Tectum* גגה GGE, שוך SCVK, טבק THBQ, Symbolum Ideographicum *Domus*, quia *Tecto* fit Domus, et absque *Tecto* nulla Domus est.

2. *Unum* אחד ACD, חדע CDO cubile, conclave.

3. *Uncinus* חוח CVC, res cava, concava, ut Domus, et Scala כוק KVQ: *Uncinus catena* שירה SCIRE, שרה SCRE habitaculum, domus.

4. *Terra arata* חרש CRSC symbolum loci, sedis: tum ipsum חרש CRSC est opus, opificium, et ramus, lignum, ex quo Domus apud Sinas etiam modo plerumque extruuntur.

*Chi* respondet ח c, כ k, ק q Vocum datarum.
2. Uxor, coniux.

1. *Tectum* כפה kphph tegere obtegere, ipsum velum Uxorum et Nuptarum dicitur כפה kphe, כיפה kiphe. *Habitaculum*, *Tectum* שרה scre, ipsum שרה scre *Domina*, Hera, Coniux.

2. *Unum* אחד acd, Ideographice coniugem, coniunctam, copulatam significat.

3. *Uncinus*, catena שירה scire, *Ideographice* ob vinculum Nuptiale: *Lexeographice*, quia שרה scre est Domina, coniux.

4. *Terra* ארץ artz, vel חריש crsc: At ארס ars est desponsatio, ערס ors thalamus nuptialis, et כרש krsc uterus. *Terra* שדה scde, שד scd mammae propriae uxorum et matrum.
*Chi* respondet ח c, כ k Vocum datarum.

XLII. 宴 *Yen*.
2133.

1. *Tectum*. 2. *Loqui*. 3. *Mulier*.
1. Quies, otium. 2. Laetitia, hilaritas, gaudium. 3. Potare, convivari.
1. Quies, otium, tranquillitas.

1. *Tectum* Symbolum Ideographicum quietis et tranquillitatis, quia sub *Tecto* quiescimus. *Tectum*, *Domus* נוה nve, נוח nvc quiescere, requiescere.

2. *Loqui alloqui* חנה cne oratio postulatio, כנה kne nuncupare, cognominare חנה cne sedere, residere, quiescere, נוח nvc quiescere, cessare. *Loqui proloqui* שוח scvc, et ipsum שוח scvc sedere, desidere, deprimere se humi.

3. *Mulier ;* חין CIN *sinus* gremium proprium *Mulierum*, חנה CNE sedere, quiescere, demittere se ad quiescendum; שילה SCILE *secundina Mulierum* parientium, שלה SCLE quies, tranquillitas. *Mulier* אשת ASCT, שת SCT ponere, collocare, atqui posita, et collocata quiescunt.

*Yen* respondet Voci receptae; vel est loco *Hien*, otiosus, quiescens, nempe temura remissior נוח NVC quiescere, vel quasi perfecta נוה NVE habitare, manere, quae quies est.

2. Laetitia, hilaritas, gaudium.

1. *Tectum* צלל TZLL tegere contegere, צהל TZEL laetari gaudere. *Tectum* גגה GGE, גאה GAE exsultare, exsilire. *Tectum*, cubiculum חדע CDO, חדה CDE laetari, exhilarari.

2. *Loqui* דבה DBE, בדח BDC laetari, gaudere. *Loqui* פצה PHTZE, פצח PHTZC laetari. *Loqui barbare*, לעז LOZ, irridendo לצץ LTZTZ; laetari gaudere צהל TZEL.

3. *Mulier* חללה CLLE, חול CVL pariens, חלל CLL pulsare organa musica, tripudiare, גול GVL exsultare laetari; יחל ICL sperare, gaudere.

*Yen* fortasse loco *Hien* respondet Voci receptae, quia *Hien* est ridere.

3. Potare, compotare.

1. *Tectum* שוך SCVK, שקה SCQE potare, compotare.

2. *Loqui* שוח SCVC, potare compotare שקה SCQE.

3. *Mulier* אשת ASCT, שתה SCTE potare, compotare: ארס ARS *Sponsa*, שרה SCRE Hera, שרה SCRE convivium, compotatio.

*Yen* respondet Voci receptae, convivio, compotationi, saturitati, satietati.

XLIII. 寍 *Ning.*
2151.

1. *Tectum.* 2. *Cor.* 3. *Pelvis*
Quies, requies, tranquillitas.

1. *Tectum* Ideographice, quod sub *Tecto* quiescimus. Tum *Habitaculum*, *Tectum* נוה NVE, נחה NCE; נוח NVC quiescere, requiescere. *Tectum* צלל TZLL, homiophonon שלה SCLE est quies, requies.

2. *Cor* est בל BL, בהל BEL est quiescere, cessare.

3. *Pelvis* צלח TZLC pax, conciliatio, tranquillitas.

*Ning* respondet Voci Semiticae נוח NVC, Sinica pronunciatione *Ning*.

XLIV. 尖 *Tsien.*
2207.

1. *Parvus.* 2. *Magnus.*
Subtilis, acutus, Turris.

1. *Parvus* צער TZOR, res subtilis minuta; Homiophonon צור TZVR Turris. Tum צנם TZNM res parvae, tenues, subtiles; et colles, monticuli, tumuli, qui relate dici possunt magni, et quasi Turres.

2. *Magnus* celsus גדל GDL, fila subtilia, tenuia גדל GDL, et Turris etiam גדל GDL.

*Tsien* respondet צ TZ Vocum datarum.

XLV. 崇 *Tsong.*
2318.

1. *Mons.* 2. *Tectum.* 3. *Duo.* 4. ***Parvus.***
Altus, eminens, extollere, elevare.

1. *Mons collis* גבה GBE et גבל GBL; res celsa elevata etiam גבה GBE, et גבל GBL tropice. *Mons* טור THVR, צור TZVR Arx, petra celsa, mons elevatus. *Colles*, tumuli, petrae celsae elevatae צנם TZNM.

2. *Tectum* Ideographice, quia pars Domus sublimior. *Tectum* גגה GGE, גאה GAE elevare, attollere, גוה GVE sublimitas, eminentia. *Tegere* צלל TZLL, תלל TLL elevare, adtollere.

3. *Duo* כפל KPHL duplicare, גבל GBL mons, res elevata, sublimis. *Duo* שנים SCNIM, צנם TZNM colles, petrae celsae, sublimes.

4. *Parvus* צער TZOR homiophonon צור TZVR mons, petra, scopuli eminentes celsi, Turris, arx praecelsa.

*Tsong* respondet צ TZ Vocum datarum.

XLVI. 崽 *T'say.*
2334.

1. *Mons.* 2. *Arvum.* 3. *Cor.* — Filius, natus.

1. *Mons* הר ER; הרה ERE gravida, graviditas, ex qua Filii. *Mons*, *collis* גבה GBE, homiophonon חיב CIB sinus, gremii, quo *Filii* nutriuntur, et amoris חבב CBB, quo filios prosequuntur genitores. *Mons, petrae praecelsae* צור TZVR, imago simulacrum parentum; זרע ZRO semen, filius, צער

TZOR parvulus, infans. Res celsa, elevata על OL, mons מ-איל M-AIL, infans filius עול OVL.

2. *Arvum*, *terra* חרש CRSC, כרש KRSC uterus, quo filii gestantur. *Arvum* שדה SCDE, שד SCD Mamma, qua filii nutriuntur. *Terra* ארץ ARTZ; temura homiophona זרע ZRO semen, filius.

3. *Cor* לב LB, symbolum Ideographicum amoris materni. *Cor* medium corporis humani בין BIN, בן BN filius, natus.

*Tsay* respondet צ TZ Vocum datarum, יצא ITZA voci Semiticae, quae significat filium, et Voci receptae *Tse* Filio.

XLVII. 形 *Hing*.
2657.

1. *Unum*. 2. *Cogere*, *coniungere*. 3. *Plumae*. Figura, imago, species, simulacrum.

1. *Unum*, *unire*, *colligere* summa, numerus collectus גמל GML; forma, species ipsum גמל GML.

2. *Cogere coniungere* צור TZVR, imago, forma ipsum צור TZVR; צלל TZLL coniungere adiungere, צלם TZLM imago simulacrum.

3. *Pluma ala* נצה NTZE, נצים NTZIM, qui volant; צנם TZNM imago, simulacrum.

*Hing* respondet voci Semiticae היה EIE speciei, formae, et Voci receptae Sinensi.

XLVIII. 忍 *Gin*.
2733.

1. *Gladius*. 2. *Cor*. -- Patientia, sufferentia.

1. *Gladius* secare, abscindere מול MVL, vel

מחל MEL; Patientia tolerantia ipsum מחל MEL; et temura homiophona חמל CML HML est sustentare, ferre, sufferre.

2. *Cor* symbolum Ideographicum, quia *Cor* omnium affectuum sedes. Tum בהל BEL homiophonon לב LB *Cordis* est cessare, desistere, pavidum esse et trepidum, quae plerumque in patientia et sufferentia sunt.

*Gin*, *Gim*, *Cim*, *Zim* respondet Semitico זם ZM, quae Vox patientiam et sufferentiam notat.

XLIX. 忄工 *Kong.*
2739.

1. *Cor.* 2. *Opificium* -- Animi angustiae, moerores.

1. *Cor* בל BL, sedes affectuum, et moeroris, בהל BEL est pavidus, anxius, turbatus fuit.

2. *Opificium* צור TZVR, יצר ITZR, assimilare, effigiare, et צור TZVR est angere, cruciare; צנע TZNO operari assimilari, צנם TZNM imago, effigies, סנה SNE spina, צנים TZNIM spinae aculei, et Tropicê animi cruciatus.

*Kong* respondet אנח ANC, et אנק ANQ Semitarum, quae sunt angor, gemitus, angustiae animi. Et אנך ANK est perpendiculum Fabri, *Opificis.*

L. 怕 *Pa.*
2776.

1. *Cor.* 2. *Albus* -- Timere, pavere.

1. *Cor* sedes pavoris et timoris, בהל BEL homiophonon בל BL *Cordis* est timere pavere.

2. *Albus* לבן LBN, *Cor* לב LB, pavere בהל BEL נ-בהל N-BEL. Tum *Albus candidus* חור CVR, et חרד CRD, etymum verum Latini *Cordis*, est trepidare, trepidum esse.

*Pa* respondet ב B Vocum datarum.

LI. 恈 *Meou.*
2810.

1. *Cor.* 2. *Uncinus* 3. *Bos.*

Expetere, exoptare, desiderare.

1. *Cor* sedes desiderii et cupiditatis. *Cor*, sinus, pars interior חיב CIB, חבב CBB amare, desiderare.

2. *Uncinus* חשק CSCQ, ipsum est amare, desiderare, concupiscere.

3. *Bos* בקר BQR, velle, desiderare ipsum בקר BQR; *Bos* שור SCVR, תור TVR homiophona יצר ITZR desiderare, concupiscere. *Mugitus Bovis* נעה GOE est desiderabile, exoptatum.

*Meou* respondet temurae Vocis Semiticae עים OIM, quae est ipsum cupere, desiderare, ardenter velle.

LII. 悡 *Ly.*
2874.

1. *Planta Cerealis.* 2. *Gladius.* 3. *Cor.*

Odium, odisse, odio habere.

1. *Planta cerealis*, *Spica* מליל MLIL, odisse, odium מלל MLL.

2. *Gladius* מחרה MCRE, homiophonon מכרח MKRC est odium odisse. *Gladius acutus* שן SCN; סנה SNE, שנא SCNA odium odisse.

*

3. *Cor* לב LB , sedes odii, Sema Ideographicum: Tum *Cor* בל BL , בעל BOL fastidire , reiicere.
*Ly* respondet ל L Vocum datarum.

LIII. 悰 *Tsong.*
2877.

1. *Cor*. 2. *Tectum*. 3. *Duo*. 4. *Parvus*.
Cogitare, considerare , meditari.

1. *Cor* pars corporis interior , media בין BIN ; בינה BINE considerare, meditari , intelligere. Tum vis qua cogitamus , et meditamur, pluribus Gentibus dicta etiam *Cor*.

2. *Tectum* שוך SCVK , quia שכך SCKK est tegere obtegere , שוח SCVC meditari , considerare. *Tectum* כסה KSE כסס KSS , כסה KSE numerare , supputare: Adeoque cogitare , et meditari , quia omnis cogitatio species quaedam est calculi et supputationis. *Tectum* נגה GGE , הגה EGE meditari, considerare , imaginari.

3. *Duo*, et etiam inter *duo*, *medium* , *medietas* בין BIN בינה BINE intelligere considerare.

4. *Parvus* צער TZOR , יצר ITZR est cogitare , imaginari , considerare.

*Tsong Tsom* respondet voci Semiticae זמם ZMM cogitare , considerare.

LIV. 惇 *Tchun.*
2900.

1. *Cor*. 2. *Caput*. 3. *Os*. 4. *Filius*.
Fidelis , sincerus , veridicus.

1. *Cor* לב LB , *Ideographice*, quia sedes o-

omnium humanorum affectuum, adeoque fidelitatis, sinceritatis, veracitatis. Quin etiam *Lexeographice*. Partes enim interiores humani corporis, inter quas est *Cor*, dicuntur Semitis מאן MAN; temura homiophona אמן AMN est sincerus, fidelis, veridicus.

2. *Caput* ראש RASC, שררא SCRRA est veritas, veracitas.

3. *Os oris, loqui, proloqui* נאם NAM, אמן AMN verax fidelis. *Os*, *canere* שור SCVR, שררא SCRRA veritas. *Os appellare cognominare* כנה KNE, כון KVN rectitudo, certitudo, veritas.

4. *Filius*, nutritus אמן AMN, ipsum אמן AMN veridicus sincerus. *Filius infans* ניק NIQ, כון KVN rectus, certus, verus.

*Tchun* respondet Voci Semiticae כון KVN.

LV. 惈 *Ko*.
2901.

1. *Cor*. 2. *Arvum*. 3. *Arbor*.

Fortis, audax, impavidus.

1. *Cor* לב LB, animus, audentia animi. *Cor* כבד KBD *viscera*, quia unum ex *visceribus*, כבר KBR, כביר KBIR validus, superbus, vehemens.

2. *Arvum* כרב KRB, temura כביר KBIR fortis, audax. *Arvum* שדה SCDE, שדד SCDD violentus, fortis. *Arvum* חרש CRSC, asper, durus, violentus etiam חרש CRSC.

3. *Arbor*, *lignum* עץ OTZ, fortis, robustus etiam עץ OTZ. *Arbor*, *ramus*, lignum חרש CRSC, et ferox, asper, durus.

*Ko* respondet ח C, vel כ K Vocum datarum.

LVI. 悢 *Leang*.
2904.

1. *Cor*. 2. *Caput*. 3. *Os oris*. 4. *Parvus*.
Tristis, afflictus, moerens.

1. *Cor* לב LB; Sema *Ideographicum*, et *Lexeographicum*, quia בהל BHL temura homiophona לב LB *cordis*, est turbatus, pavidus, trepidus, adeoque moerens, et tristis.

2. *Caput* ראש RASC, רשא RSCA est queri, conqueri, lamentari. *Caput* initium חלה CLE; חול CVL, חלל CLL dolere, moerere, esse in tristitia et aegritudine.

3. *Os oris* אנח ANC, אנק ANQ gemere, ingemere, moereri. *Os dicere loqui* אמר AMR, מר MR, מרר MRR tristitia, moeror. *Os*, *colloqui* מלא MLA, עמל OML aegritudine molestia angi.

4. *Parvus* צער TZOR, ipsum צער TZOR contumelia, ignominia, adeoque moerore, et tristitia afficere: Homiophonon צור TZVR est angere, affligere, dolore afficere.

*Leang* respondet ל L, et ר R Vocum datarum.

LVII. 想 *Siang*.
2930.

1. *Arbor*. 2. *Oculus*. 3. *Cor*.
Cogitare, considerare, meditari.

1. *Arbor*, *Lignum* חרש CRSC, ipsum חרש CRSC cogitare, excogitare, considerare. *Lignum*, *trabs* חשבה CSCBE, חשב CSCB cogitare, excogitare, considerare.

2. *Oculus* שור SCVR *videre*, *cernere* considerare; homiophonon שער SCOR aestimare, perpendere. *Videre*, *intueri* חזה CZE, et considerare providere. *Videre cernere* נטר NTHR, et considerare, deliberare, cogitare.

3. *Cor* symbolum omnis sollertiae animi humani, adeoque etiam intelligentiae et cogitationis, ut paulo supra animadvertimus. Tum *Cor*, medium, medietas בין BIN, homiophonon est בינה BINE sollertiae, intelligentiae, cogitationis.

*Siang* respondet ש SC Vocum datarum.

LVIII.  *Mao*.
2965.

1. *Cor*. 2. *Sol*. 3. *Oculus*.

Concupiscere, exoptare, desiderare.

1. *Cor* לב LB sedes omnis desiderii et cupiditatis *Ideographice*: Tum *Lexeographice*: Nam מאן MAN *Viscera*, inter quae est *Cor*, est temura homiophona מני MNI, מנא MNA desiderare, exoptare. *Cor* medium medietas תוך TVK, desiderium, cupiditas תוק TVQ.

2. *Sol* חרס CRS, שרח SCRC desiderio exardescere. *Sol* חמה CME, חום CVM ardere, כמה KME vehementer exoptare, desiderare.

3. *Oculus*; *Ideographice*, quia per Oculos potissimum excitantur et nutriuntur desideria. *Oculus*, lustrare, visitare פקד PHQD, ipsum פקד PHQD cupere, desiderare. *Oculus* עין OIN, homiophonon הוין BVIN, qui vult, qui desiderat, cupit. Tum *Oculus* עין OIN haberi etiam potest ut homiophonon עים OIM appetere desiderare.

*Mao* respondet מ M Vocum datarum, et temurae vocis Semiticae עים OIM.

LIX. 拗 *Nao, Keou-nao.*
3262.

1. *Manus*. 2. *Uncinus*. 3. *Involvere*.
Uncinus, Harpago.

1. *Manus* כף KPH, curvus, incurvus, aduncus, ut Harpago, כפף KPHPH.

2. *Involvere* ipsum כפף KPHPH, quod curvando res involvantur.

3. *Uncinus* etiam כף KPH, quod sit res curva incurva, vel חרף CRPH, חוח CVC.

*Keou* respondet כ K, vel ח C Vocum datarum. *Nao* est vox recepta.

LX. 抇 *Kue.*
3264.

1. *Manus*. 2. *Sol*: Fodere, terram exercere.

1. *Manus*: *Ideographice*, quia terra *manu* et ligone effoditur.

2. *Sol* est חרס CRS, חרש CRSC est terram exercere fodere; ligo, sarculum חרש CRSC.

*Kue* respondet ח C datae Vocis.

LXI. 抬 *Tchy.*
3279.

1. *Manus*. 2. *Uncinus*. 3. *Os oris*.
Percutere, pulsare, verberare.

1. *Manus*: *Ideographice*, quia plerumque manu percutimus et verberamus. Tum *Manus* est יד ID,

ידה IDE est iacere, proiicere, intendere, protendere; Atqui quasi manus יד ID iaciendo et movendo ידה IDE verberamus.

2. *Uncinus* חרף CRPH, iniuriam contumeliam inferre, quod verberando facimus. *Uncinus* קרע QRO, ipsum קרע QRO verberare, pulsare.

3. *Os oris* לעם LOM manducare, mandere, להם LEM percutere, הלם ELM tundere: *Lingere lambere* לחך LCK, verberare, pulsare לקה LQE. *Os ipsum* דקם DQM, מ-דקק M-DQQ verbera, ictus.

*Tchi* respondet Voci receptae, quae significat impellere, proiicere, verberare, pulsare.

LXII. 拐 *Kouay.*
3305.

1. *Manus.* 2. *Os.* 3. *Vis*: Decipere, fallere.

1. *Manus* כף KPH, כפן KPHN; dolosus, simulator, deceptor חנף CNPH. *Manus* יד ID, homiophonon ידה IDE iacere proiicere, quod homiodynamicum est רמה RME, et רמיה RMIE est fallacia, dolus, deceptio.

2. *Os oris* est שקר SCQR, mentiri fallere. *Deglutire vorare* בלע BLO, ipsum בלע BLO, et לעב LOB, fallere decipere. *Loqui proloqui* מלא MLA, מלהי MLEI deceptor, impostor.

3. *Potentia robur* חיל CIL, et secundum plures dolus et deceptio. *Potens* validus כביר KBIR, חרב CRB deceptor impostor.

*Kouay* respondet כ K, ק Q, ח C, et etiam ע, quasi Gh pluribus, Vocum datarum.

LXIII. 拾 *Chy.*
3339.

1. *Manus.* 2. *Homo.* 3. *Unus.* 4. *Os oris.*
1. Colligere, adunare. 2. Pharetra.
1. Colligere, adunare.

1. *Manus* Signum *Ideographicum*, quia plerumque manu colligimus. Tum *Manus* כף KPH, et כף KPH est volvere, involvere, adeoque adunare, et colligere. Tum *Manus* יד ID, איד AID; homiophonon יחד ICD, sive IHD in unum cogere adunare.

2. *Homo*, *filius* unigenitus יחיד ICID, אחד ACD, יחד ICD in unum cogere, adunare, sociare. *Homo adolescens* עלם OLM, אלם ALM colligare, adunare.

3. *Unum*, *unire* יחד ICD adunare congregare; homiophona אגד AGD, אגר AGR congregare adunare.

4. *Os oris* decipere mentiri חדע CDO, יחד ICD consociare adunare. *Loqui proloqui* חבר CBR, ipsum חבר CBR coniungere, consociare, adeoque colligere.

*Chy* respondet ח C, vel ג G Vocum datarum.
2. Pharetra, theca sagittarum.

1. *Manus* יד ID, ידה IDE iacere proiicere, quia iacula *Pharetrâ* conduntur.

2. *Homo infans* טל THL, טלי THLI, Pharetra תלי TLI, et טלאי THLAI frusta pellis, quibus plerumque Pharetrae טלל THLL conteguntur.

3. *Unum* אחד ACD, quia Pharetrâ conduntur res *acutae*, acie praeditae חד CD; spicula חד CD acuta.

4. *Os oris*, *labium* שפה SCPHE temura ho-

miophona אשף ASCPH pharetrae. Tum תלה TLE est *orare* , *recitare* , תלי TLI Pharetra.

*Chy* respondet Voci receptae , qua significatur spiculum , telum , arcum remittere , detendere , dirigere , vibrare ad scopum , etc.

LXIV. 㧤 *Tchong*.
3344.

1. *Manus*. 2. *Caput*. 3. *Uncinus*. 4. *Tortus distortus*.

Saltare , choros agere , festum celebrare.

1. *Manus* יד ID , ידה IDE iactare , iacere , quia corpus in choreis et tripudiis iactatur et agitatur. Tum עד OD homiophonon יד ID *Manui* est festum festivitas, quibus plerumque saltationes apud Veteres agebantur. *Manus* איד AID , הוד EVD laudes celebrare , laudare , psallere.

2. *Caput* ראש RASC , שור SCVR canere , psallere , saltare , tripudiare. *Dux* , *ductor* האדי EADI , עדי ODI festum , solemnitas , הוד EVD laudare , celebrare. *Principium caput* חלה CLE , חלל CLL tripudiare , saltare.

3. *Uncinus* חוח CVC , homiophonon חוג CVG festum , solemnitas , chorus , tripudium. *Uncinus* כף KPH , כנף KNPH , ipsum כנף KNPH congregatio , tripudium.

4. *Tortus* , *distortus* עגל OGL , גול GVL saltare , tripudiare.

*Tchong Ciong* respondet tum ח C , vel ג G vocum datarum , tum toti voci Semiticae חג CG.

LXV. 按 *Ngan.*
3347.

1. *Manus.* 2. *Tectum.* 3. *Mulier.*
Cohibere, detinere, comprimere.

1. *Manus :* Ideographice, quia plerumque *manu* cohibemus, et comprimimus. *Manus dextera* ימין IMIN, homiophonon מנע MNO cohibere detinere.

2. *Tectum* כשה KSCE, כסה KSE, prohibere continere חשך CSCK. *Tectum domus* שרה SCRE, אסר ASR cohibere, detinere, comprimere.

3 *Mulier* gravida חמל CML, ipsum חמל CML est detinere cohibere. *Mulier nupta Sponsa* ארס ARS, אסר ASR detinere, comprimere.

*Ngan Ngam* respondet Voci Semiticae מנע MNO, quasi MNG, et temurice NGAM.

LXVI. 捫 *Men.*
3400.

1. *Manus* 2. *Porta* -- Palpare, contrectare.

1. *Manus* : Ideographice, quia manu palpamus, et contrectamus. Tum *Manus dextera* est ימין IMIN, מנה MNE est putare, aestimare.

2. *Porta* שער SCOR, ipsum שער SCOR est palpare, adtrectare, aestimare.

*Men* respondet ימין IMIN *manui*, et מנה MNE aestimare.

LXVII. 掠 *Lio.*
3439.

1. *Manus*. 2. *Caput*. 3. *Os oris*. 4. *Parvus*. Rapere, abripere, auferre.

1. *Manus*: Ideographice, quia manibus rapimus, et corripimus. Tum *Palmus* est תפח TPHC, rapere abripere חתף CTPH.

2. *Caput* ראש RASC, רשא RSCA expoliare depauperare; tum סער SOR vel שער SCOR abripere, diripere.

3. *Os oris lingere lambere* לחך LCK; לקח LQC rapere abripere.

4. *Parvus*, *minutus*, *Infans*, lactens ניק NIQ, נקח NQC rapere auferre; *Parvulus puer* חרף CRPH, ipsum חרף CRPH rapere abripere; *Pullus* avium גזל GZL, ipsum גזל GZL abripere, rapere.

*Lio* respondet ר R, vel L Vocum datarum.

LXVIII. 搩 *Che.*
3451.

1. *Manus*. 2. *Caput*. 3. *Uncinus*. 4. *Arbor*. Numerare, computare, calculare.

1. *Manus*, Ideographice, qui manu saepe numeramus, et computamus. Tum *dextra Manus* ימין IMIN est homiophonon מנה MNE sup- putare numerare.

2. *Caput*, etiam Ideographice, quia cogitatione et sollertia mentis numeramus: Tum חשב CSCB et זמם ZMM sunt *cogitare*, excogitare, et supputare, calculare.

3. *Uncinus*, res curva, arcus חשב CSCB, quod ipsum est supputare calculare. *Uncinus* כרע KRO, ipsum כרע KRO ratio, discretio, calculus.

4. *Arbor*, *lignum*, *tigillum* חשב CSCB, ipsum חשב CSCB numerare supputare.

*Che* respondet ח C, vel כ K Vocum datarum. His autem *Signis* probabile est indicari a Sinensibus illam suam Machinulam Arithmeticam, quam Martinus Martinius in prima Decade Historiae Sinensis descripsit et edidit, et quam peculiari opere perfecit, et illustravit Praeceptor olim meus in Mathematicis Disciplinis Franciscus Antonius Tortorella.

LXIX. 揌 *Say*.
3464.

1. *Manus*. 2. *Arvum*. 3. *Cor*.

Agitare, movere, commovere.

1. *Manus* Ideographice. Tum *Manus* יד ID, ידה IDE iacere proiicere, et נוד NVD, quasi נ-יד N-ID, agitare exagitare.

2. *Arvum*, terra mota agitata חרש CRSC, homiophonon insuper חרץ CRTZ movere agitare. *Arvum* שדה SCDE, שדד SCDD agitare, exagitare.

3. *Cor* בל BL, בלל BLL miscere permiscere agitando, בהל BEL turbavit, perturbavit, exagitavit, et בלא BLA vexavit, commovit.

*Say* respondere potest Semitico שאה SCAE tumultui, turbae, agitationi, et commotioni vehementi.

LXX. 搕 *Ko*
3517.

1. *Manus*. 2. *Terra*. 3. *Uncinus*. 4. *Pelvis*.
Percutere, verberare, caedere.

1. *Manus:* Ideographice, quia plerumque manu verberamus, vel capimus, et accipimus. Tum *Digiti* sunt צבעא TZBOA; צבת TZBTH, dare, praebere, etiam verbera.

2. *Terra Arvum* שדה SCDE, שדד SCDD est premere, constringere, angere. *Arvum* כרב KRB, temura homiophona בקר BQR verberavit pulsavit. *Ager* אכר AKR, כר KR pulsare verberare; קרע QRO, קהר QER, נקר NQR etiam pulsare.

3. *Uncinus* חרף CRPH, contumeliâ afficere ipsum חרף CRPH, רפק RPHQ pulsare verberare.

*Pelvis* אגן AGN, נגע NGO pulsare verberare.

*Ko* respondet ח C, כ K, ג G Vocum datarum.

LXXI. 操 *Tsao*.
3645.

1. *Manus*. 4. *Tria Ora*. 5. *Arbor*.
Accipere, capere, tenere, servare.

1. *Manus* Ideographice, quia manu plerumque capimus et arripimus. *Palmus manus* טפח THPHC, תקף TQPH apprehendere, capere, arripere, *Palmus* פשך PHSCK; apprehendere, tenere, capere תפש TPHSC; חתף CTPH abripere.

2. *Os primum* Lingere lambere לחך LCK, vel לקק LQQ; capere arripere לקח LQC, et לכד LKD.

3. *Os secundum* loqui clamare כלא KLA , et קול QVL vox : capere tenere כול KVL , יכל IKL , וכל VKL.

4. *Os tertium Canere , cantare* שור SCVR , capere accipere ירש IRSC.

5. *Arbor, spina* סנה SNE, נשא NSCA accipere comprehendere. *Arbor malus* תפח TPHC , תקף TQPH capere adprehendere חתף CTPH rapere.

*Tsao* respondet voci receptae , et צ TZ nominum Signorum. Nam צבעא TZBOA sunt *digiti* , quibus fit *Manus* , צוח TZVC clamor , צעק TZOQ pariter clamor , צחק TZCQ risus , quae *ore* fiunt , et עץ OTZ *Arbor*.

LXXII. 晦 *Hoey*.
3936.

1. *Sol*. 2. *Unum*. 3. *Mater*.

Caligo , tenebrae , obscuritas :

1. *Sol* חמה CME , חום CVM furvus , niger , obscurus. *Sol dies* יום IVM , עמם OMM , עם OM tenebrae , caligo : *Sol* חרס CRS ; Temura שחר SCCR niger , obscurus.

2. *Unum , unire* , adsociare חבר CBR , הבר EBR nigredo , obscuritas , ערב ORB tenebrae caligo.

3. *Mater* אמם AMM , אם AM , אמת AMT , tenebrae caligo אמט AMTH , et עמם OMM , עם OM, obscuritas , tenebrae.

*Hoey* respondet ע Huo Vocum datarum.

LXXIII. 晧 *Hao*.
3935.

1. *Sol*. 2. *Bos*. 3. *Os oris*.
Splendor, fulgor, claritas, coruscatio.

1. *Sol* Ideographice, quia splendidissimus, et fulgidissimus, quia est אור AVR lux, et facit יום IVM diem.

2. *Bos* בקר BQR, ipsum בקר BQR Aurora, primum iubar Solis, et ברק BRQ fulgur, coruscatio, splendor. *Bos cornupeta* נגח NGC, et נגה NGE lux, splendor.

3. *Os oris* פה PHE, פהה PHEE; פעה PHOE, vox, clamor; יפע IPHO splendidus, lucidus, coruscans.

*Hao* respondet Aspirationibus vocalicis Vocum datarum.

LXXIV. 景 *King*.
3942.

1. *Sol*. 2. *Caput*. 3. *Os*. 4. *Parvum*.
Solis fulgor, splendor, claritas Solis.

1. *Sol* חרס CRS, חמה CME, Signum Cyriologicum, ipse Sol fons lucis et splendoris.

2. *Caput* ריש RISC, *Capitis Corona* זר ZR; splendidus fulgidus זר ZR, זהר ZER, צהר TZER. *Cornua*, quae Capitis sunt, קרן QRN, splendor, coruscatio, irradiatio etiam קרן QRN. *Caput* principium initium אול AVL, הלל ELL splenduit, coruscavit.

3. *Os oris* זעק ZOQ, צוח TZVC *clamare*, vo-

*ciferare*, צחח TZCC splendidus, lucidus, nitidus. *Pronunciare prologui* בטא BTHA, בטט BTHTH fulgere, coruscare: *Canere, praedicare* הלל ELL, ipsum הלל ELL splendere, fulgere.

4. *Parvus* צער TZOR, זהר ZER lucidus, coruscans. *Res tenues, minutae* ציצי TZITZI, ציץ TZITZ, ציה TZIE splenduit, illuxit, coruscavit.

*King* respondet ח C, ק Q Vocum datarum.

LXXV. 每 *Mey*.
4769.

1. *Caput.* 2. *Mater:* Singuli, quilibet.

1. *Caput* ראש RASC, אשר ASCR quilibet, singuli.

2. *Mater* אם AM; מי MI, מהי MEI quisquis, quilibet, singuli.

*Mey* respondet ipsi Semitico מהי MEI.

LXXVI. 毫 *Hao*.
4788.

1. *Caput.* 2. *Os.* 3. *Tegere.* 4. *Pili.*

Pili, crines, villi longi, prolixi.

1. *Caput* ראש RASC, pili, villi שער SCOR.

2. *Os oris* שור SCVR canere, cantare, שער SCOR villi longi et prolixi.

3. *Tegere obtegere* צלל TZLL; inumbrare umbram reddere צאל TZAL, quod faciunt villi longi et profundi.

4. *Pili* ipsi שער SCOR.

*Hao* respondet ע O *huao* Vocis datae.

LXXVII. 汓 *Tsieou*.
4847.

1. *Aqua*. 2. *Filius* : -- Natare, supernatare.

1. *Aqua* Ideographice, quia in aquis natamus, צוף TZVPH, שוט SCVTH, שחה SCCE natare.

2. *Filius*, *puer*, *parvulus* טף THPH, homiophonon צוף TZVPH. *Adolescens* צבי TZBI, צבע TZBO mergere aquis, aquis immergi, quod natantes faciunt.

*Tsieou* respondet צ TZ Vocum datarum.

LXXVIII. 沰 *Ty*.
4893.

1. *Aqua*. 2. *Lapis* : Guttae, stillae, stillare.

1. *Aqua* Ideographice אגל AGL, דלף DLPH ipsa stilla, נטף NTHPH stillare, destillare.

2. *Lapis* גלה GLE, גלל GLL; stilla gutta אגל AGL: *Lapis petra* כיף KIPH, פכה PHKE stillare, fluere.

*Ty* respondet ד D, et ט TH Vocum datarum.

LXXIX. 沺 *Tien*.
4900.

1. *Aqua*. 2. *Arvum* : Exundatio, inundatio.

1. *Aqua*, ipsa inundatio אשד ASCD, שפע SCPHO.

2. *Arvum* שדה SCDE, אשד ASCD inundavit, exundavit.

*Tien* respondet ד D Vocum datarum.

*

LXXX. 治 *Tchi.*
4901.

1. *Aqua.* 2. *Uncinus.* 3. *Os oris.*
Curare, sanare, mederi, regere.

1. *Aqua* מים MIM, הממ EMM curare procurare, sollicitum esse, cogitare. *Fluvius rivus* מיכל MIKL, יכל IKL; curare, procurare, defendere a malo ipsum יכל IKL. *Fluxus effluxus aquarum* פכה PHKE; curare, mederi כפה KPHE.

2. *Uncinus* כפף KPHPH, כפה KPHE curare providere, attendere; חפט CPHTH sollicitare, urgere opus, curare, perficere.

3. *Os oris* שוע SCVO clamare inclamare, אסה ASE mederi curare, ישע ISCO servare, liberare, sanare: יצף ITZPH, וצף VTZPH narrare, referre, proloqui, et curare, studere, attendere.

*Tchi* respondet כ K, ח C, צ TZ Vocum datarum.

LXXXI. 泉 *Tsuen.*
4911.

1. *Oculus.* 2. *Aqua* Fons, scaturigo aquae.
1. *Oculus* עין OIN, fons scaturigo etiam עין OIN.
2. *Aqua*, fons, scaturigo עין OIN.

*Tsuen* respondet Voci Semiticae יצא ITZA erumpere, scaturire, fons; et Voci receptae.

LXXXII 洝 *Ngan.*
4951.

1. *Aqua.* 2. *Tectum.* 3. *Mulier.*
Fons Aquae calidae, thermalis.

1. *Aqua* Ideographice, עין OIN, יצא ITZA fons; et יצת ITZT est urere comburere, adeoque calefacere.

2. *Tectum* tabernaculum עון OVN homiophonon עין OIN fontis. *Tectum* שוך SCVK, שקה SCQE rigare, potare; שכך SCKK lavare, שחה SCCE natare. *Tectum operculum* קמר QMR, כמר KMR calefactus, qui incaluit. *Tegere obtegere* חבא CBA, fovere calefacere חבב CBB; חומה CVME muri, moenia, quibus protegimur, et quo nomine ipsa tecta possunt appellari; חמי CMI, aquae thermales, balnea calida. *Tegere obtegere* צלל TZLL, צלי TZLI calefecit, calidum reddidit.

3. *Mulier* אשת ASCT, ignis etiam אשת ASCT, et שתה SCTE potare, bibere, rigare irrigare aquis. *Puella* קמר QMR, חמר CMR calefacere.

*Ngan*, Ngam respondere puto עין OIN fonti, et חום CVM calido.

LXXXIII. 浣 *Houan.*
4984.

1. *Aqua.* 2. *Tectum.* 3. *Duo.* 4. *Tortus.*
Lavare, purgare aquis, mundare.

1. *Aqua* Ideographice, quia aquâ abluimus et purgamus sordes, כבס KBS, עום OVM, שכך SCKK.

2. *Tectum* שוך SCVK, שכשכ SCKSCVK agitare.

in aquis , lavare , סחה SCE lavare abluere ; שחה SCCE natare , in aquis agitare. *Tegere obtegere* כבש KBSC ; lavare , purgare aquis כבס KBS.

3. *Duo*, duplex annus עאמי OAMI , עום OVM lavare , abluere.

4. *Tortus* , *curvus* שוח SCVC , שוג SCVG , סחה SCE, שחה SCCE lavare abluere.

*Houan* , Houam respondet עין OIN scaturienti aquae, et עום OVM lavare , abluere.

## LXXXIV. 海 *Hay.*
## 4993.

1. *Aqua.* 2. *Unum.* 3. *Mater.* -- Mare, Maria.

1. *Aqua* מיא MIA Ideographice , et Lexeographice , quia temura homiophona ים IM est mare.

2. *Unum* unire , et congregare coadunare אחד ACD , יחד ICD, et homiophonon אגד AGD , quia *Mare* est magna congregatio et collectio aquarum. Tum *unire adsociare* חבר CBR , Mare בחר BCR.

3. *Mater* אם AM , Mare ים IM.

*Hay* respondet י I datarum Vocum , et Voci receptae.

## LXXXV. 涅 *Nie.*
## 5000.

1. *Aqua.* 2. *Sol.* 3. *Terra.*

Terra nigra , color niger , fuscus.

1. *Aqua* מיא MIA , מים MIM; tenebrosus niger obscurus עמם OMM , עם OM. *Lacus stagnum* אגם AGM , niger fuscus אכם AKM. *Fluere effluere* אשד ASCD, סוד SVD niger fuscus, שדה SCDE ager, arvum , terra.

2. *Sol* חמה CME, חום CVM furvus, niger. *Sol* חרס CRS, שחר SCCR niger, obscurus, ater, et חרש CRSC terra arata, novale.

3. *Terra arata* חרש CRSC, ater, fuscus שחר SCCR. *Terra exculta* שדה SCDE, סוד SVD niger fuscus.

*Nie* fortasse respondet temurae יון IVN caeno, luto, quod est species terrae nigrae et pinguis.

## LXXXVI. 涼 *Leang*.
## 5028.

1. *Aqua*. 2. *Caput*. 3. *Os*. 4. *Parvus*.

Minutus, debilis, tenuis, parum.

1. *Aqua*, Ideographice, quia fluida, et in minutissimas guttas separabilis. Tum *Aqua* מיא MIA, et מה ME quid, aliquid, parum, res minutae et tenues. *Ros* aqua minutissima טל THL, דלי DLI exhaustus, debilis, tenuis.

2. *Caput* ריש RISC, רוש RVSC pauper tenuis, רשא RSCA depauperare, tenuem et inopem reddere. *Caput res alta* elevata sublimis תלה TLE, דלה DLE res tenues, exhaustae.

3. *Os oris* דלל DLL manifestare praedicare, דל DL tenuis minutus.

4. *Parvus parum* צער TZOR, זער ZOR, דל DL, דלה DLE, Cyriosematice.

*Leang* respondet ל L, ר R, Vocum datarum.

LXXXVII. 湄 *Mao.*
5116.

1. *Aqua*. 2. *Dicere*. 3. *Oculus*.
Inundatio, exundatio.

1. *Aqua* מיא MIA, ipsa inundatio, quasi mare ים IM; שפע SCPHO, אשד ASCD.

2. *Dicere loqui* שוח SCVC, rigare irrigare שקה SCQE: *Labium sermo* שפה SCPHE, שפע SCPHO orare precari, et inundare exundare. *Consultare, consilia petere* vel *dare* סוד SVD, effusio aquarum inundatio אשד ASCD.

3. *Oculus* עין OIN fons, scaturigo, effusio aquarum. *Cernere*, *speculari* צפה TZPHE, צפצפה TZPHTZPHE fluxus aquae copiosus et vehemens.

*Mao* respondet vocibus Semiticis מיא MIA aqua, et ים IM mare.

LXXXVIII. 源 *Youen.*
5126.

1. *Aqua*. 2. *Tectum*. 3. *Oculus*. 4. *Parvus*.
Fons, scaturigo aquarum.

1. *Aqua* fons aquarum עין OIN.

2. *Tectum* שוך SCVK, שקה SCQE rigare irrigare, שוק SCVQ canalis, rivus aquae.

3. *Oculus* עין OIN fons, scaturigo aquarum.

4. *Parvus* minutus מה ME, מיא MIA aqua, tenuis, minutus, vilis זלל ZLL, זלג ZLG fluere scaturire, זלע ZLO haurire educere aquas.

*Youen* est ipsum Semiticum עין OIN scaturigo aquarum, fons.

LXXXIX. 灱 *Ho.*
5385.

1. *Ignis.* 2. *Gladius.* -- Incendium magnum.
1. *Ignis* Ideographice, בער BOR, חרך CRK.
2. *Gladius* חרב CRB, desolatio vastatio, et aestus, calor, siccitas; adeoque symbolum opportunum incendii vastatoris.
*Ho* respondet nomini Ignis recepto.

XC. 炒 *Tchao.*
5402.

1. *Ignis.* 2. *Parvum :* Torrere, torrefacere.
1. *Ignis* ipsum, torrere, assare חרך CRK, קלה QLE, קלי QLI, צלה TZLE.
2. *Parvus* levis tenuis קלה QLE, קלי QLI torrere assare. *Depressus humilis* צלל TZLL, צלי TZLI assare.
*Tchao*, *Ciao* respondet ח C, ק Q, צ TZ Vocum datarum.

XCI. 牟 *Meou.*
5645.

1. *Uncinus.* 2. *Bos.*
1. Mugitus Bovis. 2. Hordeum. 3. Olla.
Mugitus Bovis.
1. *Uncinus* כרע KRO, קרא QRA clamor, vociferatio: *Uncinus* חוח CVC, homiophonon געא GOA ipsi Bovis Mugitui.

2. *Bos* בקר BQR, Cyriosematice, imo quasi ב־קרא B-QRA in clamore, in Mugitu, mugiens.

Hordeum.

1. *Uncinus, fibula, catenula* שירה SCIRE; Hordeum שער SCOR.

2. *Bos* est שור SCVR, Hordeum שער SCOR.

Olla, lebes.

1. *Uncinus*, שירה SCIRE, Olla סיר SIR.

2. *Bos* שור SCVR, Olla סיר SIR.

*Meou* est vox recepta, qua aeque *Mugitus*, *Hordeum*, et *Olla* significatur apud Sinas.

XCII. 㸦 *Hie.*
5663.

1. *Bos*. 4. *Tria signa potentiae*.--Bos, Taurus.

1. *Bos* בקר BQR, שור SCVR, Sema Cyriologicum.

2. *Potentia* I. אביר. ABIR, ipse Taurus, Bos אביר ABIR.

3. *Potentia* II. כביר KBIR, potens, superbus, elatus: בקר BQR Bos est temura homiophona.

4. *Potentia* III. שרה SCRE Principatum potentiam habens, שור SCVR homiophonon Bos.

*Hie* respondet י I et ה E Vocum datarum.

XCIII. 牸 *Tse.*
5664.

1. *Bos*. 2. *Tectum*. 3. *Filius*.

Vacca, Bos faemina.

1. *Bos*, Sema Cyriologicum פרה PHRE, בקרה BQRE.

2. *Tectum* גגה GGE, געא GOA Mugitus Bovis et Vaccae. *Tectum custodia* חראמה CRAME, Vacca חירם CIRM.

3. *Filius*, foetus, filius tener est עול OVL, Vacca foeta, lactens ipsum עול OVL.

*Tse* respondet voci receptae. *Tse* est Vacca, *Tse* filius, *Tse* cooperire tegere.

XCIV. 猛 *Mong.*
5766.

1. *Canis.* 2. *Filius.* 3. *Catinus.*

Immitis, crudelis, severus.

1. *Canis* hirriens, frendens הרהר ERER, יהם IEM, חרץ CRTZ recte notat hominem incitantem, fodicantem, vexantem חרץ CRTZ, frementem clamantem prae ira המם EMM, et opprimentem, molestantem, affligentem הרהר ERER.

2. *Filius* מין MIN proles soboles; imago, figura Patris מון MVN; adversarius inimicus מאן MAN immorigerus, asper, renuens.

3. *Catinus*, *vas* מאן MAN, obstans recusans. *Catinus Pelvis* קשה QSCE asper, durus, ferox, homiophonon קשח QSCC saevus, crudelis, immitis.

*Mong* respondet vocibus Semiticis הם EM fremere, מאן MAN active molestiâ et noxâ affecit.

XCV. 畮 *Meou.*
6222.

1. *Terra.* 2. *Unum.* 3. *Mater.*

Iugerum, sive Mensura centum cubitorum.

1. *Terra* potissimum arata, et exculta שדה SCDE, חרש CRSC, Cyriosematice.

2. *Unum*, summa, signum operationis Arithmeticae, symbolum numerantis et numeros colligentis יחד ICD, חשב CSCB.

3. *Mater* אם AM, אמה AME cubitus, מאה MAE centum.

*Meou* respondet אמה AME cubito, et מאה MAE centum.

XCVI. 孟 *Kie*.
6826.

1. *Filius*. 2. *Vas*. — Catinus, Pelvis.

1. *Filius*, puer, parvulus קטן QTHN, ipsum קטן QTHN Catinus Latinorum, Pelvis.

2. *Vas*, pelvis קטן QTHN, Cyriosematice.

*Kie* respondet ק Q Vocis datae.

XCVII. 启 *Chy*.
6826.

1. *Tectum*. 2. *Duo*. 3. *Os oris*.

Lapis, Saxum, petra.

1. *Tectum* צלל TZLL, res elevata sublimis סלל SLL, lapis סלע SLO. *Tegere obtegere* חפה CPHE, vel כפה KPHE ipsum *Tectum* ת-כפיף T-KPHIPH. Petra lapis כיף KIPH.

2. *Duo* et inter *duo*, medium medietas בין BIN, Lapis petra אבן ABN. *Duplex duplicare* כפל KPHL, lapis אל-כיף AL-KIPH.

3. *Os*, *clamare*, *vociferare* שוע SCVO, Lapis, petra שועא SCVOA. *Canere cantare* שור SCVR, צרע TZRO; Lapis, petra צור TZVR.

*Chy* respondet כ K, ח C Vocum datarum, et est recepta.

XCVIII. 示 *Ky.*

6991.

1. *Duo.* 2. *Parvus.*

Spiritus, animae defunctorum.

1. *Duo*, medium, medietas בין BIN, בינה BINE intelligentia, sollertiâ, prudentia. *Duo* שני SCNI, שנן SCNN acutus, sollers, ingeniosus: Temura homiophona שאן SCAN quietus, pacatus, securus. *Duo duplex* כפל KPHL divisus, separatus, olim coniunctus. *Duo, secundus,* posterior, qui venturus est, qui redibit אחר ACR, temura homiophona רוח RVC Spiritus.

2. *Parvus* subtilis tenuis צער TZOR, homiophonon צור TZVR forma, imago, simulacrum; *Levis tenuis vacuus* קל QL, inanis, carens corpore. *Parvus* צער TZOR, צור TZVR defendere, tueri, custodire, et vexare, molestare, laedere.

Haec omnia *Spiritibus* Veteres Gentes, et pleraeque recentiorum tribuerunt et tribuunt.

*Ky* respondet כ K, ח C, ק Q Vocum datarum.

XCIX. 算 *Soen.*

7019.

1. *Duo.* 2. *Parvus.* 3. *Duo.* 4. *parvus.*

Numerare, supputare, calculare.

1. *Duo* שני SCNI, שנה SCNE iterare repetere, quod calculatoris est. *Duo duplex duplicare* כפל KPHL, actus numerandi. *Duo medium medietas* חצה CTZE, ipsum חצה CTZE dividere, supputare, calculare.

2. *Parvus* divisus imminutus חצה CTZE, quod est supputare calculare. *Parvus* res parvae minutae, stipulae, paleae חשש CSCSC, כסס, KSS et חשב CSCB calculare, numerare, supputare.

*Soen* respondet Semitico שנה SCNE repetere, iterare, et idcirco idem Syngramma cernitur שנה SCNE duplicatum.

C. 福 *Fo.*
7063.

1. *Duo*. 2. *Parvus*, sive Spiritus. 3. *Unum* 4. *Os*. 5. *Arvum*. — Felicitas, beatitudo.

1. *Duo* בין BIN, בינה BINE intelligentia, sollertia, sine qua non est beatitudo. *Duo* כפל KPHL nutrire, alimenta dare, praebere. *Duo* שני SCNI. שאן SCAN quietus, tranquillus, adeoque beatus.

2. *Parvus* צער TZOR, temura homiophona רוז RVZ est laetari, gaudere. *Puer* חרף CRPH; prosperitas, fortuna רפח RPHC.

3. *Unum* אחד ACD, חדה CDE est laetari, exhilarare, gaudere.

4. *Os*, *Canere*, שור SCVR, אשר ASCR felicitas beatitudo. *Appellare nuncupare* כנה KNE, כהין KEIN beatus fortunatus. *Os* פהה PHEE, et פעה PHOE clamare, ביע BIO laetitia gaudium. *Ridere* ברח BDC, et laetitia gaudere ipsum ברח BDC, et ברג BDG. *Clamare* et gaudere פצח PHTZC.

5. *Terra* ארץ ARTZ, חרש CRSC temurae homiophonae אשר ASCR beatitudini. *Terra* שדה SCDE, סעד SOD felix, beatus, שדיך SCDIK felix quietus.

*Fo* respondet ב B, et ף PH vocum datarum.

# INDEX ALPHABETICUS

*Praecipuarum Vocum Latinarum, quae Polyschematibus Hieroglyphicis novem posteriorum Linearum Inscriptionis Rosettanae respondere putantur.*

# INDEX ALPHABETICUS

## *Vocum Latinarum, quae respondent Centuriae Sinogrammatum.*

FINIS.

14